DE

RECTORE

A. M. MICHELETTI

SUMMULA PRAELECTIONUM

PAEDAGOGIAE ECCLESIASTICAE SPECIALIS

IUSSU

LEONIS S. M. XIII. IUSSU

IN PONTIFICIO COLLEGIO APOSTOLICO LEONIANO IN URBE HABITARUM

PARS II.

DE RECTORE

CUM APPROBATIONE R.MI S. P. A. MAGISTRI

VAENIT:

FRIBURGI BRISGOVIAE — VINDOBONAE
BEROLINI — CAROLSRUHAE
ARGENTORATI — MONACHI
S. LUDOVICI AMERICAE
apud
B. HERDER
Typograph. Edit. Pontific.

ROMAE — RATISBONAE
NEO-EBORACI — CINCINNATI
apud
F. PUSTET
Pontificalem Bibliopolam.

ALIASQUE PRAECIPUAS DOMUS LIBRARIAS

A. M. MICHELETTI

DE RECTORE SEMINARIORUM CLERICALIUM

Ecce pono in Sion lapidem, summum, angularem, electum, pretiosum...

[I Petr. II, 6].

MANUALE CANONICUM, PAEDAGOGICUM

AD MENTEM

S. CAROLI BORROMAEI, SUMMORUM PONTIFICUM

AC SS. RR. CONGREGAT. RECENTIORUM DECRETORUM DIGESTUM

Cum approbatione R.mi S. P. A. Magistri

VAENIT:

FRIBURGI [BRISGOVIAE] — VINDOBONAE
BEROLINI — CAROLSRUHAE
ARGENTORATI — MONACHI
S. LUDOVICI AMERICAE
apud
B. HERDER
Tipograph. Editor. Pontific.

ROMAE — RATISBONAE
NEO-EBORACI — CINCINNATI
apud
F. PUSTET
Pontificalem Bibliopolam.

ALIASQUE PRAECIPUAS DOMUS LIBRARIAS.

ALMA COLLEGE
348.7442
LIBRARY
M582
Alma, California

26499

OMNIA IURA VINDICABUNTUR.

APPROBATIONES.

Imprimatur : P. A. Lepidi, *O. P., S. P. A. M.*	*Imprimatur :* Iosephus Ceppetelli *Patr. Constantinop. Vicesgerens.*

CAROLO · BORROMAEO

QVEM

SACRA · SEMINARIA

PATREM · LEGIFERVM · COLVNT

TERTIO · EXEVNTE · SAECVLO

EX · QVO · COELITES · INTER · SANCTOS

RITE · ADLECTVS · EST

HAEC

DE · SPIRITV · EIVS · EXPRESSA

DEVOTVS · AVCTOR

INSCRIBIT

PRAEFATIO

Quum Seminarii Rector [prout graphice pontificiis in documentis dicitur] *caput et centrum Instituti*[1] habeatur, qui in prima huius *Summulae* parte Episcopi et Tridentinae Deputationis operam in s. Seminarii regimine descripsimus, ut gravia quae inibi Rectoris sunt munera nunc inlustremus, rectus tractationis ordo postulat. Antequam enim de huius spiritualis corporis membris [quorum munus Seminarii Officiales singuli adimplent] dicamus, illius describere operam cuius singula haec moderari, regere et ad propositum finem ducere est, opportunum sane consilium duximus.

At, quidem, si tractationis momentum tanti est, difficultas non minor: quoniam hisce nostris praesertim temporibus, huius muneris indoles et, multo magis, concreta praxis, multifariam ac diversimode intelligi, exponi, et ad usum deduci solet. In quo discrimine tamen ipsa pontificii decreti *De Seminariorum Reformatione* littera [qua egregia veluti norma perhibetur cui tractationem hanc non modo solatium, sed et officium accommodare fuit] negotium multum levat. Eo igitur maxime opus ac labor nostrum intendebatur ut, quae iamdudum scripto tradidimus, huic decreto aptarentur: atque [prouti legis ratio est, quae summa lineamenta et praecipuam in re tenendam

[1] Decret. S. C. die XVIII Febbr. 1908 *De Seminariorum reformatione*, Par. II, Cap. 2, § I, artic. 25.

normam tradit, quin casus singulos rimetur scruteturque] ubi rerum practica necessitas perspicua magis et minutiora postulabat, praeclaris Litteris Encyclicis a SS. Pont. Leone f. r. XIII, et a Pio gl. r. PP. X de re datis in opus deductis, duce et interprete borromiana traditione [cuius mentem pontificium decretum fideliter referre constat] in haec insistere, eaque enucleare contendimus. Quum vero fere singulae huius opellae paginae D. Caroli Borromaei [cuius tricenaria solemnitas hisce diebus agitur [1]], nomen et spiritum referant [et ut referrent studium omne nostrum fuerit] ut Sancto Eius Nomine dedicarentur summopere placuit.

Quo vero ad rationem qua huiusmodi consilium exequuti sumus paucis sic accipe. Publicam Rectoris operam [ut bono clericalis institutionis revera conferat] in eius personae apta institutione [veluti firmissimo in fundamento] inniti debere, intima animi persuasio erat. Hinc fuit ut [exordii specie] generalia huius institutionis principia recoluerimus, quo [sponte veluti sua] tractationis bipartitio effluebat, de privata persona primum, de Rectoris opera publica deinde dicentibus. Utrimque [et in prima parte maxime] summum integritatis studium cum concinnitatis cura ita componere contendimus, ut ex iis quae ex professo fusius pertractavimus alibi [2], necessaria tantum heic recolerentur.

Seminariorum igitur Rectoribus, opellam hanc, sperantes fore ut perarduo, at saluberrimo, ipsorum apostolatui quandam afferat utilitatem, humiliter ac devote exhibemus. Quae utilitas, si haud unquam spernenda, hisce praesertim temporum rerumque

[1] Cfr. Encycl. SS. D. M. Pii PP. X, die 28 Maj 1910.

[2] Cfr. nostr. Oper.: *Elementi di Pedagogia Ecclesiastica* [Vol. tria]; *De Regimine Ecclesiastico* [Vol. duo]; *Commentarium in decret. S. Congregationis* De Seminariorum Reformatione [die XVIII Febb. 1098], Partes IV.

adiunctis, pretiosa efficitur, quorum peculiares necessitates ut clerus sanctus, doctus, prudens in Domino crescat oportet, ad omne opus bonum adeo instructus ut per devia quaeque errantes ad Dominum adducendo, fortes in fide confirmando, atque [plurimis superatis obstaculis] ad aeternae sanctaeque beatitudinis portum feliciter provehendo, proelia Domini strenue proeliare noverit. Utinam sancto huiusmodi Apostolorum alendo agmini novas vires summamque charitatis vim illius Altoribus [magis magisque] addere dignetur Deus!

Dabam ex Urbe
in Festo Sacratissimi Cordis Jesu.
MCMX.

A. M. Micheletti.

BIBLIOGRAPHIA

Brevitati studentes, ab Auctoribus per librum nostrum afferendis abstinuimus: Lector vero utiliter consulere potest qui sequuntur; Achille, *Le nouveau Vade-Mecum de de l'Instituteur Chrétien*, Namur 1872 — Achilles, *Theoretische und practische Metodic*, Freiburg 1901 — Alibert, *Méthode pédagogique*, Paris 1809 — Allievo, *Studi Pedagogici*, Torino 1893 — Anonymus, *Il Direttore spirituale dei Seminarii secondo lo spirito di S. Carlo Borromeo*, Venezia, 1747 — Aurificus, *De dignitate, vita et moribus clericorum*, Venet. 1570 — Id., *Dell'Educazione del clero*, Napoli 1866 — Id., *Introduzione agli studi ecclesiastici*, 1836 — Bacuez, *Le Directeur de Seminaire*, Paris — Bainvel, *Causeries pédagogiques*, Paris 1899 — Baldwin, *School Menagement and School Methodes*, New-York 1897 — Barbarigus, *Institutiones Seminarii Patavini*, Pataviae 1695 — Barbier, *L'initiative au Collège*, Paris 1900 — Id., *La discipline*, Ibid., 1900 — Barelle, *Aris sur l'éducation de la jeunesse* — Battifol, *Questions sur l'Enseignement Supérieur*, Paris 1900 — Bernardus [S.], *De doctrina puerorum* — Binet, *L'Arte di Governare*, Roma, 1908 — Borrius, *De Peripatetica docendi atque addiscendi methodo*, Florentiae, 1584 — Bibliotek der katolischen Päedagogik, Vol. 17, Freiburg — Boulay, *De l'Enseignement scientifique dans les Séminaires*, Paris, 1892 — Borromaeus [S. Carol.], *Institut. ad univers. Seminarii regimen spectantes*, Mediolan. — Bonifacius, *Institutio pueri christiani* — Besse, *Les Etudes Ecclésiastiques d'après Mabillon*, Paris 1905 — Brabantinus, *De disciplina scho-*

larum — Busseus, *Iesus in sua pueritia* — Catone, *De Senectute* — Campan, *De l'Education*, Paris, 1828 — Cicero, *De Oratore* — Id., *Disput. Tuscul.* — Id., *De Amicitia*, — Claret, *Le Collégien ou le Séminariste théoriquement et pratiquement instruit.* — Cecconi, *Istituzione dei Seminari*, Roma, 1766 — Clemens Alexandrinus, *Paedagogus* — *Collect. Concil. Lacensis*, Freiburg — Combardelli, *Adolescens litterarum studiosus* — Cougnet, *Le Maître d'études*, Paris, 1854 — Cowham, *Organisations*, Londra 1897 — Chamont, *L'Educateur*, Paris 1877 — De Dominicis, *Linee di pedagogia elementare*, Roma — Id., *Guida al tirocinio scolastico*, Torino 1900 — De Giovanni, *La storia dei Seminarii*, Roma, 1747 — De Peyrinus, *De Subdito et Praelato*, Placentiae 1639 — *Directoire des Maîtres*, Paris 1895 — Donatus, *Methodus de de liberalibus pueritiae et adolescentiae studiis*, Tornaci, 1854 — Duhr, *Die Studienordnung der Geselschaft Iesu*, Freiburg, 1896 — Dupanloup, *De l'Education*, Paris — *Enseignement chrétien*, Paris [Poussielgue] — *Eléments de Pédagogie pratique à l'usage des Frères des Ecoles Chrétiennes*, Paris, 1901 — Fonk, *Wissenschaftliche Arbeiten*, Insbruck, 1908 — Ferté, *Programme et règlement des Etudes de la Société de Jésus*, Paris, 1892 — Forster, *Igiene della castità* — Id., *Scuola e carattere* — Franchi, *Pedagogica*, Siena, 1898 — Fungero, *De puerorum disciplina et recta educatione*, Tornaci, 1854 — Fuzet, *Le Grand Séminaire*, Paris, 1904 — Gerini, *Dottrine Pedagogiche*, Torino, 1894 — Id., *Gli scrittori pedagogici italiani*, Ibid., 1896 — Godeau, *Traité des Séminaires* — Graziano, *L'arte della Prudenza* — Guibert, *L'Educateur Apôtre*, Paris, 1896 — Id., *Les qualités de l'éducateur*, Paris, 1903 — Habrich, *Paedagogische Psychologie*, München, 1905 — Heidacher, *Ueber Hoffahrt und Kindererziehung*, Friburgi, 1907 — Heinrich, *Loyola and the Education System of the Iesuits*, New-York, 1892 — Hogan, *Les études du Clergé*, Paris, 1901 — Holzhauser, *Opuscula ecclesiastica*, Parisiis, 1861 — Icard, *Traditions de la Compagnie des Prêtres de Saint-Sulpice*, Paris, 1886 — Iudde, *Exhortations sur les Etudes* — Iuvencius, *De Ratione discendi ac docendi* — Kehr,

Praxis der Schule, Gotha, 1898 — Lancitius, *De Conditionibus boni Superioris*, August. Taurinor. — Latty, *Lettre à MM. les Directeurs de son Grand Séminaire*, Paris, 1892 — Laurentie, *Lettres sur l'éducation*, Paris, 1867 — Lebrun, *Institutio Iuventutis*, Paris, 1653 — Lecuyer, *Le Prêtre Educateur*, Paris, 1900 — Leo PP. XIII, *Encyclicae Selectae de educatione Clericorum* [Cfr. Acta Leonis] — Liberman, *Das Ideal des Priestertums*, Paderborn, 1858 — Lucidi, *De Visitatione Sacrorum Liminum*, Romae, 1899 Lepore, *Lectiones Aestetiches*, Viterbi, 1905 — Mafeus Vegius, *De Educatione Liberorum*, Tornaci, 1858 — Mercier, *A mes Séminaristes*, Bruxelles, 1908 — Millunzi e Fiorenza, *Dieci quesiti sui seminarii italiani*, Siena, 1892 — Mignot, *Les Etudes Ecclésiastiques*, Paris, 1909 — Molina, *Instructio sacerdotum*, Colon. 1712 — Monfat, *La Pratique de l'Education chrétienne*, Paris, 1899 — Muzynscki, *Die Temperamente*, Paderborn, 1907 — Oliva, *De Antiqua in romanis scholis grammaticorum disciplina*, Venetiis, 1718 — Pachtler, *Ratio studiorum et Institutiones Scholasticae Soc. Iesu*, Berolini, 1887 — Palomeque, *De clericorum electione, optima educatione et institutione*, Venetiis, 1616 — Passard, *La pratique du Ratio Studiorum*, Paris, 1896 — Pautonnier, *Etude sur la formation des Professeurs Ecclésiastiques*, Paris, 1894 — Pennatius, *Paraenesis adolescentiae redivivae*, Viterbi, 1764 — Piccolomini, *De Educatione Liberorum* — Pius PP. X, *Encyclicae variae* [Cfr. Acta Pii X] — *Programma per gli Studi nei Seminari della Lombardia*, Milano, 1908 — Plutarchus, *De Liberorum Educatione* — Quintilianus, *De Institut. Orator.* — *Regolamento educativo-disciplinare pel Seminario Vescovile di Bergamo*, Ibid., 1908 — Rahymond, *Guide des Nerveux et des Scrupuleux*, Paris 1909 — Roeri, *Discipulus instructus* — Rollin, *Traités des Etudes* — *Recrutement Sacerdotal*, *Revue*, Paris, Poussielgue — Saavedra, *Idea Principis Politico-Christiani*, Amsterdam, 1657 — Sacchini, *Paraenesis ad Magistros scholarum inferiorum* — Sadoleti, *De liberis recte instituendis* — Schwochow, *Die Schulpraxis*, Gera, 1899 — Scribani, *Politica Christiana:* Id., *Superior Religiosus* — Surbled, *La mo-*

rale et la médecine, Paris, 1904 — Tischauser, *Conseils sur l'éducation*, Neuchatel, 1888 — Tonioli, *Sull'educazione ed istruzione*, Milano, 1895 — Turinaz, *La vraie méthode des Etudes Ecclésiastiques*, Nancy, 1903 — Valls Tarago *Manual de Pedagogia Ecclesiástica*, Barcelona, 1909 — Vergerius, *De ingenuis moribus et liberalibus studiis* — Volkmer, *Lehrplan der Seminarschule*, Habelschwerdh, 1838 — Zocchi, *Dell'Educazione del giovane Clero*, Roma, 1902.

HUIUS VOLU

DE RECTORE

Sectio I.
De eius personâ

Cap. I.
De eius sanctitate

Cap. II.
De eius caritate ac pruden

Cap. III.
De eius justitia ac scienti

Sectio II.
De eius opera

Cap. I.
De Rectore et Seminariu

Cap. II.
De Rectore et Personas

Cap. III.
De Rectore et alumnos

IS SYNOPSIS

rtic.	I. — De eius orationis studio ac humilitate	*Pag.*	3
»	II. — De eius regularitate ac patientia .	»	19
»	I. — De eius caritate	»	32
»	II. — De eius prudentia	»	36
»	I. — De correctione ac poenis	»	52
»	II. — De aemulatione ac praemiis . . .	»	90
»	III. — De Rectoris scientia	»	108
»	I. — Quoad Seminarium in genere . . .	»	125
»	II. — Quoad pietatem	»	128
»	III. — Quoad disciplinam	»	173
»	IV. — Quoad studia	»	225
»	V. — Quoad oeconomiam ac hygienem .	»	273
»	I. — De Rectore erga Episcop., Deput. Trid. ac loci Parochum	»	307
»	II. — De Rectore erga clerum ac laical. Potestates, benefact., amici et alumnorum parentes	»	320
»	III. — De Rectore erga Officiales Seminarii	»	329
»	I. — De eorum susceptione	»	363
»	II. — De eorum agnitione	»	417
»	III. — De eorum regimine practico . . .	»	440
»	IV. — De eorum dimissione	»	474
	Documenta ac paradygmata . . .	»	488

INTRODUCTIO

Historicam ac iuridicam de Sacris Institutis tractationem in prima huius *Summulae* parte complexi [1], postquam de Ordinarii et Deputatorum Tridentinorum in Seminariorum regimine peculiari munere et opera dixerimus, ut de Rectore disputationem aggrediamur rectus tractationis ordo requirit: gravem profecto ac momentosam, quum huiusmodi munus et officium tamquam totius Sacri Instituti centrum et caput, ex quo vita et actio ad singula membra diffluant, [jure meritoque] habeatur. Qua in re, D. Gregorii exemplum imitati qui de pastorali regimine disserens, de Rectoris persona primum, ac de eiusdem opera deinde tradit, nos quoque [certo quodam modo] in duplicem partem tractationem dispertiri decernimus. Quod si [brevi calamo [2]] de Rectoris persona prius dicendum censeamus, id agentes nequaquam veluti in argumentis proposito nostro extraneis insistentes trademus: quippe quidquid publice Rector agere velit, nisi ad summas leges ac principia ecclesiasticae institutionis eius persona agendique ratio sint exactae, incassum sane evadet, neque ad Ecclesiae mentem utilitatemque pertinget. Attamen et ubicumque haec principia legesque recolemus, peculiari proposito nobis fine id curabimus; nempe ut ad ipsas clericalis institutionis proprias necessitates semper et continuo animum intendamus; quatenus perspicuam, practicam, ac [quoad fieri poterit] in omnibus integram agendi normam ipsi Rectori commonstremus.

Ceterum tenuitatis nostrae apprime conscii [praesertim si cum rerum tractandarum momento ac difficultate hanc

[1] Cfr. *De Episcopo et Tridentinis Deputatis in Seminariorum clericalium regimine.*

[2] Qui huius momentosae rei pleniorem notitiam assequi velit in nostris operibus: *Elementi di Pedagogia Ecclesiastica* [Vol. 1-2], ac *De Regimine Ecclesiastico* [Vol. 1-2] inveniet.

conferamus], quae Sacri ipsi Fontes, Patrum, SS. Pontificum, SS. RR. Congregationum ac Conciliorum documenta, D. Carolo Borromaeo praelucente, ad rem opportune praescribunt, numquam ab oculis diffugient. Immo [ut liquido patet] omnia quae dicenda veniunt ad numquam satius laudandi decreti normam componemus, quod Italicis quidem Sacris Seminariis lex, ceteris vero omnibus sapientissima tamquam regula saluberrimumque consilium esto [1].

Faxit Deus ut quae nova et vetera sedula collegimus manu et nunc, mente ac animo pauperculae viduae obolum templo conferentis proferimus, adeo in cuiusque Seminariorum Rectorum adiumentum cedant ut Praepositi omnes villicationis suae *rationem reddituri, cum gaudio hoc faciant et non gementes* [2].

[1] S. C. EE. et RR., die XVIII Ian. 1908.

[2] *Ad Hebraeos,* XIII, 17.

Sectio I.

DE SEMINARII RECTORIS PERSONA

Cap. I.

De Rectoris Sanctitate.

Ut Seminarii *Rector Christi spiritu plenus sit*[1] S. EE. RR. Congregatio optat; et recte sane, nan secus, quomodo ecclesiastico spiritu imbuere clericos ipse valebit? Nemo dat quod non habet, et si Rector sancto Dei spiritu careat, nec coeteros officiales omnes, nec clericos per sanctitatis semitam deducere ipse poterit. In quibus enucleandis, quum haec clare pateant haud imoramur, et potius [utilitatis causa] quo haec Rectoris Seminarii sanctitas contineatur indigitamus paucis, nimirum in orationis, humilitatis, regularitatis ac patientiae spiritu, de quibus omnibus breviter agendum.

Articulus I.

De eius orationis studio ac humilitate.

§ I. — Generalis huius muneris ratio.

Summae rerum. — I. Quae sit — II. Quanta Rectoris electio momenti sit.

I. — Generalem Seminarii Rectoris ideam tum quoad personam, tum quoad officium spectare possumus. Idcirco:

a) Quod ad personam nil aptius quam D. Caroli sententiam in re afferre licet, cuius verba sonant: *Rector prae coeteris sit aetate provectus, auctoritate gravis, spectata probitate, ab omni onere resi-*

[1] Instruct., *ad Ord. Hungar*, die 18 mart. 1896.

dendi solutus, peritus disciplinae clericalis, ac eius praecipue quae ad Seminarium spectat..., et in iis sit intelligens rebus quae sunt temporalis administrationis.[1] In recenti decreto quamvis nil expresse ad rem contineatur, facile tamen ea subaudiuntur, quod tamen ex eiusdem S. Congregationis Instructione Hungariae Episcopis data, erui potest, in qua legimus: *Ad officium Rectoris in primis eligant doctum, prudentem, Christi spiritu plenum, qui tum sermone, tum opere probe recteque, sicut oportet, instituat et dirigat*[2]. Et haec cum ecclesiastica traditione omnino concordant, quae, Concilio Rothomagense teste, statuit: *Primus seu Rector sit venerandae senectutis presbyter et sacerdos, si fieri potest multum diuque in ministeriis versatus, cui, sicut de B. Augustino scribitur, displiceant omnia quae aguntur in saeculo prae dulcedine Dei et decore domus eius. Severitatem potius praeseferat quam exerceat: sua praesentia et sollicitudine omnes in officio contineat*[3]. Tandem opportune quae SS. D. N. Pius IX Veneta in Synodo ad rem decrevit afferre licet: *Nostrum erit* [sic Ille] *omnem curam impendere in seligendis clericorum Moderatoribus, quorum vita, senectute probata, perfectior sit in exemplum et doctrina sana in spiritualibus clero et populo sit medicina*[4].

b) Quod vero ad officium spectat S. Carolus ait: *Omnium primus eique coeteri, cuiuscumque ordinis, tam qui in Seminario praecipuo, quam qui in aliis degunt, in functione munerum suorum, ac in omnibus prorsus quae ad Seminarii utilitatem referuntur, obtemperare teneantur*[5]. Quae omnia fere ad litteram in S. Congreg. decreto habentur, in quo edicitur: *Rector immediatus Praepositi Seminarii est, omnium primus, ut scribit S. Carolus Borromaeus..... Rector idcirco veluti Seminarii vitae centrum habendum est, cui internum Sacri Instituti regimen cum iuribus et debitis omnibus quae tum morale progressum, tum disciplinam, tum studia, tum hygienem et administrationem temporalem pertinent, spectant. Coe-*

[1] Die 18 Mart. 1896.
[2] *Instit.* Par. II. Cap. I.
[3] Tit. II, cap. 78.
[4] Cap. 7. *De Seminariis*
[5] *Institut.* Par. II. Cap. I.

teri vero ab ipso immediate dependent; ipse vero ab Episcopo cum quo stabiles relationes habere debet, ut de omnibus quae ad Seminarium pertinent eum edocere valeat. Nil aliquius momenti ipse statuet quin Ordinarii adprobationem habeat [1]. Legislator vero pergens quae peculiariter iura et officia Rectoris sint [quae mox inlustraturi sumus] indigitat.

II. — Ex his omnibus [quae summis heic delibavimus labiis] quanta sollertia et cautione in Seminarii Rectore eligendo, et quanta in eum vigilantia opus sit aperto eruitur. Cum enim ex decreti verbis *vitae Seminarii centrum eiusque caput Rector sit,* [2] si cor iners manet et si caput nutat, totum corpus perire et omnia eius membra nutare consequens est. Nam *tunc inter fluctus nautae securi navigant quando gubernator doctus... ad clavi regimen sedit.* [3] Ad hoc munus igitur ille tantum eligatur cuius animi mentisque qualitates, nunc enumeratae et eae quas statim inlustraturi sumus, clericalis institutionis altissimum finem assequi polliceantur.

§ II. — De in Rectore orationis studio.

Summae rerum — III. De orationis studii necessitate — IV. Rationes quae orationem Rectori suadent indigitantur — V. Practica ad rem ratio quae sit — VI. Orationis Rectoris objectum — VII. Eiusdem conditiones enumerantur — VIII. De oratione cum actione coniungenda — IX. Conclusio.

III. — Orationis studium et usus in Rectore requiritur quia *fallitur profecto quisquis opus hoc* [Seminarii regimen] *absque devotionis pabulo et orationis praesidio adsumere se posse putat* [4]. Enimvero si subditi orationi haud vacantes, in hoc terrestri exilio haud se sustentare possunt, quomodo Rector cui et caeteri commissi sunt, id praestabit? Praepositus igitur *sit prae cunctis contem-*

[1] Artic. 25.
[2] Ibid.
[3] S. Gregorius Magnus, *Epistolar.* lib. XIII, indict. 6, epist. 42.
[4] S. Laurentius Iustinian., *De Instit. et Regimin. Praelator.* Cap. II.

platione suspensus[1]; qui *orationis usu et experimento iam didicit quod obtinere a Domino quae poposcerit possit; qui in omni re orationi plus fidat, quam suae industriae vel labori*[2]. Enimvero *utilis est eruditio Pastoris, sed multo magis oratio necessaria, quippe quae sola docet scire de omnibus*[3].

IV. — Rationes vero quae hunc orationis spiritum Rectori suadent ita indigitare possumus:

a) Ad animi dissipationem defugiendam; nam *indubitanter constat, quod, externis occupationum tumultibus, cor a semetipso impulsum corruat*[4]. Idcirco *studere incessabiliter debet ut per orationis et meditationis studium resurgat..., et ad amorem spiritualis patriae, compunctionis aspiratione, semper renovetur.*[5] *Ad quid tibi prodest si universum mundum lucreris, te unum perdens? Etsi sapiens sis, deest tibi ad sapientiam si tibi non fueris... Quocumque evageris te revocaveris cum salutis fructu. Tu primus tibi, tu ultimus*[6].

b) Ad cordis duritiam vitandam, qua sensim sine sensu dum Spiritus Dei a Rectore recedit, quae mundi sunt adveniunt. Tunc pietatis inexpers, paternam maternamque clericalis institutionis indolem duro hi corde lacessit, et officiales clericosque non uti filios, sed uti mancipia, vel saltem uti extraneos male habet. Tunc Seminarium, quod in panis et pacis domo constitui deberet, in timoris versutiaeque domum commutatur, et quae procacitatis insolentiaeque sunt fructus miserrime colliguntur.

c) Ad bonum Seminarii assequendum, seu ad eius regiminis difficultates superandas; nam Rectores *tum bene exteriora disponunt cum sollicite ad interiora refugiunt, et apud semetipsos, in tranquillitatis sinu requiescunt...; cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem semper, quasi ad Tabernaculum, redeunt*[7]. Ibi Dominum

[1] S. Greg. Magn., *Regula Pastoralis*, Par. II, Cap. 10.
[2] Id. Ibid.
[3] S. Bernard., *De Considerat.*, lib. V, cap. 5.
[4] S Greg. Magn., *Regula, Pastor.* Par. II. Cap. 2.
[5] Id. Ibid.
[6] S. Bernardus., *Op. cit.*, lib. I., cap. 5.
[7] Greg. Magnus, *Moral.* lib. V, cap. II.

consulunt, et quod foris agendum est publice, intus silenter audiunt. Dominum consulunt, et quod prius intus tacentes audiunt, hoc foris postmodum agentes patefaciunt, et ut exterioribus officiis inoffense deserviant, ad cordis secreta recurrere incessanter satagunt. — Quae omnia Seminarii regiminis difficultates considerantibus clariora apparent. Quamvis enim Sacri Instituti societas parva sit, ex hominibus tamen [humanis passionibus aerumnisque obnoxiis] et ipsa semper coalescit. Discordiae atrocem faculam inimicus homo et in Seminarii septis, tum Officiales, tum clericos inter agitare consuevit. Diversorum itaque temperamentuum ingeniorumque diversitates adeo componendae sunt, ut charitas demum triumphum agat. At quomodo haec omnia recte perseveranteque Rector ille praestabit qui, malae politicae inserviens, Dei spiritus pauper vacuusque fuerit?

d) Ad Deo coram semper agendum: nam *qui vacare Deo negligit, suo sibi judicio humano lumen eius visionis abscondit*[1], quo, potiusquam ab auctore Deo, a se ipso potestatem qua gaudet derivans, ut sua jura colat acriterque tueatur, sua officia penitus obliviscitur. Tunc Rector Dei instrumentum in clericos haud est, et ubi spiritus Domini tacet, quae carnis sunt exhuberant opera. Tunc qui Dei oblitus, sibi ipse relinquitur; quo fit ut sapientia, conversatio sancta, superna lumina ab ipso recedant, ac coelestis harmoniae modulos mellifluasque angelici concentus melodes ipse ignoret. At *Dei debet esse docibilis qui docere homines cupit*[2], et hanc institutionem sancta cum oratione tantum quisquam sibi promeretur, et in ipsa tantum comparat. Ad sanctum igitur orationis tabernaculum [Moysem Apostolosque imitatus] Rector confugiat, ibique quid exterius agendum sit disponat. Nam [iterum iterumque admonemus] eos qui bene agere cupiunt eo melius orare necesse est ut, a conspectu Dei redeuntes, in labore alacres, in administratione solliciti, et in omni exercitatione devoti efficiantur.

V. — Ad practicam rationem in re indigitan-

[1] Id. ibid. [2] Id. *in I. Reg.*, lib. I. cap. 5.

dam, diversae Rectoris orationis species recolendae sunt, nimirum:

a) Communis et consueta. — Quamvis Rectoris cor et quum actioni impendit operam [biblici ignis ad instar *qui in altari semper ardebat, quem enutriebant sacerdotes subjicientes ligna mane per singulos dies*[1]] orationi studere semper debeat, attamen a primis diei horis ad postremis usque suas regiminis ac sacerdotales occupationes adeo disponere debet ut communis oratio numquam deficiat. Quotidiana idcirco meditatio, SS. Sacrificii actio, breviarii recitatio, spiritualis lectio, conscientiae discussio, B. M. V. Rosarium, haec omnia aliaque similia quotidie, ex ordine, constanterque Rector persolvat.

b) Extra ordinem oratio illa est quam [dum per tempus licet], exterioribus occupationibus intermissis, Rector fundit, vel quum peculiares regiminis necessitates et divinum peculiare auxilium efflagitant. Idcirco, postquam Rector ea disposuerit quae necessitas paterna poscit, ut deliciis spiritualibus pascatur et gratissima gaudiorum lilia animo colligat, in aromatum hortum descendere festinet. Inibi, terrenorum strepitus veluti oblitus, redeat ad cor, mentem suam ad superna erigat, ad caelestia desideria se suspendat, atque de sanctissimo Tabernaculi fonte saluberrima divinorum eloquiorum fluenta avide hauriat, recta consulat, agendaque prudenter disponat. — Quoties vero spirituali seu corporali Seminarii fatigatur in proelio, quoties quaedam magni momenti negotia disponenda agendaque sunt, Rector [Servatorem Nostrum imitatus qui, antequam Apostolos eligeret, ascendit in monte ibi pernoctans in oratione Dei] ad orationem confugiat, atque ad luminum consolationumque Patrem clamet: *Domine tibi soli in hac opera placere cupio; illumina ergo faciem tuam super servum tuum*[2]. Tunc rediens ad operam [uti alter Moyses a Monte Sancto rediens] subditorum passiones facile sedabit, adeoque apte cuncta disponet ut quasi divino afflatu regi videatur. Tunc enim [paterna ratione agendo]

[1] *Levitic.* VI, 12.
[2] Ven. Barth. De Martyrib. *Stimulus Pastor.* Pars. II. Cap. 4.

ex interna gratia Sancti Spiritus quam habet et magnae providentiae lumine plenus, quasi coelestis vir a subditis excipietur, quibus divinae scientiae humanaeque prudentiae thesauros reserabit.

VI. — Rectoris orationis objectum tum sua, tum aliorum necessitas indicat. Idcirco:

a) Pro seipso Rector oret, ut sapientiam ad degustanda coelestia, intellectus lumen ad intelligenda sacramentorum arcana, prudentiae virtutem ad fallaces huius saeculi deceptiones devitandas, consilii donum, fortitudinis constantiam, scientiae sensum, pietatis affectum, timoris filialis gratiam sibi comparare valeat.

b) Et pro clericis ipse oret; nam quum et pro animabus sibi concreditis arctam rationem redditurus Rector sit, [non charitatis tantum, sed et justitiae officio] pro ipsis preces Deo fundere adstringitur. Quum vero *omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in is quae sunt ad Deum ut offerant dona ac sacrificia pro peccatis, qui condolere possit iis qui ignorant et errant* [1], uti mediator inter Deum et subditos Rector constitutus sit, clericorum spiritualia negotia, orando, gratiam implorando, apud Ipsum gerere debet; quod, sicut Moyses, et Apostolus facere non desistebat qui Romanis scribit: *semper sollicitus pro vobis in oratione* [2]. Quum enim Sanctuarii asseclae ut passionum bella fortiter sustineant, et Dei in se ipsis voluntatem agnoscant, quam maxime superno auxilio egeant, non consilio tantum ac vigilantia, sed et oratione potissimum a Rectore adjuvandi sunt.

c) Et pro Seminario Rector Deo preces fundat; nam nisi *Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam* [3]. Etenim, quamvis bonum Sacri Instituti regimen a Praeposito, officialibus, clericisque dependeat, attamen haud paucae adsunt circumstantiae e quibus Sacri Instituti sors ipsa pendet, quae, quamvis a Deo primum, secundario et ab hominibus dependent. Rector idcirco, dum quae propria clericorumque sunt bona perse-

[1] *Ad Hebraeos*, V. I.
[2] XII. 12.
[3] *Psalm.*, 126, I.

quitur, communia Seminarii ne obliviscatur, ut omnia semperque in Dei laudem cedant.

VII. — Rectoris orationis conditiones sunt quae sequuntur:

a) Deo acceptus sit; nam *qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit qui familiarem eius gratiam esse per vitae meritum nescit?... Cuncti enim liquido novimus quia cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocetur. Qui ergo adhuc desideriis terrenis adstringitur, caveat ne districti iram judicis gravius accendens, dum loco delectatur gloriae, fiat subditis auctor ruinae. Scriptum est enim: qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*[1].

c) Mortificationi studeat, quum oratio ac mortificatio duae veluti sorores, jure meritoque, habeantur, quarum una sine altera diu consistere nequit. Mortificationis igitur opportunum sacrificium oratio adeo comitetur ut orationis incenso, mortificationis myrrha adjungatur. *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras si... permanseritis in jejuniis et orationibus in conspectu Domini*[2]... *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.*[3]

d) Vitae suae ordinem ipse statuat; nam *metiendae sunt nobis horae ministerii ut breviter persistamus in opere, festinantes redire valeamus ad contemplationis arcem.*[4] Secus enim, occupationum tumultu exagitatus Rector, vel orationem posthabebit, vel tam pigre huic incumbet ut nullum fere fructum comparabit. Idcirco *ipsae secreti silentii morae, tam lege districtionis custodiendae sunt, ut etiam ipsi qui accedere solent, sciant quod contra propositum nostrum ad nos accessum non habent.*[5] *Deputentur* igitur *tempora, distribuantur horae pro salute animarum.*[6]

VIII. — De oratione cum actione coniungenda quaedam dicenda supersunt, nimirum:

[1] S. Gregor. Magn., *Moral.* lib. V., Cap. 4.
[2] *Iudith*, Cap. 4, n. 12.
[3] *Eccles.* XXXV, 21.
[4] S. Gregor. Magn., in *I Reg.*, lib. II, Cap. 4.
[5] Id. Ibid.
[6] S. Augustin., *Confession.*, lib. VI. Cap. XI.

a) Tum orationi, tum actioni Rector insistere debet; nam *perfectus praedicator non est qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit.* [1] Rector enim non pro se, sed pro subditis in regiminis loco constituitur ut non tantum spiritualia, sed et temporalia bona ipsis comparet, quae postrema, ut prima assequatur, et illi curanda sunt; *nam quisquis regendis fratribus praeest, vacare funditus a curis exterioribus non potest* [2]. Ut vero actio recta sit, a contemplatione, uti effectus a causa, dimanare debet, et ut contemplatio effectum suum sortiatur, ut per actionem in praxim deducatur opus est. Rector idcirco *necesse est ut sit charitate succensus, necnon interiori ac exteriori exercitatione ornatus, quatenus contemplationis alis per amorem Dei elevetur ad summa, atque per dilectionem proximi compassione motus descendat ad ima* [3].

b) Tum oratio, tum actio adeo ad invicem copulentur ut neutra detrimenta persentiat. Rector enim *nec sic debet esse ociosus ut in eodem ocio proximi utilitatem non cogitet, nec sic actuosus ut contemplationem Dei non requirat* [4]. Idcirco si uti privatus homo contemplationem praeferre Rector debet, e contrario, uti publica persona actioni insistere magis ei opus est; quod tamen in praxi a muneris momento eiusque oneribus ac peculiaribus contingentiis multum dependet.

c) Quandoque, ut peculiaribus subditorum necessitatibus consulat, orationem intermittere Rector debet. *Ipsa* enim *Veritas de hoc exemplum praebuit, quae per susceptionem nostrae humanitatis nobis ostensa in monte orationi inhaeret, miracula in urbibus exercet; imitationis videlicet viam bonis Rectoribus sternens ut, etsi jam summa contemplando appetunt, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misceantur, quia tunc ad alta caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, et quo benigne descendit ad infima,*

[1] S. Greg. Magn., *Moral.*, lib. VI, Cap. 37.

[2] Id. *Epist.*, lib. I, indict. 9, Epist. 25 *ad Ioann. Episcop.*

[3] S. Greg. Magn., *Moral.* loc. cit.

[4] S. Augustinus, *De Civit. Dei*, lib. XIX, Cap. 9.

valenter recurrit ad summa... Nec taedere animum debet si sensus eius contemplationi spiritualium semper intentus, aliquando dispensandis rebus minimis quasi minoratus inflectitur, quando illud Verbum per quod constant omnia creata, ut prodesset hominibus, assumpta humanitate, voluit paulo minus ab Angelis minorari. Quid ergo mirum si homo se propter hominem attrahit, dum Creator hominum et angelorum formam hominis propter hominem suscepit? [1]. Quod et Moysem fecisse legimus qui ad foederis Tabernaculum frequenter introibat et ab illo frequenter exibat; introibat enim ut contemplaret, ab eo exibat ut operaretur; contemplabat ut recte se gereret, operabatur ut apte contemplaret.

IX. — Orationibus igitur ac sanctis desideriis totum Seminarium velut humeris suis Rector sustentet. Orationis clypeo caput operiat suum, orationis lorica corpus suum muniat; et hoc animae sanctae subsidio gratiaeque consilio, vim, patientiam, suavitatem, stabilitatem, prudentiam, spirituum discretionem regiminisque artem Rector sibi comparabit, quibus tantum arduum sui muneris finem, in clericorum Ecclesiaeque bonum assequetur.

§ III. — De Seminarii Rectoris humilitate.

Summae rerum. — X. De huius virtutis in Rectore necessitate. — XI. Quae in re obstacula habeantur. — XII. Quaedam ad rem industriae recensentur. — XIII. Rectoris humilitas qualis esse debeat. — XIV. Conclusio.

X. — Quum regiminis potentia, humilitatis moderatione carente, fere in tyrannidem commutetur, humilitatis in Rectore necessitas satis exinde evincitur. Quod in ecclesiastico praesertim regimine locum obtinet quod, charitate humilitateque duce, arduum sublimeque finem, a Deo Ecclesiaque [ex ipsorum praeceptis] illi praestitutum his mediis assequi debet. Enimvero non uti Rectore tantum praesit, sed, magis, ut prosit, videlicet non uti subditorum fidei dominator, seduti adjutor assumitur. Idcirco *altus sedens non alta sapiens sis; sed humiliter de te sentiens,*

[1] S. Greg. Magn., *Regula Pastor.*, Par. II., Cap. 5.

humilibus consentiens.[1] Quod et Rectores boni agunt qui, quanto magis eorum potentiam exterius cernitur, eo tenuiorem de se ipsis opinionem fovent, ac quanto caeteros loco antecedunt, tanto maiori humilitate se ipsos deprimunt, ut omnibus serviant ac prosint, omnesque Christo lucrifaciant. Enimvero opus non dignitatem, labor non delicias, immo opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio, ecclesiasticum regimen est. Idcirco Servatoris Nostri verba Rector recolet: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri sit vester minister, et qui voluerit inter vos primus esse erit vester servus*[2]. Nullus enim ordo, nulla pax ubi superbia imperat; nam adeo ibi refrigescit caritas ut ruinae tantum contumeliaeque habeantur. *Domum*, enim *superbi demolietur Dominus*[3]; e contrario, *ubi est humilitas ibi est sapientia*[4], nam per humilitatis bonum Sancti Spiritus [Rectores] sedes fiunt, quem, dum in se mansurum recipiunt, eius donis plenius replentur. *Requiescam* [Sapientia ait] *super humilem et quietum et timentem sermones meos*[5]. Qui sibi displicet, Deo placet.

XI. — Obstacula difficulatesque fere omnes in regiminis ipsa condicione continentur, in qua perraro humilitas potestati copulatur. Nam multi sunt qui dum regimen ambiunt, humilitatis per vias se ambulare profitentur; quando vero ad illud cui inhiant pervenerint, sponsionis suae fortitudinem tenere praetermittunt; post acceptum Gratiae donum effluunt in passiones desideriorum, et super candelabrum constituti lumen in tenebras convertunt. *Omnis enim homo primum bonum vinum ponit, cum vero inebriati fuerint id quod deterius est*[6]; quot et D. Sapientia monet: *Est qui nequiter se humiliat, et interiora eius plena sunt dolo*[7]. Quod [certa quadam ratione] infirmitatis humanae condicioni consonum est. Nam in altum sedentes, non altum sapere perraro homines contingit; et si humana mens plerumque extollitur etiam cum nulla potestate fulcitur, quanto magis in altum se erigit quando ei etiam po-

[1] S. Bernard., *De Consideratione*, Lib. II, cap. 6.
[2] Math., XX, 27.
[3] *Prov.* XV, 25.
[4] *Ibid.* XI, 2,
[5] *Ibid.*
[6] Joan. XI, 10.
[7] *Eccles.* XIX, 23.

testas adiungitur. Sublimissima, ac propterea rara, vivendi ars est, culmen tenere et gloriam premere, esse quidem in potentia sed potentem se nescire! At legimus scriptum: *Respexit Deus humilitatem ancillae suae* [1], et Paulus ad Ephesios: *Ambulate cum omni humilitate* [2], qui et Milesiis valedicens quam sui regiminis humilitatem nil aptius ipsis memorare duxit: *Serviens Domino cum omni humilitate* [3]. *Memor humilitatis est* [D. commendat Grysostomus] *quia is qui praesunt maxime congruit, eo quod facillime in arrogantiam extolluntur* [4]. At si meditantibus quidem honores blandiuntur, tamen iuste pensantibus onera taedio sunt atque formidini.

XII. — Superbiae vero medelas paucis nunc recolere est:

a) Rectoris dignitas atque potentia ineptae superbiae causae sunt: nam *Rectorem te posuerunt? Noli extolli; sed esto in illis quasi unus ex illis* [5]: *non dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo* [6] legimus scriptum. Quin immo et Servator Noster profitetur: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt potestatem exercent in eis. Non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit maior fieri sit vester minister* [7]... — Dignitas insuper ac potentia non donatae sed mutuatae a Deo Ecclesiaque Rectori sunt: non personae igitur nec naturae, sed condicionis regiminis tantum qualitates ipsae exstant. Quid igitur glorieris de his quae non tibi, sed aliis debentur?

b) Bonum quod Rectoris in regimine habetur haud sufficiens superbiae causa est; nisi enim S. Spiritus fervor subditos attingeret, in sua insensibilitate frigidi remanerent, et *neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus* [8]. Potiusquam igitur illius Babiloniae ducis sequatur exemplum qui, se iactando, clamabat: *manus nostra excelsa et non Dominus*

[1] Luc. I, 48.
[2] IV, 7.
[3] *Act. Apostol.* XX, 19.
[4] Hom., 46 in cap. XX *Act. Apostol.*
[5] *Eccles.* XXXII, 1.
[6] I Petr., V, 3.
[7] Luc. XXII, 23.
[8] *I. Corinth.*, III, 7.

fecit haec omnia [1], cum Psalmista ac D. Bernardo humillimum illud Rector ingeminat: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: nobis miseris da veniam, da gratiam, tibi serva gloriam. Qui gloriatur, in Domino glorietur* [2].

c) Regiminis indignum se existimet Rector. Sancti enim viri quum praesunt non potentiam ordinis, sed aequalitatem conditionis attendunt, nec praeesse gaudent sed prodesse.

d) Obedientiae statum Rector praeferat, et quantum per suam condicionem licet, eum quoque exerceatur. Qua enim ratione in rerum natura cuncta ad centrum tendunt, ita et in Gratiae condicione ad humilitatem omnia pertrahuntur. Quod si in regimine [ut mox dicemus] humilitas cum auctoritate adeo copulanda est ut disciplina servetur, attamen Rectori tum subditos tum suos maiores Praelatos erga humilitatis obedientiaeque exercendae caussae haud desunt. *Aliquando enim subditis nos opportet animo esse humiliores, quoniam facta subditorum iudicantur a nobis, nostra vero iudicat Deus* [3]. Quoties enim nostrorum subditorum praeclara virtus nos humiliandi occasionem praebet! Obedientiam vero Praelatis maioribus Rectorem praestare eius sane conscientiae debitum est.

e) Ut suorum peccatorum poenam regimen ipsum Rector consideret. Etenim apte D. Gregorius ingeminat: *Pro culpis meis in occupationum exilium a facie Dominantis missus, quasi destructae Judeae vocibus cum propheta dico: Qui consolatur me, longe recessit a me* [4]. Sanctitatem enim sola gratia Dei confert miserentis, dignitatem vero, plerumque, iudicium irascentis. *Interdum dominatur homo homini in malum suum* [5] et Sapientia monet.

f) Propria errata, potiusquam clericis subditisque omnibus tribuere culpis, Rector sibi adiudicet: nam summi Viri dum de subditorum per-

[1] *Deuteronom.* XXXII, 127.

[2] S. Bernardus, *ad Pastores in Synodo* circa initium.

[3] S. Isidor. Hyspalens., *De Summo Bono*, lib, III, cap. 42, 1.

[4] *Epistolar.* lib. I, indict. 9, epist. 7, *Ad Anastasium Episcopum.*

[5] *Eccles.* VIII, 9.

fectione dubitant, solliciti valde sunt ne commissae sibi animae peccatorum suorum indigitatione ac manifestatione pereant, ac considerata rei immensitate deterruntur: *totum* enim *quod fecit populus Rectori tribuitur* [1]. Rector igitur redeat ad cor, ac in suae mentis sacrario positus, an propriae negligentiae, malo exemplo et officii omissionibus subditorum errata tribuenda sint, coram Domino, ipse consideret. Iudicia enim Dei imperscrutabilia sunt, et an amore, an odio dignus sit quis hominum novit?

g) Potentiae suae ne zelotipia laboret. Dignitatem enim non praesumentem, et humilitatem non vilescentem in regimine servare oportet. Si auctoritatis tutela suadenda est, zelotypia tamen abhorrenda semper.

h) Potentiam a persona, personam publicam a privata [aliqua saltem ratione] in se ipso seiungere Rector curet; nam haud semper quae primis debentur, et ceteris tribuuntur. Si enim *in medio fratrum Rector illorum cum honore* [2], attamen *Rectorem te posuerunt? Noli extolli, esto in illis quasi unum ex illis* [3] scriptum legimus. Idcirco Rector [Iob imitatus] dum foris potestatis culmen extollit, deiectionis foveam intus inveniat; scilicet si in honore coram subditis Praelatus est, in timore coram Deo prostratus sit.

i) Prosperitatem adversis saepe locum cedere Rector cogitet. Enimvero si vitae huius cursum veraciter attendamus nihil in eo firmum, nil stabile invenimus: sed quemadmodum modo per plana, modo per aspera viator graditur, ita nobis in hac vita manentibus nunc prosperitas, adversitas nunc occurrit, alternisque sibi succedentibus temporibus mutua se vice confundunt. Quod si omni in conditione, in regimine praesertim contingere videmus, illud iuxta Pöeti: *Saepius vento agitatur ingens pinus... feriuntur summos fulmina montes* [4]. *Quisquis* vero *dona percipit sed donorum tempore nequaquam etiam flagella pertimescit, in elationem per laetitiam corruit... Sic ergo utraque coniungenda sunt ut unum semper fulciatur ex altero, quatenus*

[1] S. Augustin., quaest. 146 *in Examer.*
[2] *Eccles.* X, 24.
[3] *Ibid.* XXXII, 1.
[4] Horatius, *Ars poetica.*

et doni laetitiam mordeat suspicio flagelli [1]. Ut igitur Rectores prosperis ne extollantur, non blanda usque ad voluptatem demulceant, nec lactis enerventur curandum est.

XIII. — Rectoris humilitatis conditiones in externas et internas dispesci possunt, prout sequitur:

A) Conditio externa fere una tantum est, nimirum:

a) Tum persona, tum morationis exteriores species tales sint ut non arrogantiam, sed simplicitatem praeseferant. Idcirco domi forisque ecclesiasticum decus adeo Rector servet ut neque exquisitae deliciae, neque affectatae sordes in eo appareant; quod ad Seminarii Rectorem quod attinet ex locorum circumstantiis plurimum dependet. Attamen *omni tempore sint vestimenta tua candida* [2].

B) Conditiones interiores sunt quae sequuntur:

a) Cum humilitate potentia coniungatur; nam *solerter intuendum est ne dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, solvantur iura regiminis, et dum Praelatus quisque plus quam decet se deiicit, subditorum vitam restringere sub disciplinae vinculo non possit* [3].

b) Humilitati fortitudo unienda qua, dum Rector bene agentibus est per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiae erigatur: quod et Apostolus cum Corinthiis, et Servator Noster cum Scribis ac Phariseis servasse legimus. Primus enim minatur: *Quid vultis, an in virga veniam ad vos?* [4]. Redemptor vero Noster, *praeter consuetudinem, facto de funiculis flagello, cum auctoritate maxima oves eicit et boves cathedrasque vendentium et columbas evertit ac nummulariorum aes effudit* [5]. Rectores igitur, sub humilitatis specie, silentium tenere timeant, maxime adversus disciplinae impugnatores, et contra illos qui fraudolenter incedentes, sub sanctitatis specie, virtutem conantur evertere: quoniam [ut infra opportunius explicabimus] gravissimum ex taciturnitate sua iudicium reportabunt. Viris enim fortibus qui strenue prae-

[1] S. Gregorius Magnus, *Moral.* lib. III, cap. 9.
[2] *Eccles.* IX, 8.
[3] S. Gregorius Magnus, *Regula Pastor.* Par. II. Cap. 6.
[4] *I. Corinth.* IV, 21.
[5] S. Laurent. Iustin., *De Instit. et Regim. Praelator.*, cap. 15.

liare proelia Domini valeant ecclesiastica institutio eget; canes muti qui haud latrent ipsi quam maxime infesti sunt. — Fortitudinis vero obiectum si quaeratur a nobis in disciplinae tutamine, in subditorum ingratitudine ac in tribulationibus ferendis contineri, per transennam, dicemus. — Media vero ad rem opportuna, divinum potius quam humanum judicium timere, ambitionis pecuniaeque fuga, persuasio quod regiminis obstacula haud semper omniaque a Deo proveniant, bonum exemplum ac linguae custodia sunt.

c) Bono cum nomine humilitas societur, *devitantes hoc ne quis nos vituperet in hac plenitudine quae ministratur a nobis. Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* [1]. Enimvero si nobis conscientia necessaria est, ut et aliis fama nostra integra sit necesse est; et ut Rectorem testimonium habeat boni nominis *et ab his qui foris sunt* [2] oportet. *Curam*, igitur *habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi et magni* [3]. Qua in re quam maxime advigilandum, nam *perditi homines bene viventibus detrahere, aut notam eis excogitati criminis infigere solent* [4]; malignantium linguas contra illos exacuunt, necnon multiplici exquisitae fraudis artificio Congregationem Sanctorum in theatrum, populum acquisitionis in fabulam saeculi, et scholam innocentiae in derisum transferre conantur. Quod Rectoribus praesertim evenire videmus; duce enim cadente latius disperditur exercitus qui sequebatur, sicut pastore percusso facile disperduntur oves. — Media vero ad rem haec sunt: malas devitare species, solitudinis cura, exercitium humilitatis in subditis, suae vitae testem habere, coeteros venerari, socios habere probos, dicteria omnia haud facile spernere, famam tueri ac, si opus est, illam et iudicialiter defendere. — Nec satis; nam nihil impedit quo-

[1] *II. Corinth.*, VIII. 20 et 21.
[2] *I Thess.* IV, 11.
[3] *Eccles.*, XLI, 15.
[4] S. Gregorius Magnus, *Moral.*, Lib. III, cap. 8.

minus *quando proximorum utilitas ac necessitas cogat* [1], et bona a Deo accepta hominibus commonstremus, quo evangelicum illud impletur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est* [2]. Enimvero quod non videtur idem est ac non sit; non solum igitur sapere, sed [occasione data] ut interdum et coeteri te scire cognoscant curandum est.

XIV. — Conclusionis ergo S. Laurentii Iustiniani ad rem verba recoluisse iuvabit: *Da, quaeso, Rectorem corde humilem, ipsumque invenies constantem in opere, lactum in corde, in sermone eruditum, compositum in moribus, in se pacificum, iucundum in facie, in regimine providum, et in omni sua actione discretum. Habet quippe Paracletum in se, dirigentem se, se protegentem atque docentem* [3].

Articulus II.

De Seminarii Rectoris regularitate ac patientia

§ II. — De Eius regularitate.

Summae Rerum. — XV. Quo Rectoris regularitas contineatur. — XVI. De residentia eiusque partibus — XVII. Quae in re servanda ratio. — XVIII. De bono exemplo subditis clericisque praestando. — XIX. Argumenta ad rem recoluntur. — XX. Ad rem media recensentur — XXI. Conclusio.

XV. — Seminarii Rectoris [uti aiunt] regularitas, ad argumentum nostrum quod attinet, in eius residentia et bono exemplo subditis praestando continetur, et de utroque breviter agendum.

XVI. — Ad residentiam quod spectat ut *ab omni onere residendi Seminarii Rector solutus sit* [4] D. iubet Carolus. Et recte sane, nam [quidquid quidam in contrario autument] ab eo qui vel ad tempus, vel [eo magis] or-

[1] S. Gregorius Magnus, *Homeliar. in Ezechiel.* Lib. V., homel. IV.
[2] *Math.* V.
[3] *De Institut. et Regim. Praelator.* cap. 13.
[4] *Institut.* Par. II. Cap. 2.

dinaria ratione et consueto more, alibi quam in Seminario residere cogatur, Rectoris munus nullo modo recte expleri potest. Idcirco:

a) Quoad temporariam extra Seminarium residentiam, ne Sacri Instituti Praepositus ullum aliud negotium vel munus extra Seminarium exerceat quo frequenter nimis ab illo abesse cogatur, valde satagendum est. Quapropter ne suae absentiae noxam Seminarium persentiat, tum sacerdotalia crebra nimis ministeria, tum nimis frequentes huc illuc peregrinationes omittenda sunt. An vero canonicum, uti aiunt, effectivum in Rectorem eligere deceat controvertitur. Ad quam quaestionem enucleandam [nostra quidem sententia] honorem ab onere seiungere oportet. Enimvero si primus spectetur, ut Rectoris auctoritas apud alumnos ac dioecesis clerum honoretur, valde hoc convenire patet. Si, e contrario, onus perspicitur, quum canonicus activus a Seminario saepe abesse cogatur, secus tenendum putamus. Coeterum huius quaestionis solutio a Seminarii momento aliisque locorum conditionibus plurimum dependet.

b) Quoad stabilem vero residentiam, an Rector qui habitualiter extra Seminarium commoretur perarduo muneri suo recte satisfacere valeat cordati viri dicant. Neque ad multa graviaque mala quae ex hac agendi ratione habentur devitanda, officialium operam in medium proferre licet; nam medio in grege commorari Pastor tenetur, ut per se, directa ratione, eius mores agnoscere necessitatibusque eius consulere possit. De cetero Seminarii regimen primario Rectori commissum est: secundario vero officialibus. Demum [ut experientia monet] quamvis quum Rector absit, qui vices eius fungatur adsit, de facto subditi sibi ipsis, ut plurimum, relinquuntur. Sacri igitur Seminarii Rector, ordinariis in adiunctis, intra Sacri Instituti septa commoretur, nec ab eo, nisi urgenti de causa, discedat. Si quis vero [quavis ratione, aut titulo] frequenter nimis ab illo abesse cogatur, ne nomine tantum, minime vero de facto, Seminarium Praepositum habeat, talem Praelatum a munere amovere praestabit. Siquidem, quum inimicus homo continuo circumdet et *quaerat qualiter ovibus curam Pasto-*

ris subripiat dum non est qui eripiat[1], *Pastorum absentia lupis invadendi gregis occasionem praestat.*[2] Nec ad hanc libertatem sibi aucupandam praetextus qui in re adduci solent valent; nam nec apostolica ministeria, nec vitae solatium, nec ut amici adiumentaque Seminario comparentur in re aliquid valet. In primis enim et ante omnia Sacri Instituti regimen curandum; postea vero [si per tempus liceat] ab his omnibus qui coelestes benedictiones sibi aucupare inhiant [recta ratione] coetera peragenda sunt. — Quidquid vero sit, quum necessitas aliud suadeat, nisi consulto ac adprobante Episcopo numquam Rector Seminarii a civitate discedat; quod et D. Carolus cavet quum nec coeteris Seminarii Officialibus, absque Rectoris venia, a civitate abeundi licentiam permittat.

XVII. — Attamen ut suo muneri reapse Rector satisfaciat, ut eius in Seminario residentia non ociosa sed actuosa sit oportet. Secus enim, quamvis inibi resideat corpore, revera corpore et spiritu aberit. Qui immo, si dum Rector abest coeteri officiales eius praesentiam operamque supplere studeant, quum, e contrario, adest [ne eius provinciam usurpentur] omnino se abstinent; quo fit ut ociosa praesentia eo magis perniciosa sit. Suo igitur muneri in omnibus et circa omnes [prudentiae legibus servatis] in primis et ante omnia Rector consulat; coetera vero quae vel leviter, immoderata ratione, ab officio nimis eum distrahere et intra Seminarii septa possunt, sedulo devitet. Quamvis enim haec omnia nimia prima fronte videantur, attamen si Seminarii excellentissimis finis spectetur, haud nimia reapse censenda sunt. Qui secus teneat, tristi sane experientia plura docebitur.

XVIII. — At si Seminarii Rectori residentia necessaria est, multo magis bonum exemplum ab ipso requiritur; nam prima absque altero nequior censenda est. Cuius rei necessitas et a D. Carolo, a Leone PP. XIII, et a S. Congregationis decreto perbelle enuclea-

[1] S. Bernard., Epist. 82. *ad Abbat. Carnotense.*

[2] S. Atanasius, *Apologia ad Constantinum.* - Cfr. *Concil. Trid.* Sess. 6, cap. 1.

tur. S. enim Mediolanensis Archiepiscopus in primis et ante omnia Rectori Seminarii praecipit: *Ut qui illius fidei commissi sunt eos e Seminario fructus percipiant quos Ecclesia Sancta ac Tridentinum praecipue Concilium sibi proposuit, quam diligentissime curet ut in se ipso ad vivum virtutes exprimat quas in clericis requirit, ita tu qui illi subiecti sunt, in eo, tamquam in speculo, expressam videant eius vitae imaginem quae illis, omni studio, sit effingenda. Memineritque exemplum vivam esse doctrinam, nec sibi minus cum taceat quam cum loquatur esse alios ad pietatem incitandos* [1]. Omnino igitur apte in S. Congregationis decreto scriptum habetur: *Unusquisque e Moderatoribus sui muneris momentum ac dignitatem sedulo perpendat, et ut assequatur, fidelitate, zelo ac constantia omni contendant nisu. Praeterea Leonis s. m. XIII verba Italiae Episcopis habita omnes prae oculis habeant. Maxime interest ut ad instituendos Seminarii alumnos iuxta vivam D. N. I. C. immaginem, quod tota complectitur ecclesiastica institutio, moderatores ac professores cum diligentia peritiaque sui officii exemplum vitae omnino sacerdotalis coniungant. Integrae vitae ratio superiorum vox est maxime iuvenibus eloquentior ac sudentior ut in eorum animis proprii muneris persuasio ac boni amor inspiretur* [2]. Quae omnia si de Seminarii officialibus omnibus a Legislatore peritissimo memorantur, multo magis de Rectore ingeminanda sunt, qui, quum coeteris praesit, ut exemplo virtuteque coeteros praecellat omnino necesse est.

XIX. — Argumenta vero bonum exemplum a Rectore praebendum suadentia ita complecti possumus.

a) Boni exempli debitum in Rectore gravissimum est; nam *bonis subditis bene vivere ad salutem sufficit, Praelatis vero propria vita non sufficit*, [3] et ad bonum exemplum clericis praebendum, non ex caritate

[1] *Institut.*, Par. II, Cap. 2.

[2] Art. c. 24 — Encycl. *Fin dal principio*, ad Episcop. Ital., die 8 dec. 1902.

[3] S. Gregorius Magn., *in I. Reg.*, Lib. II, Cap. 3.

tantum, sed et iustitia quoque [publica uti persona] Praepositus adstringitur. Subditi enim omnes ac [certo quodam modo] eo magis clerici [qui, cum altiori vitae instituto parantur, et copiosoribus adiumentibus indigent] non solum verbo, sed et opera custodiendi, instruendi, sanandi, salvandique sunt. S. Congregationis decretum uti *totius vitae Seminarii centrum ac caput* [1] [iure meritoque] Rectorem coelebrat: at si caput in corpore nutat, ut et totum corpus nutet necesse est. Rector igitur sui muneris gravitatem ac momentum, coram Domino, sedulo consideret, et an eius obligatio boni exempli officialibus clericisque omnibus praebendi levis sit ipse dicat.

b) In Rectore boni exempli partes non tantum negativae, sed et positivae sunt. Neque enim *ab eo qui hanc curam suscepit hoc solum requiritur ut malus non sit...; verum etiam ut virtute praestet, iuxta illud Scripturae praeceptum, quo declinare a malo et facere bonum iubemur* [2]. Insuper quisquis in schola Christi non proficit recedit, quo fit ut, eo ipso, malum exemplum ipse praebeat.

c) Rectoris boni exempli mensura magna est; nam *qui loci summi necessitate adigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare* [3]. Communium igitur virtutum exemplar subditis praebere Rectorem haud sufficit, qui cum in alto sedeat, adeo inusitatum subditis ipsis exemplum esse adstringitur, ut non solum eius actio sit utilis, sed etiam singularis oportet. *Imperantem* enim *omni luminari splendidiorem esse oportet, in quibus luceat sicut luminaria in mundo* [4].

d) Coeteris coram omnibus se esse Rector consideret. *Supra candelabrum* enim *ipse stat et, etsi velit, non potest dissimulare quod est, et lumen eius vel fumus eius ab omnibus videatur necesse est* [5]. Enimvero, nam subditorum vitia fere nemo cognoscit, Rectoris defectus

[1] Artic. 25.
[2] S. Gregorius Nazianzen., *in Apologiam.*
[3] S. Gregorius Magnus, *Regula Pastoral.* Par. II, Cap. 3.
[4] S. Gregorius Nazianzen., *loc.cit.*
[5] Petrus Blessens., *Epistol.* 5.

omnes aspiciunt, et eius dicta vel facta in ore subditorum fabula sunt.

e) Opera sua sicut leges a subditis haberi Rector attendat. *Solet* enim *subditorum turba Praefectorum sibi mores ceu archetipum et quamdam imaginem spectare, seque ad illorum formam efficere* [1]: quin immo *haec est conditio Principum ut quidquid faciant praecipere videantur* [2]; non enim *Praepositorum opera subditi adprobare videntur nisi hisce similia eos agere videant* [3]; quod et a pervulgato aphorismate, *Regis ad exemplum totus componitur orbis* satis confirmatur. *Quemadmodum*, idcirco, *ipsorum praeclara gesta multis prosunt ad simile studium evocantia, sic et eorum vitia alios ad virtutis exercitium, segniores efficiunt, et ad bonorum operum laborem torpere faciunt* [4]. Rectoris igitur animus adeo virtutum pulchritudine splendescat ut subditorum omnium, ac praesertim clericorum, mentes ac corda oblectari simul ac illustrare, allicere ac movere possit.

f) Rectoris verba si exemplo haud confirmentur, omnino vana esse pro certo ipse habeat. Tunc enim adeo operibus verba confundit, ut pervulgatum illud: *Medice cura te ipsum* subditis iterare fas sit.

g) Suas culpas graviores quam subditorum esse Rector consideret. *Vulgarium* enim *hominum peccata, quasi in tenebris perpetrata, peccantes solos perdunt: viri autem illustris et multis cogniti scelus, commune omnibus affert detrimentum... Non enim facti magnitudinem, sed peccantis dignitate peccatum omnes metiuntur* [5] Insuper Rector cui plus quam coeteris gratiae tribuitur, et plus quam coeteris tum Deo, tum subditis reddere tenetur. — Tamdem non tantum suae, sed et subditorum animarum curam gerere ipse debet, et si eas, perversa agendi ratione, a recto detrahat tramite, tot mortibus dignus est quot suae perditionis exempla ad subditos trasmittit.

h) Se ipsum e lapsibus redimere difficilio-

[1] S. Gregorius Nazianzenus, *in Epistol. ad Tit.*
[2] Quintilianus, decl. 4.
[3] Ioseph. Part. 4.
[4] S. Ioan. Chrysostom., *De Sacerdotio*, lib. III, Cap. II.
[5] *Id.* Ibid. lib. VI, cap. II.

rem esse Rector attendat; nam *difficile esse Principi regredi ad melius si vitiis fuerit implicatus*[1] scriptum legimus. Quum enim numerosiores fortioresque peccandi occasiones Rector habeat, etiam maioribus potentioribusque se redimendi obstaculis ipse subiacet. Auctoritatis potentia, adulationes, fallaciaeque sine numero quibus obnoxius ipse est, erroris relinquere viam ac ad meliorem se recipere frugem perdifficile illi negotium efficiunt.

i) Quod subditis vetitum sit, numquam sibi licere Rector putet; nam *pulcherrimus ordo est ut onus quod portandum imponis, tu portes prior, et ex te discas qualiter oporteat aliis moderari. Alioquin subsannabit te Sapiens utpote pigrum illum cui labor sit manum porrigere ad os*[2]. Enimvero *suavis lex populo illa est cui legislator ipse primum obedit*[3], et, e contrario, *vanae leges quas Princeps qui promulgat non etiam exemplo suo et vita firmat et corroborat*[4]. *Rex et lex* [quidam dixit] *una tantum discrepant littera*[5], et qui recte docere cupit, anteire subditis exemplo debet, quo brevius aptiusque ad virtutem eos deducere valebit. Rector igitur non ex eorum sit agmine qui tum sibi, tum subditis indulgentes nimis se habent, neque eorum qui sibi et coeteris rigidiores sunt, neque, tandem, coeterorum qui sibi indulgentes, subditis vero duros se exhibent, sed ex his, demum, qui ceteris benigni cum sint sibi vero rigidi extant.

XX. — Si vero quaenam ad rem media Rectori proficere possint quaeratur, in sui muneris legum observantia summatim ea contineri respondebimus. In hac enim perfectionis suae status praeclaram summulam, contineri omnes concedent, cui si adhaereat, tum quae in ecclesiastico, tum quae in Seminarii Rectore requiruntur ipse praestabit. Quae vero hae leges sint partim iam vidimus, et [per tractationis cursum] occasione data, partim indigitabimus.

[1] Isidor. Hyspalensis, *De Summo Bono*, lib. III, cap. II.
[2] S. Bernardus, Epist. 101, *ad Balduin. Abb.* — Cfr. *Prov.* XXI, 25.
[3] Saavedra, *Idea Principis Christiano-Politici*, Cap. 21.
[4] Id. Ibid.
[5] Id. Ibid.

XXI. — Conclusionis ergo D. Gregorii praeclara monita recoluisse iuvabit: *Oportet Rector... sicut honore ordinis coeteros superat, adeo etiam morum exemplique virtute eos transcendat ut quidquid populus de bono opere sibi vult proponere in sua conversatione valeat commonstrare*[1]. Quod [iterum iterumque admonemus] praesertim iuvenili in institutione locum obtinet: iuvenes enim, potiusquam verbis, exemplis ad bona melioraque trahuntur. *Quia igitur, dilectissimi, non modo sacerdotes, sed et sacerdotum vos esse decet Magistros, necesse est ut rita vestra quaedam sit linea et velut adamantis signaculum quod vivendi clericis adhibeat formam*[2].

§ II. — De Rectoris patientia.

Summae Rerum. — XXII. De huius virtutis in Rectore necessitate. — XXIII. Praecipuae patientiae causae recoluntur. — XXIV. Impatientiae mali in regimine fructus recensentur. — XXV. Quae in tribulatione positis solamina esse possint. — XXVI. Quomodo in tribulatione Rector se gerere debeat. — XXVII. Conclusio.

XXII. — Quamvis omnes in hoc terrestri exilio peregrinantes a Domino, ut huius vitae cursum faciliter feliciterque compleant et coelestem Sanctae Patriae beatitudinem assequantur, patientia egeant, his attamen qui coeteris praesunt, ut saeculi aerumnas et sui regiminis difficultates apte sustinere feliciterque superari valeant, multo profecto magis necessaria est. Enimvero quo condicio munusque altior, contumaciae, invidiae, detractionibus telis fortius impetitur. *Omnes* enim *circumstant parati ut vulnerent ac deiciant, non modo ex inimicis multis, sed etiam* [Rector meminerit] *ex his qui amicitiam simulant*[3]; quo fit ut si aliquando *potentes adversarii potenter eos deprimant*, interdum et *falsi fratres eos sapienter feriant*[4]. Idcirco Rector

[1] *In I. Reg.* Lib. IV, cap. 4.
[2] S. Petrus Damiani, *Epistolar.*, Lib. I. Epist. *ad S. R. E. Episcopos Cardinales.*
[3] Ioann. Chrysostom., *De Sacerdotio*, Lib. III, cap. II.
[4] S. Gregorius Magnus, *in I. Reg.* Lib. V, cap. I.

qui Seminarii navem regendam suscepit, quanto procul a littore discedit, tanto amplius, cum illi quibus nulla navis cura commissa est, quiescunt, ut vigilet necesse est, ea quippe vigilantia quae maximum patientiae exercitium requirit. Tanto maius enim tribulationis pondus ipse sentiet, quanto minora auxilia, ab omnibus, sibi expectare licet.

XXIII. — Patientiae exercitationis seu discriminis causae tum generales, tum peculiares habentur:

A) Generales ad unam redeunt quam Psalmista indigitat dum clamat: *Detrahebant mihi quoniam sequebar bonitatem* [1]. Insuper [uti iam diximus] cum in alto Rector sedeat, et altius coeterorum passionum iaculis impetatur necesse est. *Saepius* enim *feriunt summos fulmina montes* [2], sicut Venosinus cecinit.

B) Peculiares causae quae heic recoli possunt sunt quae sequuntur:

a) Iudicii ac voluntatis diversitas qua, ad eamdem adipiscendam metam, varias per semitas inceditur; *quot* enim *capita tot sententiae*. Nisi igitur abnegationis obedientiaeque virtutes multo accedant, quidam [quod sane peius est] putantes se obsequium praestare Deo, tum infra, tum extra Seminarii septa innumera tribulationis argumenta Rectori comparare conabuntur.

b) Regiminis ipsi officia qui multam vigilantiam emendationemque expostulant in re plurimum influunt. *Si* enim *iniuste agentibus aut unquam per silentium* [Rector] *cederet, aut per rectitudinem non contineret, profecto adversarios non haberet; sed in eo quod via vitae tenet exploratores suae mortis invenit* [3]. Sicut enim tabernaculi tectum ut interiora pulchra nitidaque remaneant, pulveres et imbres ventorumque in se impetus recipit, ita Superiores qui fideliter a peccati turbine subditos defendere nituntur, ut diversarum adversitatum ictus in se recipiant necesse est. Quae cum ita sint, oratione ac mortificatione, ad diuturnum ac fere continuum patientiae certamen Rector se praeparet. Il-

[1] Psalm. XXXVII, 61.
[2] Ars poetic.
[3] S. Gregorius Magnus, *Moral.* Lib. XIII, cap. 4.

lusionibus locum haud ipse cedat, et dum prima fronte per laetas semitas sibi incedere videatur, e contrario, per aspera Calvariae itinera statim incessurum esse pro certo ipse habeat. Hominum, ac praesertim Praelatorum, vita super terram reapse militia est!

XXIV. — Patientiae in Rectore necessitas facile evincitur, quum qui hac caruerint virtute exanime tamquam corpus, navis sine ductore [omnibus ventorum sollicitudinibus obnoxia] mare cunctis naufragiis patens habendus sit. Apte idcirco Apostolus Hebraeis recolit: *Patientia vobis necessaria est*[1], qua tantum ad victoriae bravium feliciter pervenire possumus. — Attamen ad rem nostram quod pressius attinet, et aliud peculiarie huius virtutis in Rectore necessitatis argumentum recolendum est nimirum, patientia carentibus sociale, ecclesiasticum ac iuvenile regimen penitus impossibile evadit. Non sociale regimen, quia vir huiusmodi, eo ipso quia impatiens, socialem vitam deserit: nec ecclesiasticum quia cum adversitatem suscipere animus non valeat, adeo potestate abutitur ut, potiusquam dulciter flectere, frangat, et omnibus odiosus et perniciosus vir impatiens evadit. Tandem nec iuvenilem institutionem vir impatiens recte peraget, quia, praesertim iuvenes [aetatis causa] ut plurimum, patientiae expertes, adeo longanimitatem multam ac infinitam prope patientiam desiderant, ut recte *ars patientiae ac amoris* a quodam appelletur. E contrario, tum subditorum aestimationem, tum eorum amorem [quo facilior regimen redditur] huius virtutis gratia Rector sibi comparabit, et patientia fere inexpugnabilis ipse erit, ac difficilia facilia ipse reddet. Ne dicam de spiritualibus utilitatibus quas ex patientiae exercitio capessere licet, quum per illud rectae intentionis cura, vigilandi in se occasio, humilitatis exercitatio, et offensarum subditorum remissio comparetur, de quibus vitae spiritualis cultoribus dicere est.

XXV. — Argumenta solaminis in tribulationibus Rectori recolere haud inutile erit. Idcirco:

[1] X. 36.

a) Omnes homines esse Rector meminerit. Enimvero *in omni gradu et ordine optimis permixta sunt pessima* [1], *in omni proposito boni et mali reperiuntur* [2]. Aetas enim, institutio, vitae professio, habitusque homines in angelos numquam commutare possunt: quae omnia eorum passiones mitigare quidem, at haud tamen radicitus evellere valent; quin immo [ut verius loquamur] saepe nimis [quod numquam satis dolendum] eas acuunt molestioresque reddunt. Illusionibus igitur nullo modo serviendum, sed [genuinam humanitatis condicionem spectando] homines uti reapse sunt, non uti desiderantur, habeantur.

b) Contradictiones pars et haereditas omnium sunt; nam, numquam tuta pax, numquam tuta quies, ubique bella, ubique hostes omnibus sunt: et uti granum sub paleis premitur, flores inter spinas prodeunt, et rosa quae redolet crescit cum spina quae pungit, adeo huius vitae tribulatio mortalibus comes est, ut *beatior qui minus urgetur malis* [3] censendus sit. Vitae curriculum [diximus iam, at numquam satis dictum] crucis via revera est, qua Gethsemani proditionis, Praetorium periurii, vigiliam ignominiae, Calvarii supremam contumeliam [ingrata plaudente turba] fere omnes patiuntur. Quod praesertim his qui virtutis veritatisque vias sectare nituntur et per eas coeteros regunt, evenire consuevit. At sursum corda; nam *qui pie volunt vivere in Christo Iesu persecutionem patientur* [4] Apostolus nos docet, *et si compatimur et conglorificabimur* [5].

c) Neque omnibus satisfacere se posse Rector putet; nam *credis te evadere quod nullus mortalium potuit praeterire?* [6] Quod enim Deus, Servator Noster, Angeli Sanctique omnes haud assequuti sunt, quomodo tu tibi polliceris? Bonos igitur spectare, coeteros vero *sinite abire, coeci sunt et duces coecorum* [7]. Si eorum enim sententiis accesseris, quum per impiorum semitas incedere cogaris, Deum apud et Ecclesiam, infandi periurii reum te constitues.

[1] S. Bernardus, *De Ordine Vitae*, cap. 12.
[2] S. Gregorius Magnus, *Epist.*, lib. IX. Indict. 4, Epist. 45 *ad Theoctistam*.
[3] Horat. *Od. III.*
[4] *Ad Tit.* I, 11.
[5] *Ad Roman.* VIII, 17.
[6] *Imitat. Christ.* Lib. I, Cap. 12.
[7] Math. XV, 14.

XXVI. — Quomodo vero in tribulationibus Rector sese gerere debeat indigitamus paucis. Itaque:

a) Consideratione ac actione praeveniat ac provideat. Idcirco [ad rem nostram quod attinet] alienis in negotiis in quibus nil ad eum pertinet ne se immisceat Rector; nimis frequenter fortiterque subditis contraire ipse devitet; ex tempore ab agendis ipse recedat, et quae agenda obeundaque sint, sedulo et in tempore, Rector prospiciat. Uno verbo, semper et cum omnibus adeo prudenter Rector agat ut neque coram Deo, neque probis coram hominibus imprudentiae notam ipse incurrat.

b) Ad Deum Rector confugiat; nam posteaquam quae prudentia iubet peracta sunt, ut quae humanis auxiliis haud pertingere licuit, supernis assequatur, ad divinum auxilium recurrendum est. Quod et D. suadet Augustinus monendo: *In omni tribulatione ad Deum confugiendum*[1].

c) Ad homines quoque electos Rector confugiat, ut solamen, consilium, adiumentum, remediumque sibi comparet. Omnes enim qui per huius vitae asperas semitas incedunt plus minusve solamine indigent: ad plura extricanda consilium perutile evadit, et interdum versutorum inimicorumque superbia tanta est ut si quis benevolo nimis animo utatur, potiusquam eos emendare, ad maiora incitare videatur.

d) Tranquillo se animo habeat; nam ubi est patientia ibi fortitudo ac laetitia est, et *patientiae comes est sapientia non famula concupiscentiae*[2]*; aequam* igitur *memento rebus in arduis servare mentem*[3]. Ad hoc efficiendum oportet ut omnis nostra apprehensio, imaginatio, ac appetitus rationi obediant, eamque neque praecurrant, neque superent, sed sequantur, ex quo pacto perturbatione carebimus et moderatio elucebit. Secus enim, non dispositi in iudicio sed praecipitati in perturbatione, potiusquam flectere frangimur, ac nos coeterosque nobis commissos in errorem pertrahimus.

e) Neque animum demittat Rector, nec de regimine dimittendo cogitet; nam hoc onus anima-

[1] *In Psalm.* XLV, n. 1.

[2] S. Ambrosius, *De Officiis Ministr.* Lib. I, cap. 38.

[3] Horatius, *Odar.* Lib. II, od. 6.

rum est infirmarum. — Nec, ut plurimum, ut tribulationem aufugiat mutare locum Rector autumet; loca enim mentem nec muniunt, nec mutant, et ubique adversitates inveniuntur. Secus se ibi defecisse ubi fortius erat standum cum angustia spiritus ingemiscet, nec ullam alibi inveniet requiem. Sursum igitur cor Rector attollat; nam *accipient oleum post vinum vulnera eius*[1], et si mirabiles sunt elationes maris, mirabilis in altis Dominus qui procellas convertit in auram et indignationem in gratiam. *Animum* ergo *tuum adversitas non deiciat, sed accendat, audentiorem te in omnibus vigor sacerdotalis ostendat: nam vera documenta veritatis sunt promptiorem in duris et fortiorem se quemquam in contrariis exhibere*[2]. Secus enim, dolore impatientiaque fractus, quae apostolatus in clericorum institutione sunt fructus posthabebis, neque tolerantiae ac oblivioni, amoris ac beneficii, immo sanctae exultationis locus erit.

XXVII. — Conclusionis instar sapientissima D. Gregorii monimenta et heic quoque recolere iuvabit, qui ad rem ait: *Bonus Pontifex in tribulatione seminat quod in gaudiis metet...; tribulatio pulsat nec frangit, impellit nec movet, quatit non deicit, et de nostra infirmitate sentimus quod quatimur, et divino amore esse quod stemus*[3]. Rector igitur, quin pati fortia reformidet, *aut pati aut mori* D. cum Theresia clamet, vel [perfectius] illud Magdalenae de Pazzis *non mori sed pati* ingeminet. Hoc eius sacerdotalis status requirit, hoc ecclesiasticum regimen postulat.

[1] S. Bernard., Epist. 136.

[2] S. Gregorius Magnus, *Epistolar.* Lib. VIII, indict. I, epist. 24 *ad Sabinian.*

[3] *Id. Ibid.* Lib. XIII, indict. 6 Epist. 21, *ad Narsetem.*

Cap. II.

De Rectoris charitate ac prudentia.

Postquam de Rectoris erga Deum sanctitate diximus, ut de charitate quae Seminarii Praepositus erga homines exercere debet disseramus, nostrum est. Prima enim sine altera in regimine imperfecta est; quum praecipuum divinae charitatis effectus eius charismata in subditis effundere peculiare eius munus sit. Charitas enim in proximos ut verae huius virtutis notas mereatur ab illa in Deum, uti effectus a causa, promanare debet.

Articulus I.

De eius charitate.

§ I. — Quae, generali ratione, in re recolenda sint.

Summae rerum. — XXVIII. De huius virtutis in Rectore necessitate. — XXIX. Huius charitatis causae. — XXX. Eius qualitates recensentur. — XXXI. De huius charitatis obiecto.

XXVIII. — De huius virtutis in Rectore necessitate disserere vix locum est. Enimvero *si per alias virtutes formam sanctitatis accipimus, per ipsam charitatem nos quasi mirabili decore vestimus* [1]. Idcirco, quamquam caeteras virtutes in Rectore necessariae sint, charitas tamen primas inter illas obtinere partes decet. Secus, potiusquam ecclesiastica, prophana subditi regerentur ratione, et quamvis a saeculi servitute vindicati, ab his qui, ex conscientiae officio, ecclesiastice eos regere tenentur, saeculari more regerentur, quod prorsus nefas iniustumque est. Quae in clericorum praesertim institutione locum obtinent, in qua sacrorum alumni [imbecillis aetatis causa] potiusquam ratione, amore trahuntur. Idcirco

[1] S. Gregorius Magnus, *in I. Reg.* Lib. V, Cap. 3.

nos quos pastoralis curae constringit officium diligamus filios nostros, circa nos copulemus affectu[1]*; hoc amore liquefiant boni corda Rectoris. Haec profecto est spiritualis meta ad quam pastores animarum alacri animo, prudenti consilio, perseverantique debent intentione festinare ut, suae perfectionis bravium apprehendere queant*[2]. Rectoribus praesertim dictum est: *Discite subditorum matres vos esse debere*[3].

XXIX. — Huius in Seminarii Rectore charitatis causae [ad argumentum nostrum quod attinet] sic breviter perstringi possunt:

a) Sacrorum alumni a Deo et Ecclesia uti pupilla oculi habentur: et recte sane, quum Ecclesiae status ac eius incrementum fere omne ab ipsis dependeat. Eius sancta spes, subsidium, columen, decus ornamentumque ipsi sunt, circa quos materna illius sollicitudo ac pene infinitus amor [fere ab incunabulis] tam multa tantaque operatur ut vere sancti, vere docti, vere morigerati in Seminariorum amoenis hortis crescant, et uti lilia suavissimum in tempore odorem suum in populo sancto Dei effundant. Quum vero Rector apud clericos nil aliud quam Ecclesiae vices gerat, ut ipsos indicibili pene amore prosequatur recta huius muneris ratio requirit. Clericis enim, uti sanctae Apostolorum progeniei, aliquomodo dictum esse: *Vos amici mei estis*[4], putare debemus.

b) Clerici odio saeculo, ut plurimum, sunt, quum et pro ipsis quod de omni christiana plebe et populo sancto Dei legimus scriptum, *quia vos de mundo non estis, propterea odit vos mundus*[5], iure meritoque intelligere possumus. Sacri enim exercitus tirones [cui Dei Ecclesiaeque castra defendenda commissa sunt] clerici sunt qui, Ecclesiae sub magisterio, ad apte proelia Dei proelianda instituuntur, et, eo ipso, malorum hominum persecutionibus subiiciuntur.

[1] S. Gregorius Magnus, *Epist.* Lib. 6, indict. 14, Epist. 64 *Ad Dominic. Ep.*

[2] S. Laurent. Iustin., *Op. et loc. cit.*

[3] S. Bernardus, Sermo 23 *in Cantic.*

[4] Matth., VII, 7.

[5] Ioannes, XV, 29.

c) Clericorum aetas multum amoris requirit ut per sanctitatis, scientiae, virtutisque semitas deducatur, ut harum virtutum semina in cordibus germinent, ac, in tempore, bonum suavemque odorem reddant. Quid enim adolescentes et iuvenes, nisi fere irreflexivae [uti aiunt] creaturae, sunt, quae, potiusquam ratione, amore poenisque trahuntur? Quum vero quidquid redargutionem vel castigationem ac timorem sapit postrema institutionis ratio habendum sit, [fere numquam, ut plurimum, in Seminario adhibenda] amoris in re necessitas apte evincitur, qui si deficiat labore multo, fere nullus genuinus fructus Ecclesiae Sanctae Dei comparabitur. — Insuper ut Sanctuarii alumni quamdam gratiam remunerationemque pro iacturis, gravibus illis quidem ac in ea aetate et vitae condicionem gravioribus nec facile perferendis, quas in ipso experiuntur Sacro Instituto persentiant, ipsa iustitiae virtus expostulare videtur. Sane quidem a dilectis parentibus charisque suis diutius seiuncti, aliena voluntate vel in minimis obligati, studiorum negocia et difficultates pro laetis lusibus [quod summopere adamant] vix ferre possunt; nec, immo, nisi summa dilectione adlecti, quae maternae sollicitudinis, charae libertatis, iucundae demum vitae quam iis natura pollicebatur non solum locum teneat, sed immo vincat et superabundet, his ceterisque vitae communis incommodis nequaquam libenter acquiescerent. Ceterum hoc ipsius Ecclesiae menti profecto consentaneum et congruum omnino principium est; adeo enim cultura mentis absque intima cordis institutione [quae nonnisi germana sanctaque Institutorum omnium dilectione obtinetur] frustra, immo in perniciem cedit, ut Seminaria in quibus suavis haec amoris lex sanctissime non dominetur vix menti concipi possunt; ac si [malo fato] etiam in re habeantur, nonnisi [Institutores omnes meminerint] in perniciem et in ruinam multorum posita sunt.

XXX. — Huius vero in Rectore charitatis notae nunc recensendae sunt, quae ab Apostolo, generali ratione, indigitantur quum docet: *Charitas patiens est, benigna est, charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniqui-*

tate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet [1]. Ad rem vero nostram pressius:

a) Rectoris charitas sincera sit; nam *melius est, mihi videtur, praelaturae nullam charitatem habere quam fingere* [2]: et merito, quum ficta et commenticia charitate nil deterius haberi possit. Tunc enim, loco fiduciae, adeo diffidentia odiumque subditorum in cordibus germinant ut obedientiae hypocrisi, charitatis hypocrisi vices ipsi rependant. Haec igitur charitatis pernicies a Seminarii septis absit, oh! procul absit, et sincere fortiterque a Rectore Officialibusque omnibus clerici diligantur semper; qua tantum ratione quae sacrorum in alumnos eorum munera et officia sunt sedulo recteque adimplebunt.

b) Rectoris charitas adeo in omnibus se diffundere debet *ut non unus plus ametur quam alius, nisi qui in bonis actibus aut obedientia inventus fuerit melior.* [3] Enimvero Seminarii Rector ad Sacrum Institutum ita se habet ut corpori cerebrum quod totum movet, uti sol qui lucis suae radios tum super bonos, tum super malos diffundit, ut caput, cui omnia corporis membra aequali ratione chara sunt. Omnes enim filii Dei, Sanctae Ecclesiae spes, Sanguinis Christi pretium clerici sunt, ac de omnibus, tremendo iudicii in die, districtam rationem reddere Rector debet. Nam *iudicium durissimum his qui praesunt fiet* [4]; legimus scriptum nimirum [ut Sancti commentantur Patres] *durum si non bene rexerint se ipsos, durissimum si non bene rexerint familiam propriam* [5] eorum apostolicis concredita curis. *Gratia* igitur *absit, causam merita decernent* [6].

XXXI. — Huius vero charitatis obiectum si quis exquirat a nobis tum Superiores, tum aequales, tum inferiores esse dicimus. Quum vero hisce in relationibus non charitatis tantum, sed et prudentiae justitiaeque praecepta servanda sint, ut de Praepositi prudentia ac justitia primum disseramus rectus tractationis ordo requirit.

[1] *I. Corinth.*, XIII, 4.
[2] S. Petr. Damian., *Sermo* 162.
[3] S. Benedict., *in Regul.* cap., 2.
[4] *Sapient.*, VI, 6.
[5] S. Augustin., *loc. cit.*
[6] S. Ambros., *De Officiis*, lib. II. cap. 4.

Articulus II.

De Rectoris Prudentia.

§ I De huius virtutis necessitate ac generali praxi et ratione.

Summae rerum — XXXII. Quae huius virtutis necessitas ac ratio in Rectore sint — XXXIII. Prudentia, mala cum politica haud confundenda — XXXIV. Prudentiae obstacula quae sint — XXXV. Eius in regimine adiumenta recoluntur — XXXVI. In quo inibi praxis contineatur.

XXXII. — *Artem Principum* [1] prudentiam esse, nimirum, *prudentiam solam propriam virtutem Principis* [2] esse, tum Aristoteles, tum Angelicus amplissime docent. Quod D. Thomas clarius explicat monendo: *Prudentia in Principe est ad modum artis architectonicae* [3], et Philosophus quoque: *aliae autem virtutes sunt communes subditorum et Principum: subditi autem non est virtus prudentiae, sed opinio vera* [4]. Prudentia *Sanctorum scientia* [5] Sanctis in Scripturis nuncupatur, in quibus idem ac sapientia sonat, cui mirificae laudes iterum atque iterum tribuuntur. Et recte sane, quum si ceterae virtutes prudentiae caruerint libra, in vitium commutentur: nam omnibus in rebus indigitare medium, ipsis inponere modum [quo tantum extrema quae semper vitiosa fuere devitando et per medias incedendo semitas virtutem amplecti valemus] prudentiae est. *In facie prudentis lucet sapientia* [6], *et in corde prudentis requiescit sapientia* [7]. Prudentiam igitur cum Salomone Rector *a Deo postulet, qui dat omnibus affluenter* [8]: nam *omnis sapientia a Domino est et cum illo fuit semper et est ante aevum* [9]. — At quod politicae astutiae est cum prudentia confundere multi solent, quod

[1] S. Thom., II, II, q. 58, artic. 12.
[2] Aristoteles, *Politicor.*, III., cap. 3.
[3] II, II, q. 58, artic. 12.
[4] Loc. cit.
[5] *Prov.*, IX, 10.
[6] *Id.*, XVII, 24.
[7] *Id.*, XIV, 33.
[8] *Jacob.*, I. 5.
[9] *Eccles.*, I, 1.

ab iis omnibus qui, ecclesiastica ratione, apostolicum Christi gregem regere cupiunt, omnino devitandum. Prima enim *sapientia mundi, sapientia carnis, inimica Deo est* [1]; altera, e contrario, *sapientia Sanctorum, sapientia spiritus* [2] dicitur: haec veritatis prudentiaeque semitas calcat; dolosa per itinera incedit peccatorumque vias insequitur altera.

XXXIII. — Ut vero ab hac abhorreat Rector, qui politicorum mores ecclesiastico in regimine sint, paucis ac per transennam, indigitamus. Igitur:

a) Consilia spernere, ac quod maioris momenti est per se ipsum videre; quae, e contrario, minora sunt consiliariis committere;

b) Fere omnes Seminarii officiales statim ac simul commutare;

c) Officiales aptos dimittere;

d) Officiales ineptos assumere;

e) Subditis obstruere os;

f) Successionem difficilem reddere;

g) His rebus quae bene cedunt intumescere, de his vero quae male coeteros incusare;

h) Aliarum personarum ac operum nimia suspicione laborare;

i) Subditis officialibusque malas agendi occasiones versute ponere;

l) Promissionibus vanis subditorum spei illudere;

m) Severitatem suavitati praeferre;

n) A subditis nimis recedere;

o) Pietatis observantiaeque speciem tantum colere;

p) Instabilem esse.

Ex his omnibus quantum pessima politica a genuina discrepet prudentia, et quantum a prima abhorrere Rector debeat clare patet. *In malevolam* enim *animam non introibit sapientia* [3]: *in laqueo isto quem absconderunt comprehensus est pes eorum* [4].

[1] *Ad Romanos*, VIII, 7.
[2] *Prov.*, IX, 10.
[3] *Sapient.*, I, 4.
[4] *Psalm.*, IX, 16.

XXXIV. — At et praecipuum prudentiae obstaculum recolendum breviter est. Idcirco Rector adulatores adulationesque devitet; per erroris enim viam ducere eorum est, quod quum [naturali ratione] quae placent ipsi proferant ac eorum verba dulcia sonant, diutius inhaerent, nec facile ab animo excutere licet, et facilius creduntur. Paulatim enim adeo adulatio demulcet animum ut a rigore rectitudinis mollescat in delectatione sermonis. At ut scorpiones isti devitentur cognoscendi sunt, qui ex eorum erga Rectorem indiscreta perseverantique laudatione, laudum ac vituperationum erga coeteros callida mixtione, versutia sermonis, affectata simulatione, puerili Rectoris imitatione, alienarum passionum usu, singularitate ac pusillanimitate dignoscuntur. Ad rem vero ut se ipsum advigilet, aures osque adulatoribus claudat, nullam autem gratiam ipsis tribuat Rector consulendum precipue est; quod et sapienti prudentiae adiumentorum usu [quae mox indigitaturi sumus] ipse assequetur.

XXXV. — Prudentiae adiumenta ita, brevi calamo, innuere possumus:

a) Veritatis amicis Rector studeat qui discreti, apti, suae utilitatis immemores, sincere Praepositis devoti, humilesque sunt. Insuper ad Principum aulam tarde accedere, prompte libenterque ab ea recedere, gratias haud polliceri, indigentibus favere, tribulatis consulere, uno verbo, iustitiam veritatemque sequi eorum est. Hos igitur sibi Rector comparet, ipsis enim quam maxime in regimine indiget; fiducialiter cum ipsis agat et, quum veritas odium parere consuescat, contra coeterorum malignantium vituperantiumque invidiam valide tueatur. *Amicis tuis... attende*[1]; *beatus qui invenit amicum verum thesaurum invenit*[2]; *amicus fidelis protectio fortis*[3];

[1] *Eccles.*, VI, 13.
[2] *Id.*, XXV, 12.
[3] *Id.*, VI, 14.

amico fideli nulla est comparatio [1], *medicamentum vitae et immortalitatis* esse [2] Sapientia divina nos monet.

b) Se ipsum Rector cognoscat, in quo scientiarum omnium summam contineri ethnici quoque philosophi dixere; qua tantum quas habeamus virtutes, et quibus indigeamus dignoscimus. Nam saepe nimis, dum coeteros intelligimus, nosmetipsos ignoramus et, ut plurimum, plura nobis videmur posse quam reapse possumus. At valde utilis est ut quid nobis desit sciamus; qua ratione adeo incepta cum viribus dimetimur ut quae aedificare coeperimus et perficere valeamus. Ad hoc admonitorem [uti aiunt] habere qui non tantum placentia sed, et praesertim, displicentia [prudenter at sincere] nobis pandat erit optimum. Nam, plerumque, dorsa nostra quae ipsi videre non possumus, alii in nobis vident, et dum levia proximorum mala uti gravia habemus, nostra, e contrario, gravia uti levia indicamus. Privatus enim amor mentis oculum vehementer offuscat! Insuper, saepe nimis, *solemus mala gentis nostrae scire novissimi, et vicinis cantantibus ignorare* [3]; at *non oportet ut vitia domus nostrae ultimi sciamus, quod quamplurimis contigisse novimus* [4]. Quum vero cui *aures sunt clausae veritati eius salus desperanda sit* [5], veritatem Rector colat; benevolo cum animo admonitiones ipse recipiat; nam *vir prudens non murmurabit correptus* [6], et *qui disciplinam abiicit despicit animam suam* [7]. Admonitionis verba aliquantulum Rector amplificet; nam eum abundantiorem quam admonitorem audaciorem esse decet.

c) In proprias passiones Rector advigilet, scilicet, nimium sui amorem, festinationem, pertinacitatem, praesumptionem, praeiudicatam opinionem ipse devitet, quae quam maxima regimini detrimenta afferre solent.

d) Tum propriae, tum alienae experientiae Rector studeat: nam *quid fuit quod est? Ipsum quod*

[1] *Eccles.*, Ibid. 15.
[2] *Id.*, Ibid. 16.
[3] *Op. imperfect.* 17.
[4] S. Bernardus, *De Consideratione*, lib. IV, cap. 6.
[5] S. Gregorius Magnus, *Moral.* Lib. XVII, cap. 5.
[6] *Eccles.*, X, 20.
[7] *Sapient.*, III, 11.

futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est. Nil sub sole novum[1]. Enimvero si in huius vitae cursu personae mutantur, non vero scenae: iidem semper mores, modi iidem semper sunt. *Ne dicas quod priora tempora meliora fuere quam quod nunc sunt: stulta enim est huiuscemodi interrogatio*[2]. Qua in re, quum quae nobis eveniunt nos magis suadeant, propria experientia in primis et ante omnia consulenda est. *Vir* enim *multis expertus cogitabit multa, et qui multa didicit enarrabit intellectum*[3]. — Nec satis; nam quum antiquiorum sine intermissione cogitare vias prudentis sit [*tunc* enim *Rector irreprehensibiliter graditur cum exempla Patrum praecedentium indesinenter intuetur, cum Sanctorum vestigia sine cessatione considerat*[4]], et aliorum experientia uti quam maxime iuvabit. Ad hoc, tum cum aetate provectioribus, tum cum rerum hominumque peritis consuetudinem habere atque historiae monimenta thesaurizare praestabit. Attamen qui aliorum eventus non tantum uti documenta, sed uti praecepta vel leges haberet, quum diversis pro conditionibus immutentur ipsi successus [in quibus casus fere plus potest, quam prudentia], falleretur omnino. Et prudentiores insuper defectibus impervii haud fiunt, ac interdum mutare non tantum licet sed et decet. Novitates enim non semper periculosae sunt, ac expedit interdum eas introducere; mundus enim nisi aliquantulum innovaretur, perfectior non evaderet. Nec omnia apud prioribus meliora, sicut neque omnia quae nunc facimus posteritati placebunt. Tandem donorum in hominibus diversitas tanta est ut haud omnes eadem vi polleant: quo fit ut uno in Rectore easdem conditiones easdemque rationes omnes reperire quae in alio habentur, perdifficile, ne dicam omnino impossibile sit.

XXXVI. — Ad prudentiae in regimine praxim quod spectat, paucae at magni momenti normae recolendae sunt, nimirum:

A) Negotia bene gerendi artem Rector calleat;

[1] *Eccles.*, I. 9-10.
[2] *Id.*, VII, 11.
[3] *Id.*, XXXIV, 9.
[4] S. Gregorius Magnus, *Regula Pastoral.*, Par. II. cap. 2.

nihil enim proderit intelligere si quae intellexit implere apte ignoret. Ideo enim consideramus ut recte agamus; nam uti actionis praeludium ac exordium consideratio habenda est. Ad rem Rector bonum universale reddat, paucis at vere bonis contentus sit, quae praevideri possunt praevideat, at ne nimius in prudentia exquirenda ipse sit; occasiones temporaque ad rem opportuna capiat; nec statim, nec uno ictu quod est ac quod potest ipse pandat; subditorum animos sibi captare conetur; incepta negotia firmare studeat, ac, tandem, [quod permagni momenti est] nihil obstupescat. Haec vitae vivendae monimenta salutaria sunt quae prudentiae veluti codicem constituunt.

B) Secreti custodia veluti sacra a Rectore habeatur, quum ab eo cui tacere grave est res magnae sustineri non possint; *negotiorum* enim veluti *nervum secretum esse* [1] omnes concedent libenter. Sapienter igitur Sapientia nos docet: *Qui custodit os suum custodit animam suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum sentiet mala* [2]: *homo sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus autem et imprudens non servabunt tempus* [3]. Nihil enim illo homine miserius qui, omnia omnibus pandens, se ipsum coeterosque prodit! Idcirco quid, cui, quomodo, quantum, quo loco et tempore loquendum sit considera, ne quidquam dixisse poeniteat. *In lingua* enim *sapientia dignoscitur* [4]; *in multiloquio non deerit peccatum; qui autem moderatur labia sua prudentissimus est* [5]: *os prudentis quaeritur in ecclesia* [6] — Ad secreti vero custodiam valde juvabit:

1) Silentium ac verborum temperantiam curiosis opponere: *lingua* enim *eorum concinnat dolos* [7], *et os fatuorum ebullit stultitiam.* [8] *Sit* igitur *manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato* [9]. Nec satis; nam saepe nimis dissentionis, con-

[1] *In proverb.*
[2] *Prov.*, XII, 3.
[3] *Eccles.*, XX, 7.
[4] *Id.*, IV, 29.
[5] *Prov.* X, 9.
[6] *Eccli.*, XXI, 20.
[7] *Psalm.*, 49, 19.
[8] *Prov.*, XV, 2.
[9] *Id.*, XIII, 3.

tradictionis mordacitatisque acie isti utuntur, quibus secretum arripere conantur; at tunc *alta custodia muniendum est os, ne lingua e duplici dentium ac labiorum vallo evagetur*[1]. *Cum stulto ne multum loquaris*[2], *cum vulpe vulpinandum*[3], ac adeo Rector se gerat ut *in certamine loquelae illius sapientia* et *praeclaritas in communicatione sermonum ipsius*[4] appareant. *Vir prudens tacebit*[5].

2) Versutorum artibus rectitudinem opponat Rector: *magnae* enim *virtutis laus est simplicitas loquutionis*[6], *et qui ambulat simpliciter ambulat confidenter.*[7] Attamen et hac in re ne quid nimis, quum Veritas nos admoneat: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae*[8], et Doctor Gentium suadeat: *Volo vos esse sapientes in bono, simplices autem in malo*[9]. Rector igitur dum [ne cuique dolum instruat] simplicitatem columbae habet ne tamen ab aliorum supplantetur insidiis et astutia serpentis polleat necesse est. Quamvis insuper *spiritus disciplinae effugiat fictum*[10], attamen veritas utiliter proferenda semper, Servatorem Nostrum imitando qui coram discipulis loquutionem suam silentio temperans, ait: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*[11]. Tandem et adsunt qui, silendo lingua, aspectu vultuque adeo loquuntur ut quae abdere intendunt ipsi pandant; at quam maxime advigilandum, nam versuti homines, interdum, plus vultu quam verbis attendunt. — Ad secreti vero obiectum quod attinet in subditorum culpis ac confidentiis, in sedula conversationis cura, in his omnibus quae ad Seminarii regimine spectant, in quacumque re amicitiae ac fraternae caritatis leges periclitari cum divulgatione possint, ac, tandem, epistolari insecreto continetur. Quum vero de his omnibus in Rectoris relationibus inlustrandis aptius dici possit, brevitatis,

[1] Plutarchus, IV, 7.
[2] *Sapient.*, VIII, 18.
[3] S. Bernardus, *De Ordine vitae*, cap. 3.
[4] *Eccles.*, XIV, 14.
[5] *Prov.*, XI, 12.
[6] S. Gregorius Magnus, *Moral.*, lib. XXV. cap. 8.
[7] *Prov.*, X, 9.
[8] Matth., X, 16.
[9] *Ad Romanos*, XVI, 19.
[10] *Sapient.*, I, 5.
[11] Ioann., XVI, 12.

perspicuitatis utilitatisque causa, quae ad rem faciunt alibi recolemus.

C) Suavitas cum fortitudine adeo copuletur ut ex utrisque temperamentum regimini aptum habeatur. Ad rem vero Seminarii Rectori Sacra Congregatio iubet: *Patris ad instar clericos adeo dirigat ut cum acquitate, auctoritate atque suavitate fortiter suaviterque eos moderetur*[1]. Idque iure meritoque, quum Sancti omnes, Ecclesia, Apostoli, immo ipse Deus, ex Sacris Litteris ac ex historia idipsum servasse cognoscimus. Deus enim *attingit a fine ad finem fortiter et disponit omnia suaviter*[2]: Redemptoris vero Nostri quum *in terris visus est et cum hominibus conversatus est apparuit benignitas et humanitas*[3]. Enimvero si populorum Regibus ac urbium Principibus a Deo potestas data est corporum, viris ecclesiasticis animarum certe iniuncta est cura, quae [diximus, at numquam sat's dictum] amore tantum ac suavitate perficitur. Attamen ut *et Rectores a subditis timeantur necesse est... ut, humana saltem formidine, peccare metuant qui divina iudicia non formidant*[4]. — Ad rem vero quae sequuntur pressius recolenda sunt:

a) Nimiae rigiditatis indicia prae oculis habeantur quae his continentur: Quae nimia sunt iubere, observantiae multiplicare leges; potiusquam exhortationis, imperii verba adhibere; subditorum excusationibus rationibusque haud praebere aures, tum concedere tum negare mala ratione, subditos insequi nimis, zelotypia laborare, aequivoce loqui, ac partium studia sequi. At *rex rigidus incurret malum*[5], et *qui vehementer emungit elicit sanguinem*[6].

b) Nimiae suavitatis notae sunt: imperfecta legum cura, nimis facile subditorum excusationibus praebere aures, quaedam gravia haud punire, nulla persuasione redarguere, respectu ad-

[1] Artic. 28.
[2] *Sapient.*, VIII, 1.
[3] *Ad Tit.*, III, 4.
[4] S. Gregorius Magnus, *Regula Pastoral.* Par. II, cap. 6.
[5] *Prov.*, XXI, 17.
[6] *Id.*, XXX, 33.

nuere humano, se dirigi a subditis sinere, cum tempus agendi est cunctare, ac inconstantia laborare. At *qui parcit virgae odit filium suum* [1], et Apostolus iubet: *Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa* [2]. Secus Rector quoque illud Prophetae iterabit: *Vae mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum* [3].

c) Huius unionis rationes vero tum generalibus, tum peculiaribus sequentibus normis continentur:

1) Normae generales sunt:

a) Proprium temperamentum adversus niti, quo in virtutis prudentiaeque semitis sistitur.

b) Tum suavitatis, tum rigiditatis regimen haud a priori sibi constituere, quum ignotis a circumstantiis perplura dependeant.

c) In dubiis suavitas preferenda semper, utpote qua subditorum corda facilius aucupentur diriganturque, extremis consiliis caveatur, inexcusabiliores indociles reddantur, Rectoris humilitas exerceatur, ac patientiae triumpho iter paretur.

2) Normae peculiares vero in affabilitate cum rigiditate copulanda, ac in gravitatis cum affabilitate unione continentur, qua ratione:

a) Rigiditatis noxae affabilitate praecaventur, subditorum corda aucupantur, eorum necessitatibus prompte et ex corde consulitur, immo quandoque et eae praeveniuntur, ac subditis accessus facilius praebetur. *Affabilitatem Principis virtutem maximam esse* [4] iure docuere Veteres.

b) Nimiae vero affabilitatis damna gravitate caventur, qua animi constantia servatur, mortificatio colitur et in incessu, vultu, verbo, ac habitu decentia perhibetur. Ad hoc vero Dei vicem se gerere considerare, morali in subditorum potentia uti, inter nimiam

[1] *Prov.*, XIII, 24.
[2] *II. Timoth.*, IV, 2.
[3] *Isaia*, VI, 5.
[4] Plinius, *in Panegir. Trajan.*

familiaritatem ac nimiam inter severitatem tenere modum quam maxime iuvabit.

c) Consilio uti, de quo [quum ad rem nostram permagni momenti sit] seorsum agendum ducimus.

§ II. — De consilio in Seminarii regimine utendo.

Summae rerum. — XXXVII. Quae in re S. Congregatio praecipiat. — XXXVIII. De consiliorum in Seminarii regimine necessitate. — XXXIX. Quibus consiliarii munus in Seminarium mandandum. — XL. Quando collatio habenda sit. — XLI. Quae consiliariorum sententiarum canonica moralisque vis sit. — XLII. Quomodo consilium habendum. — XLIII. Eius consectaria quae sint. — XLIV. Conclusio.

XXXVII. — Quamvis cuncta de quibus hucusque egimus permagni momenti sint, attamen ad paedagogicum argumentum nostrum quod attinet, de consilio ad prudentiae leges servandas adhibendo multo maioris momenti tractatio censenda est. Enimvero ne quae in S. Congr. decreto Episcopis praescribuntur ingeminemus, inibi Rectori constituitur: *Suam actionem exerceat adlaboratores suos dirigendo, cum quibus saltem una vice unoquoque in mense collationem habebit* [1]. Quibus ex verbis, tum huius consilii praeceptum, tum eius frequentia, tum personas quae eidem interesse debent adeo perspicue indigitantur, ut nullus dubitationi locus supersit. Attamen, ut huius ordinationis sapientia ac opportunitas magis eluceant et maiorem Rectori afferamus utilitatem, eam brevi inlustrare commentario iuvabit.

XXXVIII. — Huius collationis insignis opportunitas ex his omnibus quae de consilii in regimine necessitate dici possunt facile evincitur. Enimvero *non coeleritate corporum res magnae geruntur, sed consilio* [2]. Quum vero tantae capacitatis nemo sit ut sua scientia omnia complectatur, et quum frequenter minori revelet Dominus quae maioribus absconduntur, ut qui recte regere in-

[1] Artic. 27.

[2] Cicero, *De Senectute*, 4.

tendit consiliarios habeat omnino expedit. Quod et Sapientia nos docet monendo: *Consilium custodiet te, et prudentia servabit tibi* [1]; *qui agunt omnia cum consilio reguntur sapientia* [2]; *fili, sine consilio nihil facies* [3]; *ibi est salus ubi multa consilia* [4]. Apte igitur D. docet Augustinus: *Antequam stes in opere, sta in consilio* [5], et D. Bernardus: *sacerdotale onus... cura pastoralis administrari digne non possunt sine consilio* [6]; et alibi: *Diligenter omne quod faciendum est tracta apud te et cum his qui te diligunt* [7]. Et recte sane cum interdum Praesidum oculos adeo ipsa nebula elationis obscuret ut, minus prudenter quae agenda sunt videntes, dum super petram aedificare putant, e contrario, aedificium [brevi casurum] super arenam struunt, ut et Venosinus noster cecinit: *Vir sine consilio, mole ruit sua* [8]; quod et alius recolit monendo: *Princeps facile evertitur qui nullo, nisi suo consilio, utitur.*[9] Iure meritoque igitur et in Seminarii regimine consilii usus a Legislatore praecipitur, quod, quum illius Ecclesiae pars habendum sit, ut iisdem, ac alibi in Ecclesia usitatis, generalibus regatur normis decet. Enimvero dioecesanas Deputationes, dioecesana Synodus, sive provincialia sive nationalia Concilia, SS. RR. Congregationum conventus, immo et Consistoria ipsa [quae in Curia a Summo Pontifice habentur] quid aliud nisi consiliariorum coetus sunt, in quibus, sive de dioecesi, sive de Ecclesiae necessitatibus utilitatibusque consulitur, ac [pro re nata] providetur?

XXXIX. — Qui in interno Seminarii regimine consiliarii adsciscendi sint S. Congreg. decretum, generali ratione, *Rectoris collaboratores* [10] indiscriminatim indigitat: quibus ex verbis quantum lata in Praeposito consilii obligatio sit clare patet. Attamen [ni fallimur] ordinariis in adiunctis ut cum praecipuis tantum Officialibus

[1] *Prov.*, II, 2.
[2] *Id.*, XV, 22.
[3] *Eccles.*, XXXII, 24.
[4] *Ibid.*, XI, 14.
Super Psalm., 34, I.
Epist., *ad Henric. Episcop. Senonens.*
[7] *De Considerat.*, Lib. IV, cap. 4.
[8] Horatius. *Od. III.*
[9] Cominaeus, *Sentent.*, cap. 21.
[10] Artic., 27.

Rector conveniat Legislatoris mentem interpretamur. Secus enim, dum consilii vis omnis disperiret, et Praepositi libertas nimis praepediretur. Praecipui vero in re Rectoris collaboratores [Moderatore Spiritus excepto qui ulla ratione ac numquam hoc in negocio partem habere potest] Vice-Rector, Studiorum Praefectus, ac rei oeconomicae Gestor reapse censendi sunt. Enimvero hi quibus tum disciplinae, tum studiorum, tum administrationis cura commissa est [consuetis in adiunctis] omnino apte quae agenda sunt, collatis consiliis, decernere valent. Quod et ex aliis decreti verbis [indirecta saltem ratione] eruere licet, v. g. cum Vice-Rectori Legislator iubet ut cum contuberniorum praefectis saepe conveniat [1], ac ut Praefectus studiorum idem caveat cum Antecessoribus decernit [2] — Attamen, dum communibus in adiunctis cum primariis collaboratoribus versatur Rector, quominus interdum, tum Praefectorum contuberniorum, tum Magistrorum conventibus [ut praesentia sua eos ad maiora incitet ac hortetur] intersit, nil impedit; immo aliquando et expedit. Attamen ne maiorum Collaboratorum auctoritas despicere Rector videatur, ut primo in casu Vice-Rector, altero vero in adiuncto Praefectus studiorum adsint consulendum. Saepe nimis enim tum contuberniorum Praefecti, tum Antecessores adeo res a latere considerant, ac interdum partium studiis ita ipsi inserviunt, ut si eorum immediati Praepositi [qui plura invicem componere possunt] absint, veritas ac iustitia periclitentur.

XL. — Quando Seminarii consilium cogendum sit ex decreti verbis perspicuum est, scilicet *semel saltem in mense.* [3] Quamvis vero [ut Rectoris in Seminario libertatem enixe tueatur, qua dempta regimen totum diruitur] expressis verbis postremos consilio temporis fines Legislatoris prudentia praefiniat, attamen cum particula *saltem* addat, in re vota [quibus sedulo parendum] facile evincuntur. Rector igitur ille qui bis in mense [quindenos nimirum per dies] consultores suos ex officio convocaret [nostra quidem sententia] laude dignus esset. At ne negli-

[1] Artic., 39.
[2] Decret. X maj 1907, VI.
[3] Artic., 27.

gentiae oblivionique locus sit, ut dies ac horas [Episcopo, Rectori ac consultoribus tantum notas] sub anni scholari initiis statuantur, quam maxime proderit.

XLI. — Quae consiliariorum sententiarum canonica ac moralis vis sit indigitamus paucis:

a) Canonica vis mere consultiva est, quod, quamvis in decreto expresse non statuatur, attamen ex huius consultationis indole clare evincitur. Etenim si ipsa Deputatorum Tridentinorum sententia consultiva tantum vi pollet, qua legitima ratione internorum illa consiliariorum [qui minoris momenti negotia exagitare debent] vis deliberativa erit? Si enim contraria sententia incunda foret, non tantum Rectoris, sed et Episcopi ac Deputatorum Tridentinorum libertas a subditis praepediretur, quod prorsus absonum censendum est.

b) Quoad vero moralem vim prudentiae leges prae oculis heic quoque habeantur, quibus, saltem quum consiliarii omnes in oppositam Rectoris sententiam abeant, huius oppositionis ratio sedulo consideranda et attendenda est. Ceterum, in re controversa diversas consiliariorum sententias episcopali submittere iudicio consultius prudentiusque erit: cuius profecto absque adprobatione quidquam maioris momenti statuendum non est.

c) Quibus de rebus consiliariorum sententia exquirenda sit, tum ex Episcopi, tum ex Rectoris in Seminario canonica ac prudentiali auctoritate eruitur. Idcirco cuum Rector, Episcopi haud accedente venia, nil alicuius momenti in Seminario decernere possit, ut et de his, Ordinario inconsulto, consiliariorum sententiam haud exquirat omnino decet. Igitur de practica potius executione ac de communibus in rerum adiunctis contingentiis consulendum, ut mox, de ratione qua conventum habendum est, clarius apparebit.

XLII. — Quomodo consilium habendum sit recolere iuvabit. Itaque:

a) Ante consilium. — Quum consilii finis vel super statuendis, vel [certo quodam modo] super praevisis consulere ac consultorum sententiam exquirere sit, qui perfunctorie tantum, ut fucum faciant, legemque observare videan-

3) Ex ordine [dignitatis, aetatis, sive hierarchica ratione servata] unum post alium de re sententiam dicere Rector consultores invitet; quos attente ipse audiet, nec interrumpere, eoque minus, gravi supercilio ac verbis timorem inferre ipse audeat, ac tandem singulorum opiniones breviter scripto tradat. Conclusionis instar breviter paucisque discussionem Rector perstringat, et antequam consilio finem [*Agimus* recitando] ipse imponat, an aliquid aliud in Seminarii regimine observandum consultores velint candide fidenterque postulet. Communibus in contingentiis nil ipsi addent; si vero, interdum, aliquid proferant, si minoris momenti, statim pertractetur, si maioris vero tunc ad alterum consilium [si per tempus licet] demandandum, vel si opus est, urgenti in necessitate, extra ordinem conventus indicetur.

c) Post consilium tum Rector, tum consultores de rebus inibi exagitatis arctissimum secretum cum omnibus [Episcopo excepto, si opus est], et cum officialibus ac, eo magis, alumnos erga servent. Hac enim tantum ratione consilii fructus colligere licebit.

d) Verbale actum [uti aiunt] consultationis a iuniore ex consultoribus exarandum curet, in quo per summa capita at fideliter, perspicue, obiective pertractata indigitentur; singulorumque sententias ita referantur ut si quid in consultis periculum aut consultorum inopportunitas sit, unicuique suum tribuatur. Ea enim miserrima humanae naturae condicio est ut [saepe nimis] si res bene cesserint sibi, si vero male coeterorum consilio adscribere festinet. — Haec vero consultationum summula [a singulis e consultoribus ac Rectore toties quoties obsignanda] apud Rectorem, per annum, fideliter servetur: eius vero in exitu, in Seminarii archivo reponenda, ac nemini [nisi Episcopo] patefacienda.

XLIII.—Consilii vero consectaria in deliberatione de agendis consistit, quod negotium Rectoris tantum est. Idcirco, Deo coram sistens, quae pro vel contra rationes habentur sedulo consideret Rector, illudque meminerit, quod, videlicet, *in deliberatione sua et in omnibus sententiis quae in deliberationem veniunt adesse haec duo oportet, posse*

illud fieri, atque utile esse. Haec enim duo si non adsint, infirmum consilium esse ac temerarium statim deprehendetur, et quasi ante oculos vitium illius cernitur [1]. — Ad recte vero deliberandum sequentia prudentiae principia prae oculis Rector habeat:

a) Cunctetur; nam *impatiens operabitur stultitiam* [2], et *nihil magis consilii inimicus quam celeritas* [3]. Idcirco quum breviter audita, diutius pensare sapientis sit, ne praesumptionis effectibus Rector inserviat, varia quae habentur rationes discutiat; potiusquam sophismatibus, authenticis argumentis suam decisionem fulciri satagat; locorum personarumque circumstantias sedulo perpendat, quo tantum pacto veritatem ipse assequetur. Ad hoc vero altum, solidum, latum, firmum, humilem habere spiritum quam maxime iuvabit.

b) Haud semper in deliberando Rector sistat, Scriptura dicente: *Noli esse iustus multum, neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas* [4]. Enimvero, quamvis consideratio in re necessaria sit, attamen quum nil aliud quam actionis exordium mediumque ipsa sit, ut tamdem aliquando Rector impleat quod intellexit necesse est: etenim si moderata cunctatio bona, nimia vero mala. Aptum enim tempus immaturos fructus ad maturitatem adducere, nimium vero et maturos corrumpere consuevit. Felices negotiorum successus a tempore opopportuno datisque circumstantiis fere omnino pendere omnes novimus, ab illo nimirum ictu quem si elabi sinamus, opportunam agendi occasionem amittimus. Si enim antea vel postea agamus, non tantum operam omnem oleumque perdimus, sed et mala facinora patramus. *In desideriis est omnis otiosus* [5], *et qui observat ventum non seminat, et qui considerat nubes numquam metet* [6]. Interdum vero [at raro tamen] audaces fortuna iuvat.

XLIV. — Conclusionis instar *quum dux indigens prudentia multos opprimet* [7], a datore omnium bonorum Deo

[1] Leo, *De Apparat. bell.* apud Lipsium in lib. III *Politicor.*
[2] *Prov.*, XIV. 17.
[3] Livius, *Histor.* lib. XXXI.
[4] *Eccles.*, VII.
[5] *Prov.*, XXI, 26.
[6] *Id.*, XIV, 23.
[7] *Id.*, XXVIII, 16.

hanc regimini pernecessariam virtutem Rector postulet cum Sapientia clamando: *Da mihi sedium tuarum adsistricem sapientiam ut sciam quid placitum in oculis tuis et quid rectum in praeceptis tuis* [1], quo reprobare malum, eligere bonum, ac disponere subditos iuste valeat. Tunc Deus *pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deducet eos* [2], *in terram rectam.* [3]

Cap. III.

De Rectoris iustitia, aequitate ac scientia

Articulus I.

De correctione ac poenis generatim

§ I. — De correctionis necessitate, deque ad rem generalibus adiumentis.

Summae rerum — XLV. De correctionis in clericorum institutione necessitate ac utilitate — XLVI. Generalia ad rem media recoluntur et inlustrantur.

XLV. — Praeliminaribus quae ad rem a Doctoribus praeponi solent omissis, ad correctionis necessitatem inlustrandam statim accedimus, quae non tantum ex misera hominis generali condicione, sed et ex peculiari illa iuvenili et, eoque magis, ex illa clericali facile evincitur.

a) Ad hominis generalem condicionem quod refert quum correctionis necessitas in comperto sit, in re nota haud immoramur.

b) Ad illam juvenilem quod spectat correctionis necessitas ex aetatis necessitatibus clare evincitur: qua in re nil quam Sapientiae monimenta aptius recoli possunt. *Stultitia colligata est in corde pueri, et virga*

[1] *Sap.*, IX, 4.
[2] *Psalm.*, 77, 72.
[3] *Ibid.*, 142, 10.

disciplinae fugabit eam[1]; *virga atque correptio tribuit sapientiam*[2]; *puer autem qui dimittitur voluntati suae, confundit matrem suam*[3]. *Qui parcit virgae odit filium suum*[4]: *noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga non morietur; tu vero percutiens eum de inferno liberabis*[5]. *Qui diligit filium suum assiduat illi flagella ut laetetur in novissimo suo*[6]...; *equus indomitus evadet durus, et filius remissus evadet praeceps*[7]; *lacta filium tuum et paventem te faciet: lude cum eo et contristabit te*[8]. *Non des illi potestatem in iuventute...; curva cervicem eius in iuventute, et tunde latera illius dum infans est, ne forte induret et non credat tibi, et erit dolor animae tuae*[9]. Peropportune idcirco et ethnici quoque paedagogi omnes christianique correctionum iuvenili in institutione usum suadent, ut et Gregorius noster qui monet: *Studiosus Magister frequenter puerum corripit*[10]. Enimvero sicut agricola qui arbustum flectere velit illud in arborem adolevisse haud expectat, ita ad puerum corripiendum expectare ut adolescat haud licet. Nam *si adolescens non se correxerit dum iuvenis est, senex numquam emendabitur*[11]; *difficile enim corrigitur nequitia quam concepit quis in pueritia*[12].

c) De Sacrorum alumnis qui in Seminaris instituuntur haec omnia multo magis ingeminanda veniunt. Quo enim institutioni altior finis praescribitur, eo fortius mediis illis omnibus utendum quibus, sensim sine sensu, futuri sacerdotes felices virtutum habitus induunt, et ad insuetas virtutes assuescunt. Tunc, hisce freti praesidiis, cum a Seminario clerici discedunt, in Sancta Sanctorum, populi Dei curam subeunt, et ad operandam christianae plebis salutem idonei videbuntur. *Illi sane* [ad rem Leo XIII admonet] *in sacerdotio integre sancteque versa-*

[1] *Prov.*, XXII, 15.
[2] *Id.*, XXIX, 15.
[3] *Id.*, XXIX, 15.
[4] *Id.*, XIII, 24.
[5] *Id.*, XXIII, 13.
[6] *Eccles.*, XXX, 1.
[7] *Id.*, XXX, 80.
[8] *Id.*, Ibid. 9.
[9] *Id.*, Ibid. 12.
[10] *In sept. Psalm. Poenit.*, in psal. III. n. 2.
[11] Tritemius, *in Regul.* cap. 2.
[12] Beda, *in Proverb.*.

buntur qui sese in hoc ab adolescentia excoluerint, et tantum disciplina profecerint ut ad virtutes non tantum instituti quam nati videantur. [1] Idque eo magis aetate hac nostra recolendum, in qua recens oborta paedagogica schola, urbana quidem at parum humana principia [quibus dum hodie clerico parcit, futuro sacerdoti pessime prospicit], et in Seminaria diffundere conatur. Tiro enim, contumaciae cum assueverit, nonnisi peculiari Supernae Gratiae prodigio ad meliorem frugem se recipit; clerici qui, tamquam adulti viri habiti, nullam fere admonitionem experti sunt, sancti numquam sacerdotes efficientur, cum qui fere semper sua libertate uti in Seminario assueverint, postea magis magisque id sibi autumant, quo Ecclesiae, dioecesi ac Episcopo suo infinitam propemodum malorum segetem comparabunt. Diximus iam [at numquam satis dictum] non solum emicantis in Thabor Christi imaginem, sed, multo magis, in Calvaria Crucifixi effigiem clericorum in mentibus cordibusque ab eorum Institutoribus alte insculpendam esse, quo tantum, contumaciae spiritum [nunc fere ubique grassantem] sedulo devitando, ac obedientiae loricam induendo, inexpugnabiles Ecclesiae populique sancto Dei defensores ipsi efficientur. Apte idcirco in S. Congregationis decreto Rectori praecipitur: *Debite clericos admoneat, et congruas, quatenus id necesse fuerit, punitiones infligat.* [2] Sanctae igitur vitae spiraculum [emendatione mediante] in clericorum corda Institutores inspirare satagant, quo incalescente, lucernae ardentes medium in Sanctuarium ac idonei populo sancto Dei duces efficientur, quem, videlicet, ad Sanctae Civitatis Ierusalem aeternam pacem deducere valebunt.

XLVI. — Correctionis difficultates ac obstacula haud sane diffitemur, quae numero ac momento tanta sunt ut hoc munus perdifficile reddatur. Humanis enim passionibus obsistere ac ipsas adversus continuum certamen habere, contumaciae ac inconstantiae effectus in se experiri, tanti quidem laboris est ut, si quis his serio attendat, facile animum demittat. At corporis medicorum

[1] Encycl., *Etsi nos*, die 15 Febr. 1882. [2] Artic., 31.

ad instar, qui ut infirmo optimam comparent valetudinem, omnimodis utuntur adiumentis, ita clericorum Moderatores [ac praesertim Rector], ut ex iuvene ac sacrorum alumno sacerdos virtute repletus effingatur, curis omnibus niti debent. Ad has vero exsuperandas difficultates media opportuna Rectori indigitare oportet, nimirum:

a) Vir Dei ipse sit, qui, cum corripit, non sui sed Dei caussa corripit, cumque diligens commiseransque sit, pie atque benigne id facit. Hac ratione dum corripit adiuvat, dum stimulat ita blanditur, ut ad emendationem subditi facilius pertrahantur.

b) Bonum exemplum Rector praebeat, in quo quum quamdam in subditos imperii virtutem insit, ad bonam frugem facilius allicit.

c) Sit Rector in regiminis arte peritus; nam *persaepe ex admonitione inexperti ducis, in baratrum deductus est subditus desperationis.* [2] Ut enim, haud semel, non quidem morbis, sed inepto medico infirmi mors tribuenda est, ita quandoque et in clericorum institutione Moderatoris imperitia magis quam reliqua cur maiora detrimenta habeantur in caussa est. Quid igitur? Ut medicus non sibi doctor est, sed aliorum instruitur doctrina, ita corrigendi artem divinis humanibusque ex fontibus Rector addiscat. Idque cum *Scriptura utilis sit ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia... ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* [1], in primis et ante omnia Sacris Rector incumbat Litteris. Quia vero ipse Deus, ut divina sua consilia perficiat, humanis utitur viribus, ita Rector quoque adeo humana argumenta adhibeat, ac praesertim eorum scripta qui instituendi artem docuere, nocturna atque diurna manu verset, ut non tantum sibi, sed ceteris quoque Seminarii officialibus omnibus perarduam correctionis artem comparare possit valeatque.

d) Sit Rector prudens; nam nonnumquam *ex imprudentia* Institutoris *hi qui ad summam virtu-*

[1] S. Laurentius Iustinian., *De Instit. et Regim. Praelator.*, Cap. II.

[2] II. Timoth., III, 16, 17.

tum arcem et perfectionis fastigium conscendissent, evanescunt... conversatione et, quod deterius est, a sancto proposito resiliunt[1]. Prudens enim Rector leges non multiplicabit vanas, quarum multitudo observantiae negligentiam suadet atque frequentes requirit admonitiones: clericos colet et ab illis coletur, nimiam observantiam haud ipse exiget, sed suavitatem cum severitate, timorem cum amore, iustitiam cum misericordia, munus cum caritate, veritatem cum fide adeo coniunget ac singulis subditorum ingeniis necessitatibusque se accommodabit, eisque pro adiunctis morem geret ut multas sibi taedio plenas ac clericis ingratas correptiones cavebit, quibus, [sanctae caritatis gratia] pacem Communitati comparabit.

e) Admissionibus in Seminario Rector prospiciat. Ut enim primum servandae valetudinis praeceptum cautio in cibis adhibenda traditur, ita ad Seminarii rectam procurandam disciplinam caute admittere tirones oportet; secus, etsi numerus augetur, laetitia vero imminuitur. Enimvero quum canonicae ac paedagogicae de tironibus in Seminario excipiendis leges posthabentur, cum nom sacerdotalis vocatio, sed ambitio vel fames ad Sacrum ingrediendum Institutum ducit, cum [uno verbo] non quae Iesu Christi, sed quae sua sunt quisquam quaerit, ad tale profecto incompositum agmen regendum assiduis uti castigationibus opus erit, quibus omnis pax, litterae omnes, omnisque ordo et fama, innocentia et Dei favor ipse miserrime disperdentur Inibi enim non studio regulae, neque Moderatorum veneratione, sed vi tantum coacti clerici obedient, et potiusquam coram Deo ambulare et leges consuetudinesque servare, contra leges illudere easque tuto violare pede nitentur. Moderatores autem uti militum decuriones vel lanistae habebuntur, leges ac mores, traditiones ac regulas falsi hi clerici [hypocritarum personas agentes] Seminarium ipsum odii habebunt, quoadusque, sacris arreptis ordinibus, illud: *Laqueus contristus est et nos liberati sumus*[2] [magno cum gaudio] canere valeant!

[1] S. Laurentius Iustinian., *De disciplinae perfectione*, Cap. 9.

[2] *Psalm.*, 123, 7.

f) Disciplinae caveatur. Ut enim ad humani corporis tutandam valetudinem omnes eius interni motus explorandi sut [ut recte nimirum ac rite fiant], ita in morali Seminarii compositione, eius status spectandus est. Admitti equidem optimi tirones possunt, sed nisi Sacri Instituti septa sedulo custodiantur, inimicus homo [*qui semper circuit querens quem devoret*[1]] saltem discordiae ac contumaciae spiritum [quo nil clericali institutioni magis noxium haberi potest] veluti zizania Dominico in agro versute sparget.

g) In dimissionibus quoque cautela adhibeatur. Ut enim [si eadem similitudine fas uti fuerit] ad humani corporis servandam valetudinem quamvis in cibis deligendis omnes adhibeantur industriae, attamen corruptae materies [valetudinis valde noxiae] nonnumquam efformatur, quas expellere interdum opportet [ne, sensim sine sensu, gravem infirmitatem comparent] ita temporis decursu et in Seminariis graves morbi exoriuntur, qui ut expellantur, clericos ipsos, qui eorum caussa fiunt, expellere oportet. Secus enim ut aegrotum membrum reliquas corporis partes afficit, ita malus tiro totum fere Institutum corrumpet, quo non amoris sed metus regimen instaurandum foret, et correctionis uti plus quam par esset Moderatores adigerentur.

h) Directio spiritualis [ut in S. Congregationis decreto praescribitur] clericis sedulo procuretur, cuius est in Seminario optimum Dei spiritum fovere, qui a puniendo eximit; magnus sane quaestus, quum castigationum nimio usu nullum iter, progressus nullus fiat.

[1] I Petr., V. 8. [2] Artic., 31.

§ II. — De ad rem peculiaribus adiumentis.

Summae rerum. — XLVII. De variis potestatis coercitivae gradibus in re statuendis, et qui esse possint. — XLVIII. Rationes quae hanc partitionem suadeant quae sint — XLIX. De aemulatione in clericis fovenda — L. Punitionum in Seminario codex qualis. — LI. Conclusio.

XLVII. — Ad paedagogicum argumentum pressius sumptum nunc redeuntes quae ad nimium correctionis usum praecavendum peculiariter utilia censemus indigitabimus; quae [nostra quidem sententia] fere omnia ad unum redeunt, nimirum ut varii potestatis coercitivae gradus a Rectore apte statuantur, et ab omnibus sedulo serventur. Punitionum enim ac punitorum frequentiam atque mali spiritus in Seminario propagatio hac saepe gignuntur caussa, quia, nimirum, officiales omnes, quoscumque erga, in omnibus uti castigationibus tute se posse credunt. Quamobrem, etsi in generali clericorum institutione certus sit ordo, nullus tamen in correctione est, quo [omnino iniuste] multorum irae obnoxii clerici fiunt. Sed ad rem Legislator peritissimus Rectori praecipit: *Reservata suis dependentibus minorum punitionum cura, gravioribus casibus prospiciat Rector ut debite admoneat ac congruam, quatenus id necesse fuerit, punitionem infligat* [1]. Quibus ex verbis quantum Rector ille qui tum numero tum momento, immodice in alumnorum correctione se implicaret, inepte ageret, clare patet. Rector igitur [a minori procedens ad maius] poenarum codicem in tres partes dividat, quarum primam contuberniorum Praefectis atque Antecessoribus tribuat, Vice-rectori atque Studiorum Praefecto alteram addicat, tertiam vero pro gravioribus tantum culpis sibi reservet. Si vero precipua rerum adiuncta et praecipua ad ordinem tuendum media id requirant, modos praecipuos ad rem singulis Officialibus tradere ipse

[1] Artic., 31.

poterit, monito tamen semper officiali ad quem, ex consuetudine, illi pertineant. Qui vero ex illis tradito sibi imperio illegitime usus fuerit, severe arguatur.

XLVIII. – Huius correctionis distribuendae ratio his in summa redit:

a) Quoad clericos ratio praecipua iustitia est: nam quando tirones cuiusque in arbitrio sunt, levium culparum nimiam poenam solvunt, ac semper atque totam solvunt, quo profecto tricipiti tirannidi locus fit, quae, etsi iustitiae speciem simulet, a iustitia tamen longissime aberrat.

b) Quoad officiales quoque, iustitia est, quorum auctoritas, quum in regimine varia sit, et in correctione variam esse oportet; quo fit ut correctionis odium non a paucis tantum, sed ab omnibus et singulis qui institutoria potestate fruuntur ferendum sit. Quod igitur sibi debetur quisque sumat, alium tamen nullatenus laedat. Ad quod servandum generale in re principium adhibeatur, nimirum: punitionum potestatis exercitium proprii muneris locum praetergredi non debere. Idcirco, ex gr., contuberniorum Praefecti nullam clericis poenitentiam imponant extra contuberbium exequendam; idem et Magistri ad scholam quod attinet servent. Hac ratione quas ipsi poenitentias clericis imponunt, ipsi quoque exigere coguntur, quo facilius ad eas imminuendas pertrahentnr.

XLIX.— Ad rem aemulatio in clericis foveatur quum etsi coercendi ac puniendi ratio ad clericalis institutionis finem assequendum non parum iuvet, tamen cum huius regiminis miti ac suavi indole aemulationem magis ac magis congruere ac, nonnumquam, etiam maiorem ferre fructuum utilitatem nemo ambiget. Quod et ex consideratione humanae naturae luculenter apparet, quum et nos tales conditi simus ut sine labore ac certamine bravium victoriae haud nancisci possimus: ad quae palma ac serta adeo invicem nos contendere oportet, ut si aemulationis careamus stimulis nec ea adipiscamur. Neque ab ea lege ecclesiastica juventutis institutio exemptionem accipit; enimvero [ut usus et experientia docuere] si sacer ac insons

aemulationis ignis in c'ericorum animis accenditur foveturque, ad praeclara in institutione facinora, sensim sine sensu, clerici adducuntur. *Trahimur* enim *omnes laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur* [1]. Tunc enim subduntur faces ad amplectenda nova, eademque rursus coniungenda proximis, velut implicitae arboribus vites inferiores amplectendo ramos in cacumina tolluntur: hinc aspirant ad summa, dant locum priora sequentibus. Nobilibus enim animis quaedam gloriae cupiditas, amor sui et fuga vituperii insita sunt, quo fit ut, certatim aemulando, alumni reddantur alacriores ipsaque [alias perniciosa] ambitio frequenter sit causa virtutum. Sicut enim illa firmiores in institutione profectus alit, ita incipientibus et adhuc teneris imitationis est loco. — E contrario, si aemulatio negligatur in alumnis desidia socordiaque pessime foventur. In hoc negocio intra Seminarii septa non parum peccatur, ubi si copiosus usque poenarum codex viget rigidissimeque observatur, quoad remunerationes et praemia nihil fere statutum est. Quo fit ut timore in alumnorum animis insidente, haud semel hypocrisis verae virtutis locum obtineat, ac eorum conscientias [pharisaico quodam more] pene pervertat. — Quum vero aemulationem ac invidiam inter breve intercedat iter, ne primam in alteram clerici infeliciter immutent Institutores curent. *Sicut enim vinum* [D. Ambrosius monet] *non temperatum admixtione aquae, mentem alienat, ita et scientia superbum facit nisi fuerit charitate temperata* [2]. *Si ergo adhiberetur scientia* [ait D. Augustinus] *tamquam machina quaedam per quam structura charitatis assurgat, profecto non inflaremur scientia* [3]. Quod si contingat, Institutores satagant ne in Seminariis primum invidiae tabes clericorum animos inficiat quae [aetate sacerdotioque auctis] in diocesi infandum exitium postea invalesceret. Illa enim heic sancta utendum dicimus aemulatione quae nullis invidiae tristissimis morsibus mentes animosque lacessit, quae non ad aemulum deprimendum aut conterendum, sed ad illius palmas et merita simul ferenda

[1] Cicero, *Pro Archia.*
[2] In S. Paul., epistol.
[3] Epist., 119.

contendit, prout ipse Apostolus incitat ubi ait: *Aemulamini charismata meliora* [1].

L. — Nunc castigationum in Seminariis codicem indigitare est, quem ex his quae, [quamvis haud ex integro probemus] ut plurimum, in usu sunt, fideli ratione desumpsimus. A minori igitur ad maius progredientes, haec de re constitrere possumus:

a) Verbalis Antecessorum ac Praefectorum reprehensio, *privata* primum ac postea *publica*. Harum prima per Praefectum ipsum, dein [gradatim] per Vice Rectorem et tandem per Rectorem haberi potest. Idcirco qui desidiosum vel contumacem tironem Seminarii Praeposito statim denuntiaret, omnino inepte ageret; nam praesertim in coercitionis negocio, quidquid nimium et iniustum. — *Verbalis* reprehensio *publica* primum intra, ac dein [Vice Rectore tantum adnuente] extra contubernii septa facienda est. — Quamvis vero et extraneorum [quorum gravis sit auctoritas] animadversiones saepe majorem quam domesticorum in componendis moribus corrigendisque peccatis vim habeant, attamen Episcopi vel Parentum in re uti opera [ut plurimum] haud suademus. De Seminario enim ubi Moderatoris vox deserto clamat actum est, et clerici, quos suorum ordinariorum Superiorum objurgationes ad meliorem frugem adducere haud queunt, uti huic Sancto Instituto prorsus indigni, expellantur. Nil enim clericali institutioni tam absonum quam numquam intermissa et gravis coactio, qua fit ut Sanctuarii asseclae, timore et non amore, ad officii debita, continuo miserrime compellantur, quod huius forsan tantum saeculi filios, non autem futuros gregi dominico apostolos decet.

b) Notis mulctationem per diem, hebdomadam, mensem ac bimestrem habitam, quum praesertim ex lege stata sit et varios perniciosos effectus pariat, alumni magni facere consuescunt, quo fit ut parce ac ponderatione maxima illa contuberniorum Institutores uti debeant.

c) Nixus genu alumnis in contuberniis decernere,

[1] *I Corinth.*, XII, 31.

quod tamen haud diutius, nec incongruenti ratione, nec in aulae limine umquam statuendum.

d) Corporis afflictationes ab institutione clericali omnino arcendae sunt, quibus, de cetero, plures apud Gentes, et publicas contra leges peccari potest. Quidquid sit eae uti Seminariis indignae prorsus censeantur: qui vero, huic sententiae adversantes, aliam sequi malint, illud saltem velimus sibi proponant Terentianum: *Ne quid nimis.*

e) Extraordinariorum pensorum exaratio si saepe nimis in Seminariis ea quis utatur omnibus in comperto est, quod potius quam tironis emendationi prosit, lepidis scribendis litteris et studiorum progressui nocet. Quapropter ut mala devitent, bona vero consequantur parce hoc punitionis argumento Moderatores utantur, et tunc quoque potiusquam insulsa alumni exarent verba, ut aliquid studiis utile ipsi describant jubeant.

f) Ex aulis eiectio gravissima puniendi ratio est quae numquam in Seminariis locum obtinere potest; indignum enim esset afflictationibus corporis clericos mulctare, indignius autem ex studiorum aulae septis eos eiicere.

g) Sacrorum Ordinum dilatio *directo modo* et *de jure*, *pro omnibus clericis*, in Seminario vix consulenda nobis videtur. Enimvero si quis clericus tantae poenae se reum praeberet, ut dimittatur ordinationum sacrarum vigiliae haud [ut plurimum] expectandae sunt.

h) E Seminario eiectio, postrema ac gravissima in se poena est, prudenti idcirco ratione, Episcopo tantum aumente decernenda, ac omnino prudenter exequutioni demandanda.

LI. — Conclusionis instar hoc unum [iterum atque iterum] recoluisse juvabit, nimirum nobis suaderi non posse quid in Seminariis poenas supra omnem augere modum utilitatis ferat. Etenim *quibus severitate poenarum opus est coercendis haud digni sunt huius vitae instituto* [1], et si quis clericus se tantae contumaciae praebuerit

[1] *Concil. Prov. Coloniens.* tit. II.

ut veluti intermisse in illum animadvertendum sit, iam nulla ratione Dei ministerio aptus apparebit, ac propterea, potius quam cotidianis vexari poenis ac torqueri, illum opportune dimittere in saeculum [ubi maiorem licentiam nancisci poterit] satius erit. Qui enim emendationi facilis non fuerit, nec Dei servitio aptus erit; qui autem non emendatur nisi quum alter vim illi fecerit, numquam dux ac magister populo Dei esse poterit, qui quidem tales omnino sibi pastores expostulat qui illi et sal et lux esse possint. — Hinc magis concedimus castigationum infrequentiam veluti certam normam esse recti in Seminario ordinis. Profecto si animadversiones perpaucae sint ac minoris prorsus momenti ac, e converso, floreat disciplinae studium, indicium hoc erit boni spiritus qui tantum sedulam observantiam parere consuevit. Ubi vero contrarium invaluerit [quod numquam satis dolendum] indoles ipsa clericalis institutionis funditus evertitur; Seminarium autem ex schola sanctitatis ac virtutis, ecclesiasticum in ergastulum conversum, iam nonnisi in ruinam multorum positum esset.

§ III. — De Iustitia in correctione servanda, et primum de propriis in re passionibus exsuperandis.

Summae rerum. — LII. De correctionis conditionibus generatim. — LIII. De iustitia in re servanda, et quae ex Rectoris parte passiones exsuperandae sint. — LIV. Opportuna ad rem indigitantur media.

LII. — De conditionibus correctionis dicturi quae ex parte clericorum in re requiruntur sub silentio praeterimus. Enimvero si haec in aetate provectioribus locum habere debent, haud multum, ut plurimum, in clericorum ac ideo iuvenum institutione valebunt qui, potius quam ratione, instinctu trahuntur. Attamen ubi matura iam mens ac praesertim ab his qui sacerdotio magis propinqui sunt, ut de Rectoris sufficiente saltem doctrina, de correctionis bonitate, ac de eius discretione bonam ipsi opinionem

foveant quam maxime satagendum est; qua ratione ex admonitione fructum facilius clerici capessunt. — Hisce praehabitis, ad caeteras a Rectore in correctione servandas conditiones gressum facientes, ut eius fundamentum iustitia, dux discretio, inspiratrix caritas sit, quam maxime suadendum.

LIII.—Ad iustitiam in correptione servandam haec principia prae oculis habeantur:

A) Suas contra passiones se premuniat Rector; nam quum *mundus ipse esse a vitiis debet qui curat aliena corrigere* [1], ut clericorum corrector se ipsum primum corrigat omnino decet: enimvero interdum non tam clericorum negligentiae, quam Institutoris ineptitudini tironum errores tribuendi sunt. Quod et Quintilianus ipse nos docet: *Ne quidem opus erit castigatione si praeceptor assiduus studiorum exactor extiterit. Nunc fere negligentia paedagogorum sic emendanda videtur* [2]. Idcirco:

a) Superbia in correctione quam maxime devitanda; secus enim cum haec veritatis obstaculum, ac omnium vitiorum mater sit, iustitiam ipsam funditus conficiet. Tunc enim Rector, dum de culminis reverentia gloriam affectat honoris, summa quae videre nequit, clericis nuntiare non potest: quum sub studio corrigendi erumpat libido apparendi nihil nisi se ipsum corrector spectat, et potiusquam ad emendationem moveat, ad despectum deprimit, atque veluti brevissimo ad gloriam itinere aliorum castigatione utitur. Tunc Rector tremendus magisquam mitis, iudex quam consolator esse mavult, in se alienae infirmitatis compassionem trahere et proximorum imbecillitati misereri nescit, et dum caritatis viscera non habet, sub specie iustae increpationis, clericorum bonum pessundat. Enimvero nec culpas ipse distinguit, nec personas spectat; suspiciones pro certitudine habendo, dubia pro certis punit; ut redarguat culpas fingit, et ex fictis culpis sibi puniendi campum parat. Necesse igitur est ut Rector *in quibus alios reprehendit suae cogitationis elationem inclinet* [3], quia, si su-

[1] S. Gregorius Magnus, *Moral.* Lib. XXII, cap. 13.

[2] S. Gregorius Magnus, loc. cit.

[3] *Institut.*, Lib. I. cap. 3.

blimiorem se coeteris conspicit, eo peius ruit ac ruere facit.

b) Aemulatio quoque et invidia in correctione devitandae, quibus, non veritate sed passione duce, malitia Rector obcaecatus, malum quod non videt ad accusationem quaerit. Tunc [canino veluti more] subditum uti praedam insequitur ipse, muscas pro elephantibus habet, et ad vim usque erumpit. Attamen haec omnia [quae vix quidem in clericorum institutione locum obtinent] in Officialium emendatione facilius habentur, in qua propterea Rectori summopere advigilandum.

c) Ira ac furor quoque a correctione cavenda, quibus dum Rector culpas ulciscitur, ulciscendi furore ipse superatur, quo non correctio delinquentis, sed eius magis oppressio sequitur. Dum igitur Rector aliena corrigit, eius mens a suo aestu prius deferveat; intra semetipsum zeli sui impetum [tranquilla acquitate] prius componat, ne si ad animadvertenda vitia, abrupto furore, trahatur, peccatum corrigendo peccet, neve qui culpam diiudicando insequitur, immoderate feriendo pereat. Vitiorum quippe in correctione iracundia adeo debet menti subesse ut iustitiae exequutionem non dominando praeveniat, sed famulando subsequatur, ut rectum iudicium impleat, non possidens praecurrat. *Domine ne in furore tuo arguas me* [1] Propheta cecinit; *hoc est argue me sed non in ira, corripe me sed non in furore* [2]. Idque recte; nam *cor non mollit furor, iracundus auget morbum, mitis autem imminuit* [3]. Secus enim dum corripiendo irascimur, amplius oneramus peccantem quam quod mereatur, ac e Pastoribus in lupos convertimur pacisque munus funditus diruimus. Haec vero agendi ratio in his qui tantam vesaniam nomine zeli palliant et colorant [quo iis quae divina sunt ad humanam explendam libidinem pessime abutuntur] multo magi improbanda. *Sit* igitur *omnis homo.. tardus ad iram.* [4] *Ira* enim *viri iustitiam Dei non operatur* [5]; *correptio mendax in ore contumeliosi* [6].

[1] *Psalm.*, VI, 2.
[2] S. Petrus Chrysolog., *Sermo* 45.
[3] S. Ioan. Chrysostom., Homel. XV *in Math.*
[4] Iacob. I, 19.
[5] *Id. Ibid.* 20.
[6] *Eccles.*, XIX, 20.

d) Diffidentia ac praeventio nimia devitentur, quibus semper falli Rectores, mentita specie, timent, veritatem autem repudiant, ac non quae sunt, sed quae esse forte cupiunt considerant. Hac insana cupiditate, non opera tantum scrutant, sed mentem quoque ac animum [quae Deo tantum nota sunt] suspiciose interpretantur et, hac curiositate, tam saepe decipiuntur ut vanas species pro argumentis existiment. — Nec satis, nam quum bonum in simplicitate agi non posse isti putent, singulis in operibus [quamvis simplicibus] corruptas suspicantur intentiones, qua mala arte dum iustitiam laedunt, et a subditis pacem auferunt. *In via stultus ambulans cum ipse sit insipiens omnes stultos aestimat* [1], *et cum pax sit, semper insidias suspicatur* [2]. — Huius nimiae diffidentiae causae in malitia et ingrata experientia ab Angelico indigitantur, quas heic persequi, cum longum nimis sit, omittimus. E contrario [idem S. Doctor monet] *iudicandum est de rebus et personis ut sunt et, nisi manifesta ratio in contrarium appareat, bonos esse homines habendos* [3]. Attamen ne quid nimis; nam [ut D. suadet Augustinus] *ille qui pie et iuste vivit, qui rerum integer aestimator est in neutram partem declinet* [4]; secus enim, e contrario, nimiae simplicitatis detrimenta sibi ac Communitati Rector comparabit. Ad rem vero S. Ioann. Chrysostomi monitum recoluisse iuvabit: *malevolae suspiciones sunt invidentium, benevolae gubernantium* [5].

e) Et ultio quam maxime in correctione devitanda; nam *etiam iuste vindicandi caussa aliquid punire execrabile est* [6], quod non tantum voce, sed et scripto, interdum, evenire consuevit. At Sancti Viri omnes secus fecere, quod et Moysem servasse legimus qui post tot exantlatos in populo Dei labores, cum ab Israelitis pessime haberetur atque vituperaretur, nullam non modo sibi quaesivit ultionem, sed et pro ingratis filiis Deum exoravit ad Tabernaculum confugiens ibique clamando: *Obsecro... aut di-*

[1] *Eccles.* X, 3.
[2] *Iob.* XV, 21.
[3] II. II. q. 50, artic. 4.
[4] *De Doctrin. Christian.* Lib. I. cap. 27.
[5] Hom. 3, *De Fide Annae.*
[6] Sixtus Telesphor., Sent. 252.

mitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti [1]. Et recte sane, quum secus ultio ultionem concitet, quod interdum et in clericali institutione contingit, in qua Officiales suae iniustitiae culpam tum ab his qui intus, tum ab his qui foris sunt [dicteriis admodum infinitis] misere luunt. *Honestum ac magnum vindictae genus esse ex corde ignoscere* [2] pro certo habeas: sicut enim ulcisci pusilli, parcere magni animi est.

LIV. — Ad passionum in correctione exsuperandos effectus quae sequuntur recolere iuvabit:

a) Divini iudicii Rector memor sit, nam *iudicium durissimum his qui praesunt fiet* [3], et *eadem mensura qua mensi fueritis dimetietur vobis* [4] ut ipse Christus protestatur.

b) Quae iuvenis cum esset a suis Praepositis in correptione optaverit Rector recolat, dicente Scriptura: *intellige quae sunt proximi tui ex te ipso* [5]; nam *iustitia non factura est alteri quod sibi fieri nolit, et quod sibi velit negatura* [6]. Quod primae prudentiae preceptum, uti per se perspicuum ac in regimine consuetum, pluribus explanare haud necesse est.

c) In latus naturae contrarium atque propriam contra moralem aut physicam indolem obnitendum est.

LV. — Conclusionis instar heic quoque D. Gregorii monimenta memorare iuvat: *Nisi quis a semetipso deficiat ad eum qui supra est non appropinquat* [7]; *non vivit iustitiae nisi qui moritur iniquitati* [8].

[1] *Exod.* XXXII, 32.
[2] S. Ioan. Chrysostom., *De quatuor virtutib.*
[3] *Sapient.*, VI, 6.
[4] Matth., VII, 2.
[5] *Eccles.* XXX, 18.
[6] S. Bernardus, *De Consideratione* lib. II, cap. 4.
[7] *In Psalm. Poenit.* Psalm. 7.
[8] *Ibid.* n. 16.

§ IV. — De alienis in re passionibus exsuperandis.

Summae Rerum. — LVI. De huius victoriae necessitate, ac quantum delationes devitare intersit. — LVII. Delatorum variae species memorantur. — LVIII. Eorum notae recensentur. — LIX. Qua ratione delatoribus resistendum sit.

LVI. — Quamvis obstacula quae a Rectoris passionibus in correctione dimanant magni quidem momenti habenda sint, attamen et difficultates quae ab aliorum cupiditatibus in re obvenire solent haud negligendae sunt. Quamobrem, postquam de primis diximus, ut et de alteris, quarum effectus [ad rem nostram quod attinet] delatione potissimum continentur, breviter sermonem instituamus officii nostri ratio postulat. — Delatio igitur quam maxime devitanda ab illis omnibus qui iustitiam veritatemque colere intendunt, quod eo magis hodie servandum quum *fraus, circumventio et violentia invaluere super terram*[1]. Locustae enim habentes facies hominis, nulli quidem aetati ac hominum generi parcentes, honoris spicas corrodunt ac depascunt ubique. Eae vero non tantum inter clericos, sed praesertim Officiales inter habentur, qui putantes se religiosos esse et non refrenantes linguas suas, quas scientiae morum prima principia ac naturalis honestas delationis usu exercendas vetat, id tanquam officium putant. His si Rector attendat, dum veritatem caritatemque offendit, pessimos regiminis errores [misero in modo] cumulabit, ac audaciores scorpiones istos reddet qui Comunitatem totam diruent.

LVII. — Ad delatorum varias species [ex quibus aliqua saltem ratione dignosci possunt] indigitandas quod attinet, tum eorum agendi rationem, tum media quibus utuntur describere oportet:

A) Ad eorum agendi rationem quod refert habentur:

a) Delatores phantasiae servientes qui, quamvis haud frequentes, attamen, quum nil in eis ratio va-

[1] S. Bernardus, *De Considerat.* lib. I, cap. 6.

leat ac omnia phantasia possit, perniciosissimi extant. Nutantur mutanturque eorum animi passim, ac quidquid sese vidisse, vel audivisse putant [miris verbis] Rectoris statim auribus insusurrant.

b) Pseudo-zelantes qui de mane ad vesperam quae sibi videntur recta enarrando delectantur. Hi, venenatis illis verbis *videtur*, *fertur*, *creditur*, sub observantiae cementita specie, quae ipsi tantum vera sibi confingunt uti a multis habita enarrantes, delationem pessimam exercent charitatemque confodiunt.

c] Maligni vero plures numero habentur, qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, diserti adversus iustitiam, eruditi pro falsitate; sapientes ut faciant malum, eloquentes ut impugnent verum, qui non comperta sed sua adstruunt, de proprio calumnias innocentiae struunt, caritatisque simplicitatem destruunt.

B) Ad modum quod attinet delatores habentur:

a) Manifesti qui nude ac irriverenter qualecumque detractionis viru quo vellicari se sentiunt, irreverenter evomunt.

b) Occulti qui, simulatae verecundiae fuco, conceptam malitiam quam retinere non possunt, verbis ac scriptis [et quidem saepe anonymis, sive apocryphis] adumbrare conantur. At quum plus periculi in insidiatore occulto quam in hoste manifesto sit, multo magis ab his Rector caveat.

LVIII. — Delatorum vero notae haec sunt:

a) Hypocritae peritissimi sunt ac, ut melius decipere queant, virtutis larvam induunt. Tunc, ut falsa aptius confingant, a veritate ac dilaudatione incipiunt, utque maxime accusent defectus, eos excusare videntur. Perversis insuper recta permiscent, atque perceleberrimis D. Bernardi in re verbis utuntur: *Doleo vehementer pro eo quod diligo eum satis, et numquam potui de hac re corrigere eum! Quoniam per alterum patefacta est res negare non possum; dolens dico, revera ita est. Grande damnum . . . Alias in pluribus valet: ceterum in hac parte excusari non potest*[1] . . . Hac ratione *molliti sunt sermones eius super*

[1] *In Cantic.* Serm. 24.

oleum et ipsi sunt iacula [1] et, scorpionis ad instar, dum blandiuntur a facie, pungunt a cauda.

b) Rectoris utilitatem protueri se simulant, illud Iudeorum ingeminando: *Venient Romani et tollent nostrum regnum* [2], vel Amanni illud de populo Dei: *noris utens legibus ac caeremoniis, insuper et Regis scita contemnens: et optime nosti quod non expediat regno tuo ut insolescat per licentiam* [3]. Tunc de quibusdam eventibus stuporem mentientes, ac subditos Praepositum parum venerantes quaerentes, opportunam disciplinae instaurandae occasionem sese invenisse adulatores asserunt, quo ad ultionem Rectorem incitant ex qua sibi victoriam sperant. At [Praepositus meminerit] *impia sub dulci melle venena latent* [4].

c) Humana imbecillitate ipsi abutuntur, quae tanta est, ut mendacio magis quam veritate, suadeatur.

d) Rectorum superbia utuntur qua ab incoeptis, quamvis iniustis, adeo perdifficiliter ipsi recedunt ut, errores erroribus cumulando, in culparum baratrum magis magisque in dies demergantur. Delatores igitur prius in culpam Rectorem inducunt, postea [ut prima fulciantur] novos in errores eum pertrahunt, et deinde [immodica adulatione] illum omnino perdunt. Ille vero, superbia veluti obcaecatus, adulantes potiusquam admonentes diligit ac, infidis sese committens adulatoribus, a veritate iustitiaque late aberrat. At Sapientiae monitum Rector recolet: *Subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas* [5].

e) Rectoris simplicitate ac bonitate ipsi abutuntur, quum *non solum subiectos Regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos qui dederunt moliuntur insidias* [6].

LIX. — Ad delatorum cavendas insidias sequentia prae oculis habeantur:

a) Credulitatis noxam Rector recolat qua sibi subditisque [misero in modo] infandam perniciem comparabit.

[1] *Psalm*, 54, 22.
[2] Ioan., XIII, 48.
[3] Esther, III, 8, 9.
[4] Ovid. *Trist.*, lib. II.
[5] *Ezech.* II, 6.
[6] Esther, XVI, 2, 3, 4.

Quod eo magis perniciosum quum' *aures Principum simplices, et ex sua natura alios aestimantes, callida fraude decipiuntur. Quae res et ex veteribus probatur historiis, et* [Rector attendat quaeso] *ex his quae geruntur quotidie, quomodo, quorumdam suggestionibus, Regum studia depraventur* [1]. — Huius vero credulitatis caussae in nimia Rectoris bonitate, in suspicione nimia, indolentia, dominationis spiritu, obcaecatione continentur, quae omnia heic innuisse erit satis. — Huius vero credulitatis in Rectore effectus in eius autoritatis imminutione, irascibilitate, errorum cumulo, subditis tranquillitatis pacisque ablatione consistunt. At tum ingenuitatem, tum acediam, tum superbiam ac praeventionem devitare Rectoris est, qui et unius auris vir haud sit.

b) Credulitati nimiae ne Rector locum cedat, quum vel nimium bonum, vel malum nimium [quoniam extrema sint] haud facile habeantur. Etenim *omnia fama trahente maiora sunt vero* [2], et tum optimum, tum pessimum perraro inveniuntur. Rector igitur [colloquentis spectata probitate] ac illud Augustini prae oculis habendo: *Veritas et veritas multi dicebant mihi, et numquam erat in eis* [3], centum ex verbis, unum tantum retineat. *Ut* enim *omnibus in actionibus tardum longumque esse expedit, sic in fide et in assensu* praestando [4]. Enimvero *frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur, oratio vero saepissime* [5], et ut vero credibilius appareat mendacii proprium est.

c) Delatori os Rector claudat quod *maledictione, dolo et amaritudine plenum est* [6], *iurgia provocat* [7], *operatur ruinas* [8] ac *occidit animas. Intuere igitur*, o Rector, *Magistrum sic facientem: non parat aures ut audiat, sed flagella quo feriat, verba nec facit, nec recipit* [9]. Quod et D. Sapientia monet: *Ne respondeas stulto*

[1] *Esther*, XVI, 6, 7.
[2] Curtius, *De Reb. Alexandr.*, lib. IV.
[3] *Confession.* Lib. III, cap, 6.
[4] Lipsius, *De Doctrina civili*, Lib. IX, cap. 19.
[5] Cicero., *De Natur. Deor.* IX.
[6] *Psalm.* X, 7.; Id. XIII, 3.
[7] *Prov.* XVIII, 6.
[8] *Id.* XXVI, 28.
[9] S. Bernard., *De Consideratione*, lib. I, cap. 2.

iuxta stultitiam suam [1], *qui imponit stulto silentium iras mitigat* [2]; *linguam nequam noli audire* [3], *remove a te os pravum* [4], *cum detractoribus ne commiscearis* [5]. Ponat idcirco Rector custodiam ori suo cum consistat peccator adversum se, et ad hoc divinum auxilium sibi a Deo flagitet cum Propheta clamando: *Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis* [6], vel cum Esther: *Tribue* [Domine] *sermonem compositum in ore meo* [7].

d) Severe puniantur delatores quum, ubi isti scorpiones tolerantur, nullam pacem, quietem nullam esse possit. *Immedicabile* enim *corpus recidendum est ense, et membri in corpore mortui abscissio potius necessaria est quam medicina* [8].

e) Homines in genere, ac praesertim delatores, Rector agnoscat: nam *non omnes quos homines appellamus homines sunt, sed pauci sunt qui homines sint* [9]. Quod, mordaciter profecto at, forsan, veraciter quidam iteravit monens: *Homo homini lupus, sacerdos sacerdoti lupior, monachus monacho lupissimus* [10].

g) Se fallere ac falli posse omnino sibi suasum Rector habeat; dubium enim veritatis initium esse philosophi monuere omnes.

h) Calumniae atque calumniantibus suum despectum palam ostendat Rector, quum et subditi, ad delationem devitandam, plus quam admonitionibus, exemplo pertrahantur. Rectorem de his nullo modo delectari clerici Officialesque omnes sciant; immo in Communitatis regimine eis nullo modo Praepositus uti ipsi perspectum ac sibi omnino persuasum habeant. Si enim a vaferrimis calumniatorum insidiis optime se esse defensos subditi noverint, eorum in Rectorem fiduciam ac amorem, miro in modo, augebunt. Vae! enim Seminario cuius praecipuo

[1] *Prov.* XXVI, 4.
[2] *Ibid.* 10.
[3] *Eccles.* XXVIII, 6.
[4] *Prov.* IV, 24.
[5] *Ibid.* XXIV, 21.
[6] *Psalm.* X, 7.
[7] XIV, 13.
[8] S. Gregorius Magn., *in sept. psalm. poenit. Psalm.* I.
[9] Plato, *Syzig.* IV.
[10] In Prov.

delationum cibo Officiales vesci ac gaudere clerici perceperint; caritas igitur exerceatur, at delatio funditus expelletur. Quod non tantum de personis, sed et de vigilantiae mediis qui mutam oculorumque delationem foveant iterandum.

i) Quid ad fraternam correctionem clerici praestare possint debeantque Rector doceat ac docere curet; persaepe enim hac in re, potiusquam malitia, ignorantia ipsi peccant. Eorum igitur in regulis explanandis [ne clerici, caritatem colere putantes, delationem foveant] fraterna correctio a delationis spiritu sedulo et accurate distinguatur. Qua in re generale a Servatore Nostro statutum ius ante omnia clericis recolendum est [1]; illud deinde clericalis status proprium adeo memorandum ut quae Dei sunt iussa, ab hominibus haud evertantur. Quamvis enim clericus quis sit, a generali tamen christianae legis observantia haud eximitur; immo, quia clericus, ad illam colendam multo magis adstringitur. Quae vero in re pro omnibus statuta fuere scientiarum moralium cultores dicunt; quae autem a peculiari clericorum statu pendent a S. Congregat. aperte indigitantur: *Alumnus quisque qui gravem culpam ex qua offensa in Deum, virtutis condiscipulorum ac boni Seminarii nominis periculum exoriri possint, ut Superiores provideant, eos admoneant. Qua in re non delatoris officium, sed commune bonum caritatemque erga animas ipsi exercebunt.* [2] Quibus ex verbis tum culpae momentum [scilicet grave], tum eius obiectum [offensa nimirum in *Deum, in condiscipulos ac in Seminarium*], tum huius rei agendae ratio [nimirum, non ut delationem exerceant clerici, sed ut bonum commune ac caritatem tueantur] prescribuntur, quae numquam a clericorum oculis diffugere debent. Quae igitur in re vere gravia sint instruantur clerici, neque [imprudentissima omnino ratione] levia in gravia commutentur, quo nunc Seminario et postea gravissimum dioecesi malum comparabitur. — Dum vero ex decreti verbis clericorum in re debitum evincitur, quae

[1] Cfr Matth., XVIII, 15. [2] Artic. 130.

hoc in negotio et Institutorum officia ac iura sint clare proponuntur: qui, videlicet, nil quam quae a lege statuta fuere a clericis exigere possunt. Secus auctoritate sua abuti videbuntur, ea quidem abusione qua nulla in regimine deterior haberi potest. Quae omnia, quamvis prima fronte nimia a quibusdam censeri possint, attamen prudenti consilio probata a multis tandem haberi bonam spem fovemus. Perplura enim quae nunc lugemus mala ab hoc delationis spiritu [imprudenter omnino Sacris, interdum, in Seminariis invecto] originem ducere pro certo habeatur.

l) In delationibus tandem [sicut et in omnimodis accusationibus] veritatem Rector perscrutare satagat; nam veritas tantum a conscientiae officio eum liberabit. Qui autem in re servandi modi sint, quum permagni momenti negotium sit, sequenti in paragrapho indigitabimus.

§ V. — Qua ratione in accusationibus discutiendis se gerere Rector debeat.

Summae Rerum — LX. De accusationis discutiendae necessitate — LXI. Quomodo in re Rector se gerere debet — LXII. Qua ratione cum accusato agendum — LXIII. De defensionis libertate ipso concedenda — LXIV. Quomodo in sententia ferenda Rector se habere debeat — LXV. Conclusio.

LX. — Ut antequam errantes corrigantur eorum culpae, discutiendo, iuveniantur opus esse patet; enimvero iudicii ordo pervertetur si ante inventam culpam sententia proferatur. Rector igitur [presertim cum de re gravi agatur] ut clericos Officialesque ad bonam frugem apte adducat et quidquid Omnipotenti Deo placitum fuerit decernat, per veritatis cribrum accusationem secernere satagat.

LXI. — Ad accusationem vero discutiendam sequentia ad rem principia prae oculis habeantur:

a) Relationem reum ac accusatorem inter sedulo exquirat Rector, nimirum non praesentes tan-

tum, sed et anteactas apte ipse perpendat. Quisnam igitur accusator, quisnam accusatus sit, quaenam probationis argumenta adducantur, quae accusationis vis sedulo Rector consideret. Quum enim persaepe propriae vel aliorum vindictae accusator minister sit, ac veritatis odium accusatus patitur, potiusquam rationibus, adeo coniecturis probatio, interdum, fulcitur ut nil aliud quam delatio exerceatur. *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem* [1].

b) Qui accusationes accipit de eo qui palam ac pubblice iterare nolit quae clam retulit [ut plurimum] suspicetur. Quamplurimi enim *sagittant in occultis immaculatum*[2], et quia teste carent, et facinore se carere putant. At *quisquis veraciter loquitur* [D. monet Gregorius] *semetipsum innotescere non debet formidare* [3]. Id autem non semper, sed ut plurimum diximus, quia, *cum veritas odium pariat*, adiuncta esse possunt quae privatis in accusationibus aliter agendum suadeant.

c) Accusatoris nomen accusato ne pandatur; secus dum odium ultionesque crescunt, illis qui, observantiae tantum studio, culpas renunciant, claudetur os.

d) Quo iunior atque minus disciplinae studiosus accusator est minus ei credendum. Iuventus enim plurimum phantasiae concedit, eique vita minus perfecta suspicionis est.

e) Quo gravior culpa eo difficilius credenda, quum, uti diximus, pessimum quodque raro habeatur.

f) Gravissimis de criminibus accusatio scripta exigatur, quo Rector sibi consulet, nec imprudenter egisse videatur.

g) Ad rem inquisitiones numquam accusanti demandentur, qui [ut patet] potiusquam veritatis, proprii asserti argumenta quaeret. Cum vero id plurimis tradatur munus, ut invicem illi rem ignorent oportet.

[1] *Eccles.* 22, 9.
[2] *Psalm.* 63, 5.
[3] *Epistolar.* Lib. VI, Indict. 4, epist. 31. *ad Ravennat.*

h) Opinionem quam de accusato Rector habet accusatori ne adaperiat, quum si bona magis invidia excitetur, si mala vero fuerit, accusatio augeatur fulciaturque.

Tamdem [uno verbo] adeo rei personam Rector induat atque accusato ita consulat sicut sibi consultum vellet, qua ratione *Deus erit in latere suo et custodiet pedem eius ne capiatur*[1] *in verbo indisciplinato.*[2]

LXII. — Ad culpam cum accusato discutiendam quod refert Rector:

a) Dubia uti dubia tradat; secus [correptio enim omnibus quam maxime ingrata evadit] quum quae male exaggerata sunt accusatus infirmet, caeterarum omnes quoque iustarum admonitionum vis evanesceret. Veraciter igitur cauteque in re se gerat Rector, nec tantum numerum, sed et verborum vim ipse perpendat, nihilque subdito vel sibi perniciosum proferat.

b) De mentis animique intentione neutiquam iudicandum, de qua sententiam ferre Dei tantum est; saepe enim aliter species facti, et aliter animus facientis sese habent. *Homo judicare non potest, quod videre non potest*[3].

c) Illicita ne deducantur consectaria, quod habetur quum culpae multiplicantur, incerta uti certa asseruntur, culparum caussae augentur, unius culpa multis adscribitur, cum falso prophetatur, cum similes omnes actiones simili consilio adscribuntur, et ita porro.

d) Quaestoris munus sibi Rector ne sumat, quum si *castigare ad exemplum et correctionem misericordia, culpam vero inquirere ex passione.... tyrannis sit.*[4] Quidam profecto [qui patres vel matres esse debere obliviscuntur] ut reatus confessionem quoquomodo a subdito extorqueant, utque eius crimen detegant, adeo eum indefesse adoriuntur ac quaestionibus interroga-

[1] *Prov.* III, 26.
[2] *Eccles.* V. 14.
[3] S. Augustin. *Tract. in Ioann.*
[4] Saavedra, Op. cit. *Symbol.* 22.

tionibusque urgent, laqueis circumire quem reum putant undique satagunt, ut moralis vexationis doloribus accusatum subiicere videantur. Quae plane, quum Rectoris aulam in quaestoris tribunal immutare omnino dedeceat, et D. Ambrosio dicente: *non iterum argues et impugnes cuius crimen non deprehenditur* [1], abominanda prorsus sunt. Qui enim accusato neganti cesserit, Deo coram ac hominibus prudentiae suae speciem ostendisse, et pro disciplina satis fecisse arbitramur.

e) Clericorum vel officialium fingere vel augere culpas ut eorum virtus probetur haud licet: mendacium enim semper est quo, nunquam, nemini, maxime vero Rectoribus, uti fas est. *Veritas non quaerit fulciri auxilio falsitatis* [2], D. Gregorius sapienter monet.

Uno verbo, coram accusato culpam discutiens ita Rector se gerat ut cum innocente decet; nam quousque haud culpae evincitur ipse, uti innocens habendus est, et ideo magna cum reverentia habendum. Hoc enim in terrestri exilio *quis innocens esse poterit si accusasse sufficiet* [3] *?*

LXIII. — Praeterea ut defensionis libertatem accusato Rector concedat tum ex naturali, tum ex canonico iure omnino iubetur; secus enim non iustitiae zelus, sed saevitia ac furor puniendi erit. Quod praesertim in clericali institutione [res numquam satis dolenda!] contingere videmus in qua, praesertim a contuberniorum Praefectis ac Magistris, nec perfunctoria quidem inquisitione praehabita, nullaque discussione praemissa, nullaque demum defensione concessa, reprehensiones castigationesque per fas et per nefas, uti gratia, misero in modo, hinc inde distribuuntur! Hac ratione clericorum in animis pessima contumaciae germina inseruntur, quae postea [sacerdotio aucti] erga Seminarium, Institutores ac quidquid auctoritatis sapit aversionem rebellionemque [vix vincibilem] pariunt. At quando tandem et clericali in institutione uti Dei filios, Christi

[1] *De Officiis*, Lib. II, cap. 24.
[2] *Moral.* Lib. I, cap. 13.
[3] Amian. Marcellin., XVIII.

sanguinis pretium, immo uti rationales creaturae decet reverenter clerici habebuntur? Unam igitur saltem aurem accusato Rector pandat, juxta pervulgatum illud effatum: *audiatur et altera pars.* Calumniae enim multae, multi iique graves dolores, multaeque lacrymae vitarentur ea si sententia diligentius observetur; levis enim tractu justitiae facies [miserrimo in modo et, ut plurimum, irreparabiliter] corrumpitur. Quod utinam omnes intellexissent! *Dux indigens prudentia multos opprimet per calumnias* [1].

LXIV — Hisce praehabitis ad ferendam sententiam Rector accedat, qua in re quae sequuntur prae oculis habeantur:

a) Poena culpae semper aliquanto pondere minor decernatur.

b) Rei famae consuletur, nam si *error corrigendus est, ne corrumpatur signaculum Redemptoris.* [2] Idcirco:

1) Neminem adeo de admissis Rector improbet ut ipse sibi despectus evadat; quo qui increpatur quasi moraliter interficitur ac adeo opprimitur ut vix redemptionis resurrectionisque spem fovere possit, sed immo passim in desperationem coniiciatur: quod sane a correctionis fine absonum omnino est; ea enim rei salus non mors querenda semper. Insuper ne ea se scire quae subditi in mente abduntur, neque [imprudenti ausu] Rector conscientiae animaeque inviolabile sacrarium ipse violet, nec alii violent procuret. Haec omnia enim, dum nimis alte feriunt, non sanant, sed immo mortem animo inferunt.

2) Si abdita est culpa [quod habetur quum duobus, vel tribus tantum innotescit] poena quoque occulta sit. At clericali in institutione saepe nimis [infandum in modum] hanc elementaris prudentiae charitatisque normam posthaberi videmus, quo fit ut non tantum clerici puniantur, sed et [iniuste omnino] deprimantur. Incauti enim pariterque imperiti Institutores [qui, nisi con-

[1] *Prov.* XXVIII, 16.
[2] S. Augustin., Epist. 185, *ad Bonifac.*

tinuo puniant, suo functi munere sibi non videntur] abditas culpas cum publicis commiscent, publiceque eum qui occulte peccaverit puniunt. Miserrimos igitur improbant atque redarguunt, eiusque sociis scandalo afficiunt, qui [obstupescendo] tanta qui plectitur poena quidnam mali fecerit sciscitant perscrutantque. Tunc ob culpam quae in contubernio vel in schola quis admiserit, extra scholam ac contuberniuni, medio in triclinio, vel quandoque et in sacello [sacro Tabernaculo coram!] publica acrique reprehensione praemissa [qua et humilis ortus, parentum tenuitas, parvae domesticae res, et corporis defectus recoluntur] miserrimo indignoque in modo non tam castigatur, quam potius interimitur. Quod si clericus aliud omnino quam iumentum se esse neminerit, atque, erecta fronte, respondebit, quippe qui et vocatione et humilitate careat palam incusatur, et secreto de eius dimissione constituitur! At [iterum iterumque rogamus] ad quid Sacris in Institutis haec omnia patrantur? Quousque tantae insaniae vesaniaeque clericorum in institutione locus erit? Nec incurabilem esse reum dicat quis; siquidem tunc, antequam ad haec omnia deveniatur [prudenti ac congrua ratione] talis clericus e Seminario dimittendus erit. Si enim tantam ac frequentem castigationem ipse sibi revera mereatur, et Seminario primum, et sacerdotio omnino indignus censendus est.

3) Unus ac semel tantum eadem pro culpa puniatur, quod principium et in clericali institutione saepe neglectum videmus. Tunc ex. gr. si aliquid tiro in schola vel in contubernio admiserit, et ceteri qui correi suspicantur, vel qui delationem exercere renuunt [omnino iniuste] poena plectuntur. Alias vero idem tyro eadem pro culpa ab Antecessore primum, a Praefecto Studiorum mox, a Vice-Rectore deinde, et a contubernii Praefecto tertio ac quarto adeo stultissime punitur ut tot inter iudices atque lictores quo miser confugiat nescit! Quod alumnus quidam, lepide prorsus sed significanter confessus est, qui coenae amissione ab Antecessore mulctato, ut, e contrario, prandio privaretur humiliter poposcit. Magistro vero roganti cur maiorem sciscitaret poenam, candide respondit: Quum prandium iam Praefecto solvere debeam,

si et coenam amiserim de quo vivam? Quae agendi ratio an ridenda, vel lugenda potius sit cordati viri libere dicant!

4) Nisi id vera suadeat utilitas, minimarum culparum notitia maiores ad Moderatores ne deducatur; quod Vice-Rectori, Praefecto studiorum, Antecessoribus ac contuberniorum Praefectis praesertim recolendum. Quamvis enim ex S. C. decreto Vice-Rectori [1] ac Praefecto Studiorum [2] Rectorem erga; Antecessoribus erga Praefectum studiorum ac Rectorem [3]; Praefectis [4] erga Rectorem ac Vicerectorem ut de alumnorum agendi ratione referant pluries, [opportune prorsus] inculcetur, attamen est modus in rebus a prudentiae iustitiaeque lege praefinitus, ab omnibus servandus, et a S. Congregatione ipsa Praefectis statutus edicente: *Cum prudentia ac sinceritate Rectorem et Vice-Rectorem de alumnorum agendi ratione doceant* [5]. Quamobrem quae quidam moralis disciplinae peritus ad Contuberniorum Praefectis quod attinet suadet ab Institutoribus omnibus audiantur: *Certe Praefectus de alumnorum moribus Superiores informare tenetur; sed delationes circa particularia ad casus necessitatis reservare debet... Res itaque leviores et ordinarias nec Rectori, nec Vice-Rectori deferet, sed illis per se ipsum remedium apponere conetur. Aliud est vero de gravioribus* [*speciatim contra pudicitiam, vel religionem*], *quibus in rebus Superiores severissimi et inexorabiles esse debent. Item aliud est de relationibus generalibus, seu de punctis quae Praefectus circa disciplinam, pietatem, unicuique iuxta meritum, assignare et* [*iuxta regulas*] *Superioribus ostendere tenetur* [6]. Quibus ex verbis patet hoc onus et de peculiaribus minimisque rebus maiores Officiales minoribus legittime imponere non posse, neque minores ad illud ferre cogi.

5) Reus ne vituperetur; quod profecto habetur quum humilitatis ortus, ingenii tarditas, divitiarum aut rependi stipendii exiguitas, corporis defectus illi obiiciuntur;

[1] Artic., 39.
[2] Artic., 60.
[3] Artic., 68.
[4] Artic., 46.
[5] Ibid.
[6] Berardi, *Theologia Pastoral.* Sect. II, cap. 2.

quae omnia, quum nullo modo ad rem faciant, qui hisce uteretur revera Redemptoris signaculum in subdito infringeret, institiam laederet ac veritatis justitiaeque sacrosancta iura funditus violaret.

6) De praesentibus, non de praeteritis culpis alumnus puniatur; quum et hac quoque in re praescriptio vel misericordia saltem, vigere debeant.

7) Clericorum, non vero eorum parentuum culpae puniantur, quod habetur quum, ex quadam animi ab eis aversione, vel quia negligentes in solvendis Seminario debitis ipsi sunt, eorum in filios poena [iniuste prorsus] refunditur.

8) Acceptio personarum nulla sit; hac tamen ratione [ut diximus] ut variae alumnorum aetatis, sanitatis, ingenii, temperamenti, meriti et ita porro condiciones spectentur. Qua in re [si quod sentimus libere aperire licet] in clericali institutione saepissime peccatur, in qua hoc unum tantum spectatur, nimirum, ut clerici quoquomodo humilientur, opprimantur ac veluti conterantur!

LXV — Conclusionis instar Veneratissimi Magistri nostri verba audiantur: *Doctor ut lapsos bene corrigat, prius culpas discutiendo invenit, deinde inventas ferit. Ut ergo feriat ac perspicue et aperte videat, mentis oculos ad videnda ima peccatorum vulnera curvat*[1] ... *Homines, cum per disciplinam alios feriunt, sic alienam infirmitatem debent percutere ut etiam ad suam noverint oculos revocare, ut semetipsos considerent quantum aliis feriendo parcant, cum se quoque ipsos dignos percussionibus non ignorent*[2]. *Libertatem eorum qui vobis commissi sunt ut vestram specialiter attendere debetis, et si ipsi a maioribus vestris iniurari libertatem vestram non vultis, subiectorum vestrorum libertatem honorando custodite*[3].

[1] *In I. Reg.* Lib. VI, cap. 56.
[2] *Moral.* Lib. XIX, cap. 56.
[3] *Epistolar.* Lib. X, Indict. III. Epist. 51, *ad Leontium.*

§ VI. — De discretione in correptione servanda.

SUMMA RERUM. — LXVI. De eius inibi necessitate — LXVII. Qui in re scopuli devitandi sint — LXVIII. Discretionis in correctione condiciones recoluntur ac inlustrantur. — LXIX. De quodam in re generale principio prae oculis habendo. — LXX. Conclusio.

LXVI. — Quum *iustitia sine discretione gladius sit in manu furiosi... et mors et bonorum persecutio*[1], et in correctione discretionem servandam esse liquido patet. Sit ideo cum discretione correptio, iram benignitas temperet, benignitatem zelus acuat, ac ita alterum condiatur ex altero ut nec immoderata ultio plus quam oportet affligat, nec, iterum, disciplinae remissio rectitudinem frangat. Quod praesertim iuvenili in institutione servandum, in qua, ut imbecillis aetatis conditionibus consulatur, vel saltem ipsi reverentia habeatur, omnino opus est. Secus enim, si plus quam par est et res exigit, ferrum imprimatur [cum et quod sanum est vulneretur] quibus prodesse intenditur nocumentum comparatur. Rector igitur [in correctione praesertim] adeo se ipsum moderetur, ut dum disciplinae iura contra delinquentes exercet, pietatis viscera ipsos erga non amittat. Opportunum igitur correctionis tempus deligatur, iuxta clericorum diversitatem ea adhibeatur, et gradatim ac semsim decernatur: de quibus omnibus recensitis industriis, postquam nonnulla de in re obstaculis dixerimus, brevem sermonem instituemus.

LXVII. — Discretionis in correctione praxis, quamvis prima fronte facilis videatur, attamen, quum obstacula quae illi obsistant, tum numero, tum momento haud pauca nec levia sint, ardua prorsus res censenda semper. Quae impedimenta ac obstacula habentur quum

[1] S. AUGUSTIN., *Ad Fratres in eremo*, Cap. 14.

vel nimis tarde, vel nimis cito, vel omnia emendare conamur.

a) Ad nimiam correptionis tarditatem quod spectat illud Poetae recolendum: *Principiis obsta: sero medicina paratur quum mala per longas invaluere moras*[1]. Accedentem improbitatem fugare quam procedentem altiusque grassantem coercere atque superare, minoris enim laboris est, quod et in maius subditi emolumentum cedere consuevit. Haec omnia iuvenili in institutione praesertim locum obtinere videmus, in qua si mala [etsi parva leviaque sint] diutius quam par est tolerantur, adeo iuvenile in animo alte insident ut ea deinde evellere perdifficile omnino evadat. Quum igitur contumaciae dissipationisque spiritum indicia in clerico Institutores deprehenderint [quum *parva non sint e quibus magna proveniunt*[2]] provideant statim; secus enim dum quaedam non gravia facta libere ac sine metu perpetrantur, sensim sine sensu, assuetudine, ad graviora dilabitur.

b) Ad nimiam festinationem quod refert illud Philosophi Moralis recolendum: *nil tam periculosum quam immatura medicina*[3]. Nonnulla enim vel aperte cognita mature toleranda sunt quum, videlicet, ut aperte corrigantur rerum opportunitas minime congruit. Plurimos enim ad salutem reduci posse si cum paterna quadam ac plena amoris ac fiduciae patientia res agatur, usus ac experientia amplissime docuere. Quae omnia et clericali in institutione locum obtinent; iuvenes enim si festinatione nimia corrigantur et [eo magis] puniantur, potiusquam flectantur franguntur: tenuiores arbores, tenuioresque rami ipsi sunt, ad quos apte flectendos patientia maxima opus est.

c) Qui vero omnia indiscriminatim corrigere intendit Sapientiae monita recolat: *Noli esse iustus multum*[4], *prudentiae tuae pone modum*[5], *insipiens est omnis sapientia cui non adest modus*[6]. Rector idcirco D. Bernardi ad rem documenta consideret: *Multa nescias, plu-*

[1] Ovid., *De Remed. Amor.*
[2] S. Ioan. Damascen. Orat. I.
[3] Seneca, *De Consolation.* ad Helvetium.
[4] *Eccles.* VII, 17.
[5] *Prov.* XXIII, 4.
[6] Lipsius, *Epistol.* 56.

multa dissimules, paucula corrigas[1]. Hoc ipse Deus servavit qui peccatores minus quam eorum culpae requirant ipse in interno afficit; hoc et Servator Noster cum adultera servasse legimus; quod et David bene cognovit qui cecinit: *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura*[2]. Ut enim navis gubernator cum adversari sibi ventum observat, quosdam fluctus directo clavo impetit, quosdam vero (quos superare non posse previdet) inflexo cursu, prudenter declinat, ita clericorum Institutor quaedam arguendo, quaedam tolerando mitiget. Rector igitur inordinatae superbiae, nimiae sollecitudini ne attendat, sed, humanae naturae imbecillitati compatiendo, patientiae, longanimitati ac misericordiae insistat, quibus tantum (ut plurimum) clericorum optatam emendationem ipse assequetur. *Qui vehementer emungit elicit sanguinem*[3] D. Sapientia monet.

LXVIII. — De discretionis in correptione conditionibus servandis haec principia prae oculis habeantur:

a) Tempus opportunum deligatur, quum praesertim in correctione, utrum antea an postea decernatur, suscipiatur, agatur multum intersit. Nam si immature quis dederit, nil dubium quin sit causa periendi res salutis: si autem serius dederit ad nihilum valet. *Temporibus enim medicina valet, data tempore prosunt et data non apto tempore vina nocent.*[4] Dum igitur Rector vel subditus ira fervescunt cunctandum est; secus enim dum primus commiserationis spectaculum tyroni praebit, alter vero ad maiora incitatur scelera, quibus (ut iuvenili in institutione facilius contingere videmus) disceptationes easque publicas contuberniorum Praefectos Antecessoribusque ac iuvenes inter habentur, quibus, ad Institutoris auctoritatem periclitandam nil infestius haberi potest. E contrario, quum clericus ad divinam recipiendam gratiam paratus ac omni praeventione solutus est, tunc corrigendus. Ex quo qui ad cle-

[1] *De Considerat.* Lib. V, cap. 3.
[2] *Psalm.* 29, 6.
[3] *Prov.* XXX, 33.
[4] OVID. *De Remed. Amor.*

ricorum emendationem unum vel alterum in hebdomada vel in mense diem constituunt, vel unam vel aliam anni occasionem ex lege praestituunt an huic praecepto consulant facile evincitur. Quidquid sit nullo modo menstruae recollectionis spiritualis, vel Exercitiorum Spiritualium tempore haec correctio ex officio peragenda; quum hac ratione saepe nimis, sive timore, sive anxietate, sive dolore huius piae praxeos fructus omnis disperdi solet.

b) Variis clericorum conditionibus Rector se accomodet. Eorum itaque aetatem, virtutem, voluntatem, caracterem, temperamentum, valetudinem, passiones prae oculis ipse habeat, quae omnia, ut patet, quum diversissima et in tyronibus sint, prorsus varia ac dissimilia remedia requirunt.

c) Sensim atque gradatim procedatur, corporalis medici ad instar qui non omnia, nec statim summam medicamentorum quantitatem aegrotanti praebet, sed sensim unum post aliud adhibet, diversamque quantitatem praescribit. Idcirco a minori ad maius procedendo:

1) Severus vultus primum ostendatur.

2) Verba deinde, nimirum, minus brevis deliba-tio, admonitio, reprobatio, iussus seu imperium, et tandem minae [quae omnia complectuntur] adhibeantur.

3) Facta deinde sequantur.

LXIX. — Universim illud generale in re principium praestituere opportet, nimirum: si ad emendationem minimum sufficit, maius haud adhibendum esse; quum heic praesertim quidquid nimium est et perniciosum iniustumque esse consueverit. Si igitur ad emendationem beneficium sufficit, nec monitio, nec admonestatio adhibenda est, iuvenili praesertim in correctione in qua, saepissime, quod maiores punitiones haud attingunt, minora beneficia adipisci solent. Insuper quum vultus severitate adhibere satis sit, verbis uti haud oportet: cum pauca verba sufficiant, multis uti non decet; ubi sat est indirecte monere, directe id facere noceat: si satis est [quibusdam in circumstantiis] a Rectore ipsum admonere, per alios non est faciendum. Cum secreto monere satis sit,

palam id facere nocet, et ubi peculiaris monitio sufficit, generalis devitanda semper; cum minitari sufficit, ne punitiones adhibeantur, et cum levis poena satis est, gravis haud imponatur. Admonitionem atque reprehensionem, minas ac poenam inter emendationi dandum tempus est, et [quod in iuvenili institutione facile contingit] si sponte culpam reus fatetur, ut plurimum, ignoscendum, vel saltem poena prorsus minuenda.

LXX — Conclusionis instar D. Laurentii Iustiniani verba recolere iuvabit: *Maxima est adhibenda in correptione prudentia: consideranda est peccati qualitas, peccantis condicio, intentionis perversitas, correctionis tempus, et verborum mensura. Horum aliquo deficiente, redargutio ipsa vix absque delicto committitur* [1].

§ VII — De in correctione caritate adhibenda, et ad rem normae.

Summae rerum. — LXXI. De caritatis in correctione necessitate — LXXII. Huius virtutis in correctione effectus recoluntur ac inlustrantur — LXXIII. Conclusio.

LXXI. — Adhortante Apostolo *omnia vestra in caritate fiant* [2], *satis ostendit ipsas correctiones.... cum caritate esse faciendas* [3], qua correptio si diligens non severa, ac si dulcedo cauta, haud tamen remissa est. Tunc enim adeo alterum condietur ex altero ut et boni habeant amando quod caveant, et pravi metuendo quod timeant. Maior autem huius caritatis effectus est ut asperum aliquid, correptionis semper proprium, studio minuatur; secus enim cum rigoris asperitate correptionis fructus facile perit, vel ipsa culpa plus quam par est ingravescit et rei contumacia acuitur. Ad destruendas enim culpas ille tantum potest qui, magna charitatis affectione, ipsos reos demulcet; enimvero

[1] *De Institut. et Regim. Praelator.* Cap. 9.

[2] *I Corinth.* XVI, 14.

[3] S. Augustin.. *De Gratia et libero arbitrio*, n. 24.

multam compassionem postulat conversio peccatorum! Rector igitur dum, ut omnem vim morbi perfecte confodiat, perfecte feriat, ac ut plagas quas pungit ad sanitatem reducat per misericordiam ungat: medicinae oleum quo foetores tergat aegrosque mentes saluti restituat ne desit, at et misericordiam abundantem [quae virtutibus ceteri ab eo preferatur] habeat. Hac tantum ratione *minister Christi Jesu in gentibus sanctificans evangelium Dei*[1] Rector erit, et hac caritate incensus huius salutares effectus, quos recolere opportunum ducimus, sibi subditisque Praepositus comparabit.

LXXII. — Caritas, scilicet, in correctione:

1) Corrigentis intentionem purificat quo tantum eius finem assequi licet. Ad rem vero:

a) Correctionis mentem non aliam esse [ut Tridentini docuere Patres[2]] quam reum corrigere, disciplinam servare, scandalum devitare Rector meminerit.

b) Culpam a reo adeo distinguat Rector ut, dum primam persequitur, personas diligat, immo et peccantem diligit, quo tantum paternum affectum nullo modo dimittet. Enimvero dum persona per contrarietatem displicet, nec quae Rector iusta protulerit placent, et ut agricola ille qui zizania simul ac frumentum igni tradiderit stultus erit, ita qui culpam simul et peccatorem puniret omnino stulte ageret. Adeo igitur caute agendum est ut, dum spina tollitur, spica nutriatur, quatenus dum Rector studet eradicare quod pungit, noverit servare quod reficit.

c) Caritas in correctione suavitatem in verbis diffundit, qua Rector monet *non ut magister, sed ut mater, plane ut amans*[3]. Idcirco:

1) Cum Praepositus arguit nec clamet, nec aliquid inurbanum dicat; si enim clericus [et eo magis Officialis] patienter admonimenta ferre cogitur, inurbanas vero iniurias [quae improbandae omni pacto semperque videntur] haud tolerare tenetur, quibus dum Rector in asinarium convertitur, tiro vero in iumentum commutatur. *Er-*

[1] *Ad Roman.* XV, 16.
[2] S. Bernardus. *De Considerat.* in prolog.
[3] Sess. XIII, *De Reformat.*, cap. 1.

rores enim acerbius increpare, vitia vehementer reprehendere, damno magis quam utilitati est[1], Pius PP. X recte suadet. Quod Sanctos Viros devitasse legimus qui etiam cum severe corrigerent, quia in disciplina humilitatem custodiebant, internae dulcedinis gratiam non amittebant. *Qui* enim *profert contumeliam insipiens est*[2], et Apostolus monet: *Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem*[3].

d) Disputationes altercationesque vitandae semper, ut mox monuimus.

e) Caveat Rector ne consilium subditum ita irritandi foveat ut, ad insolentiam eum pulsum, gravius ac tutius puniat, monente Apostolo: *Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros ne pusillo animo fiant*[4]. Non enim damnationis, sed *reconciliationis ministerium dedit nobis Deus*[5], quo apud animas nobis concreditas eius legatione fungimur ut ad caelestem Patriam eas deducere valeamus. Insuper et Prophetae monitum Rector recolet: *in laqueum quem absconderunt comprehensus est pes eorum*[6].

f) Caritas in correctione errantem Rectorem ab errore reducit, quod sane tantae difficultatis est ut fere miraculum dixeris. At si omnium ab errore recedere est, Rectoris quam maxime, qui, potens cum sit, et potentius iustitiam laederet. Idcirco:

1) Rector [ut diximus] ut ipse se haberi velit clericum habeat, nam *iustitia nec factura est alteri quod sibi fieri nolit, nec quod sibi velit negatura.*[7]

2) Caritate utatur, iuxta Apostoli monitum, *ministrate in patientia, in amore fraternitatis.* [Rector attendat quaeso] *in caritate non ficta.*[8]

3) Coelestia vero lumina Rector invocet, quum nisi Deus adsit lux mentium, ab errore vindicare mentem homo non possit.

[1] Encycl. *E supremi apostolatus* die, 4 Oct. 1903.
[2] *Prov.* X, 10
[3] *II. Ad Thessalonic.* III, 15.
[4] *Ad Colossens.* III, 21.
[5] *II. Corinth.* V, 18.
[6] *Psalm.* 9, 16.
[7] S. Bernard., *De Considerat.*, Lib. I, cap. 18.
[8] I. Petr. I. 22.

4) Humana quoque consilia ne ipse spernat, quibus sui regiminis errores deteget.

g) Caritas in correctione Rectorem industrem reddit, qua obiurgando, hortando, suadendo, blandiendo, solando, quibus prodesse potest satagit. *Amor* enim *operatur magna si est, si vero operari renuit amor non est*[1]: et tantum *si caritas mentem plene ceperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit*[2], quibus *qui non sapiunt sapiunt, et qui desipuere resipiscunt.*[3] Ad rem vero:

1) Suae infirmitatis numquam obliviscatur Rector.

2) Immotam in animo pacem servet, quum tum illi, tum subdito inquietudo plurimum noceat. At nec culparum frequentia, nec multitudo seu gravitas, ad pacem turbandam satis esse possunt: pace insuper numquam de rei emendatione desperatur.

3) Dei ad instar corrigendi artem Rector exerceat qui, materno amore in reum utitur, cum punit misericordia iustitiam temperat, patienter attendit, veniam cito dat, et de rei emendatione gaudet.

4) Ne moerentem atque desolatum clericum relinquat caritas Rectori suadet, corporis medicorum ad instar qui, postquam igni ferroque usi sunt, aegrotum non dimittunt, sed magis magisque curant atque custodiunt, utque de inlatis vulneribus convalescat eum adiuvant, de acceptis iniuriis solantur, et ad infirmas reficiendas vires adiuvant. Enimvero *si est lingua curationis, est et mitigationis* [4] et consolationis, qua non modo secantur vulnera, verum etiam [boni Samaritani ad instar] vulnera obligantur, quo illud Prophetae impletur: *Cum animam afflictam replevereris...., orietur in tenebris lux et tenebrae erunt sicut meridies* [5]. Idcirco:

I) Rector ignoscat, obliviscatur reddatque subdito gratiam, ut Deus agere solet qui delato-

[1] S. Greg. Magn., *Homil. in Evangel.* Lib. III, hom. 30.
[2] *Id. Moral.*, Lib. X, cap. 6 n. 9.
[3] S. Bernard., *De Considerat.* Lib. III, cap. 1.
[4] *Prov.* XXXII. 20.
[5] Isaia, LVIII, 10.

rum per poenitentiam peccatorum se non recordaturum amplius et proiecturum in profundum maris omnia peccata nostra pollicetur.

II) Condignam post poenitentiam sua in gratia reum redintegret. Quod et clericali in institutione recolere haud inopportunum erit, in qua, e contrario, saepe nimis, Institutoribus tirones castigare haud satis est, sed numquam illis dimittunt, numquam culparum obliviscuntur, numquam culpas gratia redimunt! Satis igitur erit si clericus aut semel defecerit aut erraverit, ut ipse ab eis condemnetur atque reorum in libro in sempiternum inscribatur! Quidquid enim sapienter ille deinde et pie fecerit, nihil a culpa immune praeiudicant; qua ratione, potiusquam maiorem emendationem, astutiam tiro sibi comparat et in hypocrisim incidit. At non *solum tormenta habet Deus, sunt in eo etiam refrigeria*[1], qui per Psalmistam profitetur: *cor contritum et humiliatum non despicio*[2].

LXXIII. — Conclusionis ergo ut Rector in clericorum correctione iustitiae fundamentum habeat, eius directio discretio, eius inspiratrix caritas sit quam maxime optandum est. Hisce enim adiumentis tantum correctionis finem assequetur ipse, et quos ab errore redimit, in Ecclesiae bonum ac Seminarii emolumentum, per caritatis iustitiaeque semitas incedere docebit. *At omnia haec cum charitate fiant: quoniam charitas non facit peccatum et cooperit multitudinem peccatorum*[3]. Quam saluberrimam artem Bonus ille Samaritanus nos docere ac cumulare quam uberrime misericorditer dignetur!

Articulus II

De aemulatione ac praemiis

Negativa Rectoris iustitiae parte [si ita loqui fas est] indigitata, ut ad positivam inlustrandam accedamus

[1] Origenes, *Homil. I. in Ezech.*
[2] *Psalm.* 50, 19.
[3] S. August., *De correptione*, n. 46.

nostrum est, quae in aemulatione fovenda, ac [tum verbis, tum scriptis, ac factis] praemia clericorum laboribus tribuendo continetur. Postquam igitur de ingrato satis correctionis poenarumque argumento diximus, ad illud aemulationis ac praemiorum pergratum accedimus, in quo pertractando de aemulationis mediis primum, ac de praemiis deinde sermonem instituemus.

I. — De aemulatione

§ I. — Qua ratione laude utendum

Summae rerum. — LXXII. De laude alumnis impertienda. — LXXIII. Qua ratione laude utenda.

LXXII. — Quum de in clericis aemulatione fovenda mox dixerimus, nil ad rem addendum existimamus. Hoc unum tantum heic recolendum ducimus, nimirum ut Moderatores disciplinam Seminarii servare cupientes hoc ad ordinem praevalido argumento sedulo aptequc uti satagant. Hac enim tantum ratione sacrosanctum eorum muneris finem ipsi assequentur; dum si secus, timore at non amore in clericorum animos insidente, vel ad indolentiam, vel [quod sane peius est] ad infandam hypocrisim, a quibus per simplicitatis veritatisque semitas deduci debent, ipsi pertrahentur. Media vero ad aemulationem in clericis excitandam fovendamque in laude ac praemiis continentur de quibus perplura recolenda veniunt.

LXXIII. — Diligens idcirco Moderator laudibus in primis alere studebit clericos, nam nemo tam miserae abiectaeque sortis est ut non laudis amore capiatur. *Omnes mortales sese laudarier optant* [1] Ennius eecinit, et *honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria, jacentque ea semper quae apud quosque improbantur* [2]. Non sunt igitur, quod

[1] *Epigram.* X.

[2] Cicero, *Pro Archia.*

aliqui jactant, omnium laudes fugiendae, quae plerumque, fomes quidam atque esca virtutis, calcar quoque bene sanctequc vivendi sunt. Solidari enim ita saepius infirmiores animi solent cum se a maioribus curari magnique fieri intelligunt, et ut uberiores quoque assequantur amplioresque laudes, disciplinae studio magis virtute sua sponte incendiuntur. Suscitabitur insuper inter alumnos, honesta quaedam aemulatio, quae et negligentioribus simul ingeniis proderit movebiturque alter alterius laude. Addent animum commendationes aliorum incutientque stimulos, pulchrum putabunt, superari etiam contendent, vincendi studio ducentur: quibus nil certe ad informandos tenerae aetatis mores aptius convenientiusque esse potest, quibus et circa eorum disciplinam studiose Moderatores uti debent. Quae omnino recta sunt, quum laboribus virtutibusque omnium incitare animos honoris sit.

LXXIV. — Quum vero nil tam boni honestique in humanis sit quod in deteriorem partem haud verti possit, ne laus in imbecillorum tyronum animis triste pariat effectus, opportune, lente, parce, distributive, ac sincere distribuenda erit.

a) *Opportune* laude utendum est, nam si inopportune praebeatur [quum omnium humanarum actionum major boni pars earum opportunitate contineatur] in venenum medicina commutabitur. Ideirco alumnorum aetas, temperamentum, tum animi, tum corporis peculiares conditiones, quomodo cum ceteris alumnis actu quis se habeat ac si quid aliud spectetur, ac in laudando eius et praesentis et acti temporis generales circumstantiae prae oculis habeantur.

b) *Lente* diximus laudandum, nam si secus omnis laudis optatus fructus miserrime disperditur. In superbiam enim humanam efferre naturam laudationis est, qua bene acta omnia in malefacta miserrime commutantur, et imbecillium mortalium animus ad deteriora validissime defertur. Quod praesertim in adolescentibus [aetate ac superbia aestuantibus, at experientia carentibus] saepe contingere videmus, qui facile in desidiae adjumentum laudem vertere consuevere. Quod ne contingat, antequam laude quis donetur, genuina eius merita sedulo perpendantur, nam

tantum *virtutibus praemium honori est* [1]. — At dum laus privatim tribuitur [ne humilitas amittatur] aliqui alumni defectus prudenter recenseantur, sicque, modestia nec superbia duce, laudis finem Rector assequetur.

c) *Parce* laudem tribuendam esse monuimus: nam quum haud multa hominum ac praesertim juvenilis aetatis acta laudem mereantur, qui omnia laudat potius adulari videtur: quae assentatio et in ipsius Moderatoris auctoritatis et venerationis [apud alumnos continuo fovendae] detrimentum verti consuevit. Nam si quum Institutor laudare debet ac vult fides ei haud adhibeatur, omnis laudis vis disperditur: sicque praecipua aemulationis adjumenta, veluti ludicrae res a clericis habentur; nam *honor et gloria satietate languescunt* [2]. De cetero Sapientiae monitum extat: *Lauda virum post consummationem* [3], et alibi: *laudavi magis mortuos quam viventes* [4]; quae tamen haud ita rigide accipienda sunt ut hominum bene acta numquam in vita eorum laudentur.

d) *Distributive* laus decernenda est prout diximus, idest omnibus qui eam merentur, nec saepe nimis in eumdem alumnum adhibenda, qui quamvis perfectus, tamen hominem [humanae imbecillitati obnoxium] haud esse desinit. Insuper hac ratione Moderatoris praedilectionis suspicio inveheretur, et coeterorum, aut saltem plurimorum, condiscipulorum zelotypia in laudatum facile foveretur, qua jam acta minuuntur vel spernuntur, et [tricis ac versutiis] facienda impediuntur.

e) *Sincere* tandem laudandum esse recolimus, qua scilicet sinceritate pater bene gesta filiorum laude honestat. Moderatores enim adeo omnes alumnos charitatis sinu ex corde amplecti ut eorum moerores ac triumphos uti proprios habeant; nil quippe in institutione magis absonum ac perniciosum quam politico sensu duci, quo hypocrisis tantum in alumnis fovetur.

[1] Aristoteles, *Ethic.*, Lib. I., cap. 5.
[2] Plinius II, Epist. 16.
[3] *Eccles.* XI, 30.
[4] *Id*, IV, 2 - XI. 2.

§ II. — De diversis laudum generibus.

Summae rerum. — LXXV. De laude privatim adhibenda. — LXXVI. De laude in ludo ac contubernio decernenda. — LXXVII. De ratione in re practica utenda. — LXXVIII. De tabulis in Moderatorum usum adhibendis. — LXXIX. De tabellis in alumnorum usu. — LXXX. De notarum existimatione. — LXXXI. De earum promulgatione. — LXXXII. Quaedam de publica laude notatu digna.

LXXV. — Privata laus, utpote quae facilior et usitatior, et periculosior censenda est. Quapropter quae de laudatione in genere mox ediximus, et heic continuo prae oculis habeantur; quod tamen ut hoc ad aemulationem praevalidum adjumentum negligatur nequaquam sibi vult. Idcirco [capta occasione] privatis cum alumnis colloquiis de eorum studiis et laboribus percontentur, de optimis notis gratulentur, bene acta laudent, et ad nova sibi aucupanda serta peramanter ac prudenter Institutores discipulos incitent.

LXXVI. — Et laus illa qua infra contubernii ac scholae septa alumni donantur quodammodo privata dici potest, quum quamvis coram ceteris condiscipulis sit distributa, tamen si Institutum omne spectamus, in publicum non deducuntur. Attamen in illa heic decernenda cautior quam privatim Moderator sit oportet, ne quae ex laude adjumenta assequi satagit, in clericorum detrimentum vertant.

LXXVII. — Et *notae* quidem in contuberniis alumnis tributae uti privata laus [quodammodo] haberi possunt, qua in re [quum facile peccetur] fusius disserere decet. Ideirco:

a) Notarum necessitas per se patet. Quamvis in aemulationis adjumentorum serie postremum locum notae teneant, attamen ad alumnorum demerita ac merita definienda adeo pernecessariae sunt ut si deficerent omnis fere aemulatio disperiret. Quapropter quamvis in S. Congregationis decreto nil ad rem expresse statuatur, attamen cum Rectorem regestum habere [in quo de progressu ac regressu

alumni in pietate, studiis ac disciplina ratio reddenda moneatur [1] huius industriae necessitas clare evincitur.

b) Notarum diversae species. Ex quotidianis summula notarum hebdodamalium, ex iis autem quae per singulos menses distribuendae, et tandem ex iis quae per binos menses alumnis tribui possint desumantur. Attamen in S. C. EE. et RR. decreto hae postremae tantum expresse recensentur; de Praefecto enim studiorum decernitur: *Invigilet ut... in fine singulorum bimestrium paratae sint schedulae notarum ab alumnis obtentarum* [2]. Quibus ex verbis ut alumnis notae singulis saltem bimestribus officialiter decernantur S. C. intendisse patet; quod tamen quominus privatim Antecessores ac Praefectos fere quotidianas exarent [quibus tantum rectum de alumnis judicium, suo tempore, ferre ipsi possunt] haud impedit.

c) Ad notarum obiectum quod attinet hoc unum heic memorandum ducimus, a Rectore, nimirum, sedulo tum in se, tum in omnibus curandum ut in alumnorum actionibus judicandis nullo modo nullaque ratione externae disciplinae fines praetergrediantur. De internis igitur nulla heic disceptatio vel sententia haberi potest: facta igitur, non intentiones, quae sunt non quae suspicantur judicentur. Quae quum [alia inter plurima] a Contuberniorum Praefectis saepius posthabeantur, ut hanc justitiae violationem ipsi devitent Rectoribus quam maxime satagendum consulimus.

d) Notarum vis ac nervum tum a Moderatorum earum existimatione et usu, tum ab alumnorum erga Institutores amore, et ab earum effectibus dependent. Idcirco:

1. Moderator notas verbis extollat, quo fiet ut si quis minus laudabiles assequetur, pudore afficiatur. Parce insuper eis utatur, et nec minimum, nec maximum earum gradum facile adhibeat, quum quae primum vel alterum mereantur perdifficiliter contingant. Media enim in sede virtus continuo consistit.

[1] Artic. 35. [2] Artic. 62.

2. Et alumnorum erga Moderatorem studium hac in re plurimi interest, quo illud efficacissime comparatur ut clerici ipsi de dolore vel gaudio quod Institutores de eorum agendi ratione relaturi sint, vehementer doleant vel gratulentur. Quod et de alumnis erga eorum Parentes ac patronos ingeminandum est.

3. Notarum vero effectus ad earum existimationem in clericis fovendam maxime valent, et opportuno tempore statui, fideliter servari, ac alumnis patefieri omnino debere. Secus arbitrio, at non lege, haec omnia regerentur; partium studio facile Moderatores incusarentur, nec ignota lege uti illis jus, neque alumnis obsequi officium est, quod, de cetero, haud semel tantum contigisse scimus. *Voluntas* enim *non fertur ad incognitum; leges tum conduntur quum promulgantur* habetur in jure. Qui vero hi effectus sint omnes in eorum vocationis discussione, ultima ratione, contineri putamus. Qui igitur saepe nimis in hoc insufficientes, vel eoque peius malas notas sortiret [correctionis mediis adhibitis] a Seminario prudenter dimittendus, ad quod haec tamquam ad rem sufficiens ratio haberi debet.

LXXVIII. — Ad rationem practicam in notis decernendis quod attinet praecipua in re systemata vigentia, paucis indigitamus, scilicet numericum, et [si ita loqui fas est] adiectivale.

a) Numericum systema diversimode accipitur: sunt enim qui a zero [0] ad 10 gradus adhibent, sunt et alii qui a 20 ad 30. Non omnes vero, in prima numerorum ratione ea integra utuntur, sed quae tantum a V ad X numerum continetur adhibent, quod in Seminariis [in quibus nec nulli, nec pessimi, nec mali haberi possunt] omnino sufficiens censeri debet.

b) Systema adjectivale vero, numerorum usum

negligit ut adjectivis tantum utatur. — Quae omnia ut clarius pateant, in sequenti tabula indigitamus.

Prima ratio	Altera ratio	Tertia ratio	Prima ratio	Altera ratio	Tertia ratio
0	seu 20	idest *nullum*	6	seu 26	idest *vix sufficiens*
1	» 21	» *pessime*	7	» 27	» *mediocre*
2	» 22	» *fere pessime*	8	» 28	» *bene*
3	» 23	» *male*	9	» 29	» *quasi optime*
4	» 24	» *fere male*	10	» 30	» *peculiari laude dignum*
5	» 25	» *insufficiens*	—	—	— —.

Quidquid eligatur firmiter tamen teneatur, nec arbitrio mutetur; ceterum quum haec loquendi ratio ex conventione tantum sit, si de rebus convenitur, nulla de verbo controversia agenda est, sed tantum, in toto Instituto uniformitas curanda est. De cetero notarum ad idoneitatem numerum praefiniendum per se patet: scilicet a n. 6 et 26 in prima ratione, et a vix sufficienti in altera.

LXXVIII. — De tabulis ad notas colligendas breviter nunc dicere nostrum est. Idcirco:

a) Tabulae [*registres*] tum Praefectorum pro singulis contuberniis *peculiares*, tum Rectoris *generales* habeantur ac fideliter adhibeantur. Quod de cetero et prima tum prudentiae, tum paedagogiae principia enixe postulant, quae tamen, haud raro, omnino neglecta videmus.

b) Tabulae tantum quae necessariae ad rem sint habeantur: scilicet Antecessoribus ac contuberniorum Praefectis singulis una tantum tradatur.

c) Tabulae tam perspicua conficiantur ratione ut ex eis, uno ictu oculi, alumni agendi ratio de

facili perspecta habeatur. Ad Rectorem quod attinet hoc unum memorare oportet, scilicet, disciplinarem tabulam a tabula scholastica haud secernendam esse. Enimvero in S. C. EE. et RR. decreto habetur: *Rector generales habeat tabulas omnium alumnorum in quibus inscriptis nomine, cognomine cuiusque ipsorum ac eorum parentum, diocesi, patria, ortu anno, mense ac die ingressus in Seminarium, studiis exceptis ac inceptis, annuatim adnotentur contubernium, auditorium, fortuiti e Seminario egressus, periculorum annualium ac reparationis exitus, dies SS. Ordinationum, praemia adepta, omnia denique quae ad progressum vel regressum alumni in pietatem atque studia referantur* [1].

d) Tabulae, tandem, adeo caute custodiantur ut tantummodo illis utentibus pateant. — Idcirco quae contuberniorum Praefecti usui sunt, alumni [quod saepe contendunt] ne videant; quae Rectoris Praefecti nec Antecessores quorum haud intersunt cernant; sed [ut plurimum] Episcopo et Deputatis Tridentinis tantummodo pateant. Tabulae vero, in anni exitu, in Rectoris tabulario condantur, ubi, ordinato modo, fideliter asserventur, quod tum Seminarii historiae, tum humanae inconstantiae haud inopportune consulit.

LXXIX. — De tabulis in Moderatorum usum deductis hucusque egimus; de his quae singulis alumnis donandae sunt [pagellis] vix quaedam addenda sunt. Equidem ut clerici singuli propriam uniuscuiusque tabulam eorum in pietate, disciplina, studiis [per binos tantum menses] condicionem commonstrantem habeant, omnino decet; verum mos est communis ac notissimus.

LXXX. — Coronidis instar notarum in aemulatione momentum etiam atque etiam in Moderatorum animis insculpere praestat; Seminario enim in quo uti ludicrae res notae habentur [utpote tum Moderatorum peritia carente, tum alumnorum contumacia divite] ruina paratur, vel saltem quam utilitas ex eo Ecclesia intendit ad nihilum redigetur. Ubi timor tantum invalescit fere nil speres; ubi vero insimul

[1] Artic. 35 — Cfr. paradig. in calc. vol.

nec timoris nec amoris argumenta valent omnia reformida. Dura at vera haec sunt.

LXXXI. — Notarum fere omnis utilitas disperditur si eae, labore magno a clericis comparatae, in tabularii coemeterio sepeliantur. Nil enim tantum ad aemulationem excitandam valet, quantum publica notarum renuntiatio. Idcirco ut aemulationis vis in clericis etiam atque etiam augeatur, tum infra, tum extra Seminarii septa notae pervulgentur: sicque actorum digna merces clericis a Moderatoribus rependitur, et ad nova praeclara facinora, ac in pietate, disciplina ac studiis nova certamina novaque serta ferenda eorum animi perbelle et amanter incenduntur. Idcirco:

a) Infra Seminarii septa notas renuntiandas esse diximus, quod praesertim de illis quas in unoquoque bimestri alumni consequuti sint faciendum consulimus. Tunc [certa die ac hora statuta] Rector, omnium Moderatorum circumornatus corona, omnibus Seminarii alumnis adstantibus, notarum solemni renuntiationi praeerit. Praepositus vero [capta occasione] acta vel laudabit, vel emendabit et ad agenda ausum ac vim conferret. Aemulationis festum heic agitur, studiorum coronae [alumnis bene meritis pergratissimae, et coeteris qui eas haud merentur utilissimae] heic distribuuntur.

b) Et extra Seminarii septa notas promulgandas esse monuimus. In primis vero Parentibus et omnibus quorum intersit renuntiandae sunt; etenim studium illud et amor quo alumnorum animi erga Parentes ac patronos suos affici debent, illud efficacissime operatur ut clerici ipsi de dolore aut gaudio quod Parentes vel patroni de eorum agendi ratione sint relaturi vehementer doleant gaudeantve. Quo pacto et illi coadiutores in recto institutionis negocio validi habentur, quorum in rem auxilium saepe numero minoris [quam quod aequum sit] momenti habetur: Institutorum enim potestas in alumnos ab eorum Parentibus derivatur. Insuper persaepe tum clericorum Parentes, tum ceteri quorum interest, si annus scholasticus male cesserit, potiusquam filios vel protectos, Moderatores negligentiae nota inurere, quotidiana expe-

rientia docemur. Ad quod incommodum praecavendum, ut et alumnorum Parentes ac Patroni, immo et Ordinarii de re [in unoquoque bimestri] recto doceantur tramite consulimus: quod alterum et lege statutum est, nam in S. Congregationis decreto habetur: *Rector..., quovis absoluto bimestri, singulorum adnotationes Episcopo, vel Episcopis consilium constituentibus, mittat* [1]. Quo etiam fiet ut, in tempore, opportuna remedia sibi et clericis Ordinarii et Parentes comparent praebeantque.

LXXXII. — Attamen in publicae laudis negocio cautius quam in privata agendum esse omnino patet, quum nocumenta ac pericula in altera pertimescenda, in prima augescant certioraque efficiantur. Idcirco personarum, locorum ac temporis circumstantiae omnes perspectae habeantur, et principium generale observandum prudenter consulatur quo, quum plus extensionis ac [tum laudantis et laudati, tum temporis ac rationis causa] gloriae laus habet, tunc in numero ac intensitate ea parcius utendum esse suadetur. Ita enim a natura conditi sumus ut et meliora in deteriorem partem facile commutemus: quod praesertim in juvenili aetate [experientia carente et superbia, saepe, laborante] evenire experientia ac usu docemur. Idcirco [praesertim in publica adolescentium institutione] *lauda parce..., nam reprehensibilis est nimia laudatio* [2].

[1] Artic. 32.

[2] Seneca, *Epist. 5*

II. De Praemiis

§ I. — De nonnullis ad rem, generali ratione, animadversione dignis.

Summae rerum. — LXXXIII De praemiorum necessitate utilitateque. — LXXXIV. Ad rem normae generales. — LXXXV. Praemiorum collationis diversae species. — LXXXVI. Deque publica et ad rem circumstantiis. — LXXXVII. Quae in re ratio servanda sint. — LXXXVIII. De *gratiis*, seu locis gratuitis decernendis et ad rem normae — LXXXIX. Conclusio.

LXXXIII. — Quamvis laus alumnis jucunda, attamen praemium [quo merita non tantum laudantur, sed et publice remunerantur] jucundius accidit, et ad clericorum in animis aemulationem excitandam fovendamque quam maxime valet. Idcirco ne verbis tantum in re uti Institutor videatur, et factis alumnorum praeclara facinora praemio honestet, cui si inhiare omnium est, illud tamen distribuere Moderatorum officii debitum exstat. *Aut* enim *virtus nomen inane est, aut decus et praemium recte petit*[1]. Id autem omnes omnino aetates ac condiciones spectat: iuvenes immo et clericos quam maxime qui quum ad prima dura certamina vitae, graviores prae caeteris difficultates anxietatesque experiantur, propterea nonnisi cum magno et oneroso labore, ac paene incredibili animi lucta primas virtutis palmas adipiscuntur: quas igitur decoris triumphis eximiisque praemiis magis ac magis optabiles reddere oportet. Nec quis dicat virtutem sibi iam praemium ac Deum ipsum [a quo pro laboribus nostris, aeterna in beatitudine, centuplum accipiemus] summam homini mercedem esse debere. Haec quidem argumenta tantummodo si in suo spectentur genere, sua laude non carent, prout videlicet non ad humanam, sed ad iustitiam divinam spectant. Equidem optimam nobis omnibus spem in Deo ponendam, nec [ut recipiamus mercedem nostram] hominibus confidendum esse haud

[1] Horat. *Od. IV.*

ambigimus. Sed in re de qua agimus haec argumenta omnia operari in contrarium posse ac quamlibet humanae justitiae obligationem funditus per ea tolli nemo non videt. Moderatores igitur suo primum hic in terris officii debito satisfaciant, atque per hoc ipsum Dei consilium imitentur: quod si exemplum imitata longe usque antecellet, attamen imitationis officium plane non tollitur. Idcirco non coercitionibus et poenis tantum, sed immo et laudibus et praemiis Institutores utantur, quibus [ut eorum regiminis est] suaviter per virtutis ac scientiae arduas semitas clericos deducant. Quidquid enim [fundamentale ecclesiasticae paedagogiae effatum meminerint ipsi] suaviter attingi potest, coacte aspereque repetere nefas. *Vere justi judicis est negligentem corripere, et bene agentem remunerare*[1].

LXXXIV. — Ad rem normae generales prae oculis habendae haec sunto:

a) Praemii vis non tantum a donante, sed a donato quoque dimetienda. — Idcirco, quamvis remunerationi inhiare omnium sit, attamen si in re [quantum fieri potest] et peculiaria clericorum exoptata perspecta habeantur, hoc magis ac magis ad aemulationem in illis excitandam fovendamque valebit. *Ideo divinanda cuiusque voluntas est*[2]; nam persaepe hi quibus plus donatur, minus donantur, et vicissim.

b) Locorum, personarum, temporumque circumstantiae prae oculis habeantur. — Quapropter quas de laude mox indigitavimus normae, magis magisque de praemiis ingeminandae. *Refert enim* cui, quando, quae, ubi *donetur sine quibus facti ratio non constat*[3].

c) Si laude parce, praemio parcius utendum. — Idcirco nimietas [qua prudentiae leges pessumdantur] devitanda, nec irae, neque studio [quo justitiae leges ac rectus scholae ordo funditus convelluntur] serviendum. Quamvis autem recta semper incedere via praestantius, at-

[1] S. Ioan. Chrysostom., *Homil. I sup. Mattheum.*

[2] Aristoteles, *Ethic.*, Lib. IV.

[3] Seneca, *De Beneficiis*, Lib. II Cap. 35.

tamen in coercendi negocio parcitate, in praemiando, e contrario, largitate peccare praestat.

LXXXV. — Modi ergo praemiorum duplex genus habetur, quorum primum [si ita loqui fas est] privatum, publicum alterum compellamus. Ad rem:

A) Privata ratio per se patet, et Institutores qui privatim suorum tyronum laboribus non tantum laude, sed et praemio condignam mercedem rependunt valde laudandi.

B) Publica praemiorum collatio omnibus in Seminariis quotannis habeatur, ut Sacra Congregatio Praefecto studiorum praecipit: *Curet ut solemniter.... praemiorum distributio celebretur* [1]. Eam igitur iam posthabere vel omittere nullibi licebit.

LXXXVI. — Praemiorum distributionis circumstantiae ratione ac lege, tempore, loco et adstantibus continentur.

A) Quod ad rationem ac legem attinet in praemiorum distributione adhibendis usitatiores recolimus, scilicet:

a) Criterium Antecessoris et Praefecti personale qui, exeunte anno, qui praemio digni sint Rectori indigitat.

b) Criterium *scrutinii* ab ipsis condiscipulis habendum qui, secreto suffragio, sua de re sententia pandunt.

c) Criterium *notarum* quod ipsarum computatione per anni obtentarum innititur.

d) Criterium *certaminum* [ad studia quod attinet] in quo, nulla de notis per annum obtentis ratione habita, periculis absolutis, certamen in scriptis peragendum indicitur, ex quo praemiorum collatio deducitur. Si in re libere quod sentimus aperire licet, nostra sententia haec est; ex his omnibus quas recensuimus rationibus, quam tertio loco dedimus, *notarum* scilicet criterium, utpote aequitati, rerum veritati et aemulationi fovendae opportuniorem ducimus. Primam quippe plurimas arbitrio partes concedere videtur: alteram, si quid utilitati habeat [quum alumni ad invicem sibi magis quam ceteris noti sint], attamen ea omnia incommoda fert quae semel, plebiscitorum jure con-

[1] Artic. 64.

cesso, et in reliquis de facili praevidentur, quod [ut infra fusius explicabimus] quam maxime devitandum. — Quidquid tamen consilii ineatur, nec casui, nec instabilitati indulgendum, sed probatae consetudines observentur. Electum vero criterium, ne quid ex arbitrio Rectores agant, neve alumni arbitrii detrimenta persentiant, opportuna ratione, initio in anno promulgetur ac fideliter servetur.

e) Tempus a S. C. haud praefinitur, et prudenter omnino quum variae in re consuetudines vigeant quarum illam qua in uniuscuiusque anni exitu magnum hoc aemulationis festum agitur ceteris anteponimus. — Quidquid sit, praemiorum distributio adeo solemniter omnino habeatur ut prae pompa apparate facta, prae adstantium numerositate ac celebritate, et actionis ratione, primas inter omnes scholasticas solemnitates partes obtineat.

f) Praemiorum distributionis locus alium a Seminarii sacello eligendum suademus quo domus Dei decori magis consulatur, quod, indirecte saltem, et a S. C. Concistoriali provisum est quum Ordinariis sciscitet: *Utrum aliquando Ecclesiae vel sacella adhibeantur ad aliquem prophanum usum, ad academicos coetos, musicos concentus aliaque id genus* [1].

g) Quoad adstantes Ordinarius maximum aemulationis festum, sua praesentia, honestet; Antecessores Moderatoresque omnes adsint; quisquis tum civitatis, cum diocesis clero excellit, immo [circumstantiarum habita ratione] et civitatis cognitor [*maire*] decurionesque, necnon Seminarii amici ad virtutum ac sertorum festum invitentur. An vero et alumnorum parentes consanguineosque [ex foemineo praesertim sexu] huc arcessere deceat Ordinarii decernere est, qui [consuetudinum, locorum, et personarum circumstantiis perpensis] tum in genere, tum in numero, tum in modo, quidquid ad rem consentaneum utileque censebit, prudenter opportuneque statuat.

LXXXVII. — Distributionis praemiorum objecta ac rationes diversa habentur; hic numismata [quod quidem magis solemne] illic numismata et libri,

[1] Decret. *De Relationib. diocesan.* Cap. II, n. 4.

alias vero libri tantum. — Item praemiorum gradus vel generatim in disciplina varius, vel pro pietate, ad disciplina diversus. Quidquid tamen eligatur cavendum ne, multitudine, praemium vilescat, neve contra iustitiam aut aequitatem decernatur, ac maxime curandum ut ex praemio nullum damnum, sed, e contrario, quamdam suis studiis utilitatem alumnus derivare valeat. Saltem libri qui ad rem non faciunt, vel, eo magis, qui in clericorum institutionem [quoquo modo] peccent, haud sacrorum alumnis praemio tradantur.

LXXXVIII. — *Gratiae* quae dicuntur, menstrui scilicet stipendii totalis condonatio aut partialis imminutio egenorum clericorum favore qui, conditionibus inferius enumeratis, beneficio dignos se ostenderint, recensitis praemiis saepenumero jucundiores haberi solent. Verum, quum huiusmodi concessiones de Episcopi tantum jure sint [1], pro re nostra normas ac criteria Rectori recolere ab ipso in re prae oculis habenda satis erit, si [quod omnino congruum ac expediens censemus] ab ipso Episcopo de gratiis concedendis sententiam ferre rogetur. Quamobrem in his qui huiusmodi gratiam postulaverint attendenda potissimum sunt:

a) Conspicua morum probitas, scilicet non solum mediocritas, sed talis immo excellentia ut, maxime quoad clericalis honestatis officia ac regularum Seminarii omnium observantia, revera tamquam exemplar omnibus praelucere alumnus valeat.

b) Studiorum assiduitas ac profectus, quum, videlicet, non solum diligentia ac sedulitas, sed etiam felices successus [praecellenti quadam ratione] ingenium commonstraverint.

c) Sacerdotalis vocatio, quum non ad alienam, sed ad propriam utilitatem [quod sane justum est] huiusmodi favores Ecclesia concedere soleat. Quare, etiamsi cetera requisita egregia habeantur, attamen ubi hoc desit, aliud quidem praemium, non vero hanc *gratiam*, concedendum aequitas ipsa suadet.

[1] Cfr. nostr. opell. *De Episcopo et Deputatis Tridentinis in Seminariorum regimine.*

d) Indigentia, quum quaevis tum ex parte, tum [multo magis] ex integro id genus *gratia* tanquam egenorum tantum subsidium ab Ecclesia et Seminarii benefactoribus constituta sit, quod ex rerum adjunctis facile constabit.

Tandem [ad plura eaque gravia praecavenda incommoda] huiusmodi gratias per concursum [certo quodam modo] distribuere tutius censemus: cuius criteria legesque publice ac in tempore constituere erit optimum. Ut aemulatio vero, magis magisque, foveatur ad annum tantum *gratia*, ut plurimum, decernatur, cum facultate tamen eam confirmandi, si quis plures per annos primas tulerit. Ceterum in hisce quoque Episcopi jussus ac consilium Rectori sacrum esse decet, qui, praesentatione contentus, sincere fidenterque gratificandi electionem Ordinario committat.

LXXXIX. — Conclusionis instar tum de poenis, tum de praemio quaedam generalia principia [ad praxim quod attiet haud spernenda] recolenda sunt, quae his redeunt:

a) Tam poenae quam praemii effectus ab Institutore haud parum dependent. In primis vero eius erga alumnos amor ac ratio cum illis habita plurimum heic valent. Moderator enim qui inhumaniter cum tyronibus agit, vel qui eorum existimationem haud assequi conetur, tum poenas, tum laudes incassum adhibebit, quae ludicrae uti res ab alumnis habebuntur. Quin immo [par pari referendo] eius verba, opera et personam ipsam illi spernent contemnentque. Hi igitur tantum qui, charitate ac prudentia duce, cum tyronibus agunt, tum ex correptionis, tum ex aemulationis industriis omnibus, genuinum referre fructum valent. Ceteri vero, veluti äerem verberantes, haec adjumenta omnia frustrantur, et sibi alumnisque magnam noxam comparabunt. Quantum igitur et ex hac parte recta cum alumnis agendi ratio, et sincero eos studio prosequi intersit, Rector consideret. Ubi amor dulcis labor: ibi labor ubi haud amor.

b) Tum poenae, tum praemii effectus et ab alumno haud parum dependent. — Quamvis

enim utrumque omnes pertimescant sperentve, tamen non easdem, nec eodem modo omnes; quo fit ut tum pro qualitate, tum pro numero et ratione diverso modo adhibenda sint. Quapropter cuiusque animi voluntas, immo et quae mediis peculiaris vis sit divinanda erit, et tum poenae, tum laudis, unicuique tantum humeris eius imponendum quod haud ferre recusent. Quod praesertim in coercitionis negocio attendendum, in quo, ne justitiae aequitatisque leges pessumdentur, parcius quam in praemiorum distributione procedendum est.

c) Tum poenas, tum praemia veluti humanae imbecillitatis adiumenta constituta esse Institutores meminerint. — Idcirco, quamvis quidquid remunerationis habet subditis rependere, recti regiminis officii debitum sit, attamen ut virtutis habitus in illis efformetur [quo, ut plurimum, suapte vi, per virtutis semitas incedere possint valeantque] quo maior alumnorum aetas, eo minus eorum simplicitati [*spontanéité*] ac rationi obsistere oportet. Quapropter tum in coercitionis ac remunerationis adjumentorum numero, tum in eorum qualitate ac ratione, varia alumnorum aetas, immo mentis perspicacitas, mansuetudo, obedientia vel contumacia perspectae habeantur, et quo magis sua sponte ultro suis officiis satisfacere norunt, eo minus ad illa, quoquo modo, impellendi erunt. Cavendum enim quam maxime est, ne clericus inscius bonum faciat, sed faciat quia bonum, neque consuetudini tantum serviat, sed rationi et liberae voluntati: omnis enim virtus hac in electione consistit, et omnis institutionis ars ea continetur. Contra, disciplina quae omnes clerici vires semper et continuo torquatur vel compescat, neque ecclesiastica erit neque christiana: in educandis enim adulescentibus tum dare, tum petere, tum praecedere ac sequi, facere ac indulgere oportet. *Id enim tantum quod sponte puer accipit, eius animam enutrit et alit* [1]. — Tum in

[1] Quintilianus, *Institut.* Cap. 4.

remunerationis, tum [et praesertim] in coercitionis negocio, [medelae ad instar quae si congrua prodest, si inopportuna vero nocet], quidquid nimium est, et perniciosum habeatur; in utroque enim dum justitia pessumdatur, virtutis scientiaeque adjumenta vilescunt.

Articulus III.

De Seminarii Rectoris scientia.

§ I — De eius scientia generatim spectata.

Summae rerum. — XC. Quanti sit Rectorem doctum haberi. — XCI. Quae eius scientia. — XCII. Quae scientiae in eo requiratur.

XC. — Scientiam in Rectore necessariam prorsus esse tantae rationis persuasio est, ut nulla demostratione, sed enunciatione tantum indigeat. Siquidem qui ab Ecclesia ponitur Seminarium moderari, [videlicet non solum sanctitatis scholam, sed etiam templum et doctrinae aedes], nulla profecto aliena utilitate, nullo suipsius honore tali perfungetur munere nisi, praeter vitae honestatem morumque sanctitatem, doctrina etiam adeo polleat ut alumnos sacrorum sanctis aliquando gerendis Ministeriis idoneos efficiat, ubi non tantum ardere, sed etiam lucere ecclesiasticus doctor iubetur. Nec quidquam in contrarium facit ad rem iam Magistros cum idoneo Studiorum Praefecto haberi; nam Rectoris etiam officium est [prout dicturi sumus] in hos omnes invigilare et, qua sit opus, consilio operaque adiuvare, quum illius muneris ea sit ratio ut tamquam centrum et caput Sacri Instituti habeatur. Ceterum, quicumque aliqua experientia paedagogica pollent, certo norunt quot saepe Magistros inter et discipulos et Studiorum Praefectum dissensiones de re litteraria et scientifica oriantur, quarum arbitrium penes Rectorem esse debet, qui pro iustitiae maxime et charitatis tutela constitutus est. — Laudanda etiam consuetudo quaedam [cui vix non legis vis accessit] Rectorem iubet experi-

mentis doctrinae alumnorum interesse, ac periculorum moderamen sustinere: at vero id fieri rite non posse nisi etiam plurimum et doctrinae vi Rector commendetur, ambigendum non est, qui loqui non poterit sine ceterorum risu, nec silere sine contemptu. — Nec tacendum tum Officiales, tum alumnos maiore sane reverentia teneri erga eum qui non solum probitate spectabilis, sed etiam doctrina sit illustris, quum peculiarem honorem docto viro conferre, maxime si hic vitae sanctitate gratus existat, ipsae doctrinae proprium sit. Haec quidem sanctitas profecto primum et omnino necessarium ornamentum boni Rectoris, maxime ecclesiastici, esse debet, ac veluti substratum totius aedificii, verum et ipsum aedificium doctrinae superstruendum fundamento est, sine quo illius utilitas sane evanescit omnino. — Denique quum Seminarii Antecessores veluti flos et ornamentum cleri dioecesani, quod ad doctrinam spectat, haberi debeant, opportunum omnino, immo et necessarium est, talem eis praefici Rectorem, qui inter eos suum teneat decus, ac qui sapientia, prudentia et auctoritate sua possit tales Institutores moderari, regere, corrigere, ne hi qui foris sunt ministerium illorum vituperare audeant, qui, saepe nimis, ut Seminarii bonum nomen lacessant, scientificam institutionem ibi traditam carpunt. Itaque, Rector tot tantorumque nominum quibus doctus esse vir tenetur bene conscius, ut laude etiam doctrinae, spei quam de eo sibi repromittit Ecclesia apprime respondeat omni contendat nisu; ac illud prae oculis habens hisce praesertim diebus non progredi in via doctrinae idem esse ac regredi, constanti studio de ea adipiscenda cogitet, nihilque ad rem intentatum dimittat.

XCI. — Quae scientia in Rectore requiratur praefiniri, generali ratione, non potest, nisi recolamus indolem ipsam ac naturam institutionis iuvenilis ac clericalis eam esse potissimum, quae in sapienti cordis et mentis cultura alumnorum qualem eorum postulat futura conditio, consistit: cui culturae tum scientia ecclesiastica, tum profana multum afferunt emolumenti. Quamobrem Rector:

a) In primis scientia profana, eaque tum practica, tum theoretica, polleat.

I) Theoreticam perficiunt omnes scientiae ac litterariae rei cognitiones quas in politiori hominum societate omnes vere exculti viri possident, propter quas hi recentiora quaeque humanae mentis inventa ac cogitata referre et expendere norunt; his sane si Rector praeditus non fuerit, minor non solum plurimus Officialibus, sed et alumnis ipsis haberetur. Maxime vero ei qui ad moderationem et istitutionem aliorum destinatur, necessaria scientia est eorum legum ac documentorum quibus ars nobilissima regiminis in genere et potissimum regiminis adolescentium regitur; his si destituatur Rector, initio nutans, in progressu haesitans, in exitu infelix, ut plurimum, invenietur. — Nec satis, ut Seminarii Rector quae civilis societatis cum ecclesiastica institutione relatione leges sint, perbelle cognoscat necesse omnino est. Hac vero laicales leges, ad Italiam quod attinet, eo continetur: quousque Ecclesia Seminaria suos inter limites contineat [nempe Altaris tantum Ministros paret], si hygienicae ac securitatis normae excipias, fere nullam ingerentiam laicalis Potestas Sacris in Institutis exercet. Quum vero secus, tunc Seminarium, uti omnes Institutionis domus a privatis civibus ductae, a laicali Potestate habetur.

II) Practica scientia, alio nomine, vitae sapientia dicitur, cuius virtute praecedens theoretica doctrina omittit quidquid ad arduum principiorum ac conceptuum dominium spectat difficultatis ac incertitudinis, ac veluti spiritu et sanguine actionis, et experientiae et cotidiani usus, in quibus multa docebit provecta prudentia, perfluitur et vivificatur. Nam si Rector doctrinae tantum et non actionis vir fuerit, magnus quidem habebitur fortasse in folio, parvus tamen in solio: plura diserte loquetur, plurima tamen male agendo perdet. Id autem multo magis praesentia tempora dedecet, quae profecto potius in oppositam partem nituntur, ac quidquid actuosum et practicum non est, vix non despiciunt.

III) Verum si haec de scientia profana existimatio et necessitas, multo maior scientiae ecclesiasticae erit. Ecclesiastici enim regiminis finis seu scopus, nonnisi per hanc obtinebitur, quum eo demum Rector intendere debeat

ut viros Ecclesiae ad mentem, ad utilitatem, et incrementum Ecclesiae idoneos comparet. Igitur fundamentis praejactis disciplinae et doctrinae profanae, machina haec aedificium ecclesiasticae doctrinae et praxeos urgeat.

I) Doctrina seu scientia theoretica ecclesiastica satis superque indigitatur in his omnibus sacris scientiis quarum peritia quilibet ecclesiasticus vir suo dignus nomine et officio pollere debet: illae tamen maxime e divino hauriendae fonte, e quo demum etiam quae humanae dicuntur virtualiter promanant, quum hae quoque spiritu Dei animari debeant. Quamobrem S. Scripturae, Patristicae et scholasticae Theologiae, tum dogmatum, tum morum, asceticae, et si quid aliud id genus omne, non communis peritia in Rectore requiritur, quem etiam sacros Canones ignorare nequaquam licet, quum [ut mox explicavimus] lege, in lege, et per legem omni seposita tirannidis aut arbitrii specie, regimen tenere eum oporteat. Eo praesertim quod sacrorum alumnos educare et moderari eius officium sit, Rectori multa scientia opus est, ad cognoscendas peculiares sacri Ministerii necessitates ac utilitates itemque apprime eum nosse expedit quas tum Ecclesia universalis, tum peculiares Synodi Regionum, aut Provinciarum, aut diocesis leges de Seminario tulerunt, ac etiam quae sui Seminarii peculiaria statuta sint, de quibus omnibus [peculiari ratione] sequenti in paragrapho dicemus. Haec enim omnia diuturna et comprobata experientia plurium suggessit, atque propterea ad regiminis genus in concreto opportunum aperiendum peculiarem vim habent.

II) Scientia practica ecclesiastica quae in Rectore requiritur, libris quidem non addiscitur, sed potissimum et diuturna pastoralis ministerii experientia dimanat, in quo pluriumm se exercuisse Rectorem supponimus, prout revera opus est. Etenim, quum peculiaris Seminario propositus finis is sit ut idonei Pastores animarum dioecesi suppeditentur, qui vel e Seminario egressi, iam magnam partem pastoralis regiminis notam habeant, huic rei profecto Rector par numquam erit qui per plurimos annos in exercitio huius regiminis versatus non fuerit. Qui, etsi plura

doceat tradatque quae e libris bene compositis excerpsit, attamen numquam illam inundet actuosam sapientiam quae opere tantum addiscitur, quaeque ad divisionem animae et spiritus pertingit, ac occultos diu veluti detentos *in fractione panis* aperit. Magna sane iactura: quam huiusmodi tantum vera sapientia intima ratio fuctuosi apostolici ministerii in bonum animarum contineatur, prout uberius suo loco dicetur.

XCII. — De huius scientiae et doctrinae in Rectore quantitate id tantum dicendum: quantum potes tantum aude; quo magis egregia, quo excellentior doctrina eo uberius Rectoris ministerium. Ceterum cavendum ne in huiusmodi quantitate magis latitudo quam altitudo dominetur: quum non quidem sciolus, sed vere sapiens Rector commendari possit, ac non homines encyclopaedici qui dicuntur, sed revera docti et prudentes, immo magis sapientes quam scientes muneri huic gerendo pares fiant. Quamobrem Rectorem illum qui scientia ecclesiastica et pratica excellens, in ceteris aurea mediocritate contentus fuerit, ac tandem aliquando peculiarem in singulis peritiam in Antecessoribus singulis magis et in Studiorum Praefecto quam in seipso exquireret anteferendum existimamus. — Haec vero lex suis exceptionibus subiacet, ut ecce si Rector idem et Praefectus Studiorum fuerit [quod Decretum S. C. permittit, dummodo utroque muneri gerendo idoneus sit], si Instituti Theologici, vel Academiae Studiorum Superiorem agatur de quibus tamen, heic, directa ratione, res nobis non est.

§ II. — De Seminarii Rectoris scientia, peculiari modo spectata.

Summae rerum. — XCIII. Animadversiones praeviae. — XCIV. De agnitione legis, et primum de illa generalis. — XCV. De lege peculiari. — XCVI. De eius interpretatione ac praxi. — XCVII. De consuetudine ac traditione.

XCIII. — Ne cunctae quae tum sanctitatis ac charitatis, tum prudentiae ac iustitiae hucusque tradidimus normae

ad nihilum rediganter, neve Praepositus per autocrathiae vel tyrannidis, subditi vero per anarchiae semitas deducantur, ut Rector per legem, cum lege et sub lege Sacrum regat Institutum prorsus expedit. Ubi enim abest lex, adest grex, qui potiusquam amore, ferulae sibiloque pastoris parendo, magisquam ad pascua, ad tonsorem et lanistam ducitur. At *ignoti nulla cupido*, et si cupido mala cupido; proinde ut sui regiminis normas Rector cognoscat necesse est.

XCIV. — Haec vero lex a Seminarii Rectore apprime cognoscenda, aestimanda, colenda, tuenda, ac observanda in *generalem* ac *peculiarem* dispesci potest, nimirum:

a) Lex generalis clericali institutioni praestituens normas tum a S. Canonibus, tum ab Apostolicis ad rem editis Encyclicis, tum a SS. RR. Congregationum decretis praescribitur, et ut e tricipite hoc saluberrimo salutis fonte aquam [clericis Officialibusque praebendam] Rector continuo hauriat, quam maxime suademus. Nil enim in clericali institutione maioris momenti quam Ecclesiae menti omnimode obsequi. Quum vero fere omnia quae a S. Canonibus ad Seminarium quod attinet praecipiuntur, in S. Tridentini Concilii *de Seminariis erigendis* decreto contineantur, ut saltem hanc Sacrorum Institutorum magnam chartam Rector prae oculis manibusque habeat, heic breviter eiusdem decreti textum exhibere utile existimamus.

« Cum adolescentientium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et, nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei Omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret, sancta Synodus statuit ut singulae Cathedrales, Metropolitanae atque his maiores Ecclesiae, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine, certum puerorum ipsius civitatis et dioecesis, vel eius provinciae, si ibi non reperiantur numerum in Collegio ad hoc, prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere ac religiose educare, et

ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc vero Collegio recipiantur qui ad minimum duodecim annos et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferant eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios praecipue eligi vult, nec tamen ditiorum excludi, modo suo sumptu alantur, et studium praeseferant Deo et Ecclesiae inserviendi. — Hos pueros Episcopus in tot classes, quot ei videbitur, divisos, iuxta eorum numerum, aetatem ac in disciplina ecclesiastica progressum, partim, cum ei opportunum videbitur, Ecclesiarum ministerio addicet, partim in Collegio erudiendos retinebit; aliosque in locum eductorum sufficiet, ita ut hoc Collegium Dei ministrorum perpetuum Seminarium sit. — Ut vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim atque habitu clericali semper utentur; grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent, Sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quae ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, et rituum ac caeremoniarum formas ediscent. — Curet Episcopus ut singulis diebus Missae sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata et, iuxta confessarii iudicium, sumant Corpus Domini Nostri Iesu Christi; Cathedrali et aliis loci Ecclesiis diebus festis inserviant. — Quae omnia atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent, eaque ut semper observentur saepius visitando operam dabunt. Discolos et incorrigibiles ac malorum morum seminatores acriter punient, eos etiam, si opus fuerit, expellendo, omniaque impedimenta auferentes quaecumque ad conservandum et augendum tam pium et sanctum Institutum pertinere

videbuntur, diligenter curabunt. — Et quia ad Collegii fabricam instituendam, et ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, et ad alendam iuventutem et ad alios sumptus certi reditus erunt necessarii, ultra ea quae ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus Ecclesiis et locis destinata, quae eo ipso huic Seminario sub eadem Episcopi cura applicata censentur, iidem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur, itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat, ex fructibus integris mensae episcopalis et Capituli quarumcumque dignitatum, personarum, officiorum, praebendarum, portionum, abbatiarum et prioratuum cuiuscumque ordinis, etiam regularis, aut qualitatis vel conditionis fuerint et hospitalium quae dantur in titulum vel administrationem, iuxta constitutionem Concilii Viennensis quae incipit *Quia contingit,* et beneficiorum quorumcumque, etiam regularium, etiamsi iuris patronatis cuiuscumque fuerint, nullius Dioecesis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus et aliis quibusve locis piis etiam exemptis annexa, et ex fabricis Ecclesiarum et aliorum locorum, etiam ex quibuscumque aliis ecclesiasticis reditibus seu proventibus, etiam aliorum Collegiorum in quibus tum Seminaria discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum actu non habentur: [haec enim exempta esse voluit] praeterquam ratione redituum qui superflui essent ultra convenientem ipsorum Seminariorum sustentationem, seu corporum, vel confraternitatum quae in nonnullis locis scholae appellantur; et omnium monasteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solvi solent, et milites cuiuscumque militiae aut ordinis pertinentibus, fratribus Sancti Ioannis Hierosolymitanis duntaxat exceptis, partem aliquam vel portionem detrahent: et eam portionem sic detractam, necnon beneficia aliquot simplicia cuiuscumque qualitatis et dignitatis fuerint, vel etiam praestimonia, vel praestimoniales portiones

nuncupatas, etiam ante vacationem, sine cultus divini et illa obtinentium praeiudicio, huic Collegio applicabunt et incorporabunt. Quod locum habeat etiamsi beneficia sint reservata vel affecta; nec per resignationem ipsorum beneficiorum uniones et applicationes, suspendi vel ullo modo impediri possint; sed omnino quacumque vacatione etiamsi in curia effectum suum sortiantur, et quacumque constitutione non obstante. Ad hanc autem portionem solvendam beneficiorum, dignitatum et omnium et singulorum supra commemoratorum possessores non modo pro se, sed pro pensionibus quas aliis forsan ex dictis fructibus solverent, retinendo tamen pro rata quidquid pro dictis pensionibus illis erit solvendum, ab Episcopo loci per censuras ecclesiasticas, ac alia iuris remedia compellantur, etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio brachii saecularis: quibusvis, quoad omnia et singula supradicta privilegiis, exemptionibus, etiamsi specialem derogationem requirerent, consuetudine etiam immemorabili, quavis appellatione et allegatione quae executionem impediat non obstantibus. Succedente vero casu quo per uniones effectum suum sortientes, vel aliter Seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum reperiatur, tunc portio ex singulis beneficiis, ut supra detracta et incorporata ab Episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum vel pro parte remittatur. — Quod si Cathedralium et aliarum maiorum Ecclesiarum Praelati in hac Seminarii erectione eiusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint, Episcopum Archiepiscopus, Archiepiscopum et superiores synodus provincialis acriter corripere eosque ad omnia supradicta cogere debeat, et ut quamprimum hoc sanctum et pium opus, ubicumque fieri poterit promoveatur studiose curabit. Rationes autem redituum huius Seminarii Episcopus annis singulis accipiat, praesentibus duobus a capitulo, et totidem a clero civitatis deputatis. — Deinde ut cum minori impensa huiusmodi scholis instituendis provideatur, statuit sancta Synodus ut Episcopi, Archiepiscopi, Primates et alii locorum Ordinarii scholasterias obtinentes et alios, quibus est lectionis ad doctrinae munus annexum, ad docendum in ipsis scholis instituendos per se ipsos si idonei fuerint, alioquin per idoneos

substitutos ab eisdem scholasticis eligendos, et ab Ordinariis approbandos, etiam per subtractionem fructuum, cogant et compellant. Quod si iudicio Episcopi digni non fuerint, alium qui dignus sit nominent, omni appellatione remota. Quod si neglexerint, Episcopus ipse deputet. Docebunt autem praedicti quae videbuntur Episcopo expedire. De cetero vero officia vel dignitates illae quae scholasteriae dicuntur nonnisi Doctoribus vel Magistris vel licentiatis in sacra pagina, aut in iure canonico et aliis personis idoneis et qui per seipos id munus explere possint conferantur, et aliter facta provisio nulla sit et invalida, non obstantibus quibusvis privilegiis et consuetudinibus etiam immemorialibus. — Si vero in aliqua provincia Ecclesiae tanta paupertate laborent ut Collegium in aliquibus erigi non possit, synodus provincialis vel Metropolitanus cum duobus antiquioribus suffraganeis in Ecclesia metropolitana, vel alia provinciae Ecclesia commodiori, unum aut plura Collegia, prout opportunum iudicabit, ex fructibus duarum aut plurium ecclesiarum, in quibus singulis Collegium commode institui non potest, erigenda curabit, ubi pueri illarum Ecclesiarum edocentur. In Ecclesiis autem amplas dioeceses habentibus, possit Episcopus unum vel plura in dioecesi, prout sibi opportunum videbitur, habere Seminaria, quae tamen ab illo uno quod in civitate erectum et constitutum fuerit in omnibus dependeat. — Postremo si vel pro unionibus, seu pro portionum taxatione, vel assignatione et incorporatione, aut qualibet alia ratione, difficultatem aliquam oriri contigerit ob quam huius Seminarii institutio vel conservatio impediretur aut perturbaretur, Episcopus cum supra deputatis, vel synodus provincialis, pro regionis more, pro ecclesiarum et beneficiorum qualitate, etiam suprascripta, si opus fuerit, moderando aut augendo omnia et singula, quae ad felicem huius Seminarii profectum necessaria et opportuna videbuntur decernere ac providere valeat[1] ».

XCV. — Peculiaris Rectoris Seminari scientia

[1] Sectio XIII, Cap. XVIII, *de Reformatione.*

in Sacri Instituti legum vel regularum agnitione continetur. Idcirco:

a) Italicis pro Seminariis haec lex *De Seminariorum reformatione* ab Apostolica Sede nuperrime edito decreto [quo ad unguem insistemus] continetur: et ne saluberrimae haec industriae in cassum redigantur, ut tum Ordinarii, tum Seminarii Praepositi fideliter omnino servent ac servare faciant inpense hortamur. Roma locuta est, causa finita est. Has igitur normas diurna ac nocturna manu verset Rector, et Apostolo dicente: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*[1], dum legis litteram perdiscit, et eius quoque spiritum intelligere satagat, ad quod generalis nuperrime indigitatae scientiae agnitio quam maxime proderit. Si quid vero interpretationi dubium extet, Ordinarium Rector consulat qui quod tenendum sit prospiciet.

b) Exterarum vero Gentium Seminarii peculiaris haec lex [quousque prefatae *Normae* et ipsis quoque haud extensae sint] in legibus Sacris Institutis ab Ordinariis praestitutis continetur, de quibus cuncta quae de primis mox diximus ingeminanda veniunt. Quum vero Seminarii leges condendi ius ac officium Ordinarii tantum sit et ad rem normas alibi indigitavimus[2], hoc unum Rectori recolimus, nimirum, ut Seminarium suum regulas [et quidem apprime digestas] habeat omni contendat nisu. Enimvero a fundamentis Seminariorum molem extruere ibique commoditates omnes apte disponere, nisi, eadem providentia et consilio, interiori huiusce Communitatis formae consulatur, parum profecto foret. Secus enim, cum veluti totius Seminarii anima regula habenda sit, si Sacrum Institutum ea careat, cadaver exanime, marmoreae vel lignae statuae simillimum [sibi inutile, ceteris perniciosum] haberetur. — Ad harum vero Seminariorum regularum rectam intelligentiam adipiscendam, eorum notitia quae Sacra dioecesana in Synodo, vel Provincialibus ac Nationalibus Conciliis in re statuta fuere valde iuvabit, quibus omnibus tum Gentium, tum regionum ac diocesium peculiares necessitates dignoscere

[1] II *Corinth.*, III, 6. [2] Cfr. huius *Summulae*, Par. I.

licebit, ac hisce peculiare Seminarii regimen aptandum, quo ministerio apostolico in dioecesi gerendo magis magisque apti clerici fiant. Media ad finem, et quo magis huic consona, eo aptius ac uberius res agetur.

XCVI. — Sed, vel ad hanc officialem legem interpretandam, vel ad eam in praxi deducendam alia verbalis seu scripta ac officiosa lex in Seminariis habetur, quae peculiaribus at publicis Rectoris iussis continetur, de quibus sequentia ad rem principia prae oculis habeantur:

a) Non dominus, sed custos dispensatorque legum Rector est.

b) Lex ad subditorum bonum Rectori traditur.

c) Lex pro homínibus condita est, et cum impossibilia non iubeat Deus, neque ea homines iubere possunt.

d) Lex pro omnibus subditis condita est, qui, coram lege, pares omnes sunt.

e) Clericis Officialibusque aliquid contra, vel supra legem praecipere Rector haud potest, illud iuxta Altissimi: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.*[1]

f) Leges non facile commutandae, nec facile super ipsis dispensandum. *Quum* igitur *necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, laudabilis est: cum nil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*[2] Quod praesertim iuvenili in institutione locum obtinere videmus in qua tironibus [iuvenili imbecillitate laborantibus] haec Rectoris inconstantia quam plurima gravioraque detrimenta comparat. — Attamen et hac in re ne quid nimis, et *sicut iniusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, ita legitima desiderantibus non est differenda petitio*[3]; qua ratione [humanae imbecillitati compatiendo] subdi-

[1] *Deuteron.* IV, 2.

[2] S. Bernardus, *De Consideratione*, lib. III, cap. 4.

[3] S. Gregorius Magnus, *Epistolar.* Lib. III, indict. 6, Epist. 3, *ad Adeodatum.*

torum animos sibi devinciet Rector, ad aemulationem eos provocabit, et ne callidissimis artibus ipsi utantur [quibus quae palam Praepositus negat, clam ipsi arripere conantur] devitantur. Ne igitur, potiusquam patris, tyranni ad instar Rector se habeat, personarum, locorum, temporumque circumstantias attendere heic quoque opportet, quibus [ut suavis ecclesiastici regiminis mens suadet] in quantum fieri potest sedulo parendum. Si vero dispensationibus nimiis quaedam subiicit lex, tunc inepta omnino ostenditur, et qua talis, potiusquam scripto verbisque servetur at de facto dispensationibus nimiis violetur, eam abrogare longe melius erit.

g) Potiusquam in multitudine legum, in earum parcitate [bonitati ac opportunitati coniuncta] Seminarii salus continetur. Idcirco ne tum verbo, neque, eo minus, scripto, clericis Rector multiplicet leges quam maxime suadendum; secus vox clamans in deserto ipse erit, et tirones, iustis quoque eius ordinationibus obsurdescent; nil enim disciplinae assuetudine perniciosius habetur. Potiusquam igitur novis in condendis legibus vacetur, ut in iam statutarum observantia invigiletur praestantius erit; secus potiusquam adiuvetur legibus Seminarium impedietur; quod non tantum in disciplinae detrimentum, sed et in Sacri Instituti boni nominis nocumentum vertere consuevit. Enimvero *ut multae medelae multos morbos, ita multae leges multa mala significant.*[1]

h) Quum, tandem, aliquod iussum promulgandum publice sit, *raro, ex tempore, ac debito modo* id fiat.

I) Raro, quia si saepius [ut mox diximus] subditorum obedientia ac pax ipsa, assuetudine vel jussorum numerositate, periclitatur.

II) Ex tempore ut quid agendum sit tum Officiales, tum clerici disponant, et occupationibus suis ordinem imponere valeant, et ne uti ludicrae res ipsi a Rectore habeantur.

III) Debito modo, quod tum substantiam, tum formam, tum locum spectat quibus tantum observatis

[1] *Authent. Constit. innov.*

nec ignorantiae, nec dubitationi aut excusationi locum subest. Idcirco:

1) Substantia, idest [ordinario] scripto ab ipso Rectore exarato, vel saltem ab eo toties quoties attente reviso, tradatur. Ne vero Communitatis pax et interdum ipsorum clericorum caritas ac iustitia periclitentur, ne quid ipso nesciente a nemine publice promulgetur Rector satagat.

2) Forma vero brevis, perspicua, humana ac prudens sit; magisquam iussus vel intimationis, moniti speciem induat, nihilque ironicum aut indiscretum [maxime in cuiusque subditi boni nominis offensionem] praeseferat.

3) Locus vero ad promulgationem vel triclinium, vel praetorium, vel contubernia singula eligatur; numquam vero ad hoc sacellum adhibendum: prophana ne misceantur sacris!

XCVII. — Uti saluberrima legis complementa adiumentaque consuetudo ac traditio habendae sunt de quibus pauca addemus.

a) Quid consuetudinis nomine veniat canonici iuris doctores clare indigitant dicendo: *Ius non scriptum ad regendam Rempublicam, non sine quodam auctoritatis consensu usurpatum;* quae igitur, vera quamvis lex esse nequeat, tamen cum *tempore firmata fuerit, pro lege habetur* [1]. — Legi vero bona consuetudo non adversatur; quinimo leges, ut Gratianus animadvertit, *consuetudine servantur* [2], unde illud iuris canonici habetur: *Optima est legum interpres consuetudo.* — Corrupta vero hominum natura bonam consuetudinem sensim deducit ad malum, quod, ne contingat, sedulo Rector caveat. *Nam si pravae rei aditus, antequam diu patescat, non clauditur, usu fit latior, et erit consuetudine licitum quod ratione constat esse prohibitum.* [3] — Praepositus igitur malam consuetudinem induci silentio ne ferat; nam, haec, *non minus quam perniciosa corruptela vitanda est: quae, nisi citius radicitus evellatur, in privilegium ius ab impiis assumitur,* [4] et si lon-

[1] S. Gregorius Nazianzenus, *De theolog.*, lib. II.
[2] *In decret.*, par. I, distinct. II,
[3] S. Gregorius Magnus, lib. IX, indict. II, epist. 115 *ad Syagrium.*
[4] S. Antoninus, *De Quinta lege*, lib. IV.

gius fuerit practicata et confirmata, non cum parvo labore vitatur vel expellitur. [1] Omnes itaque consuetudines malae et in Seminariorum regimine vitandae sunt. Nam saepe, nonnulli tum Officiales, tum subditi eas mire effingere et postea retinere nituntur, atque ita instaurandi bonos mores perarduum munus praeparant. Bonas, e contra, consuetudines experientia diuturna confirmatas, Praepositus quam maxime curet, et ut ceteri eas observent sedulo adlaboret: pervalidum enim est disciplinae adiumentum.

b) Traditio vero est *quidam certus modus in lege servanda diu adhibitus* quo lex ipsa ad usum veluti aptatur. Eam a patribus nepotes accipiunt, et, antiquitatem potius-quam novitatem colendo, humanis Institutis mirum veluti praesidium efficitur. Quamvis enim *non verum est quod dicitur, semel recte factum nullatenus esse mutandum; mutata quippe temporis causa, quod recte antea factum fuerat, mutari vera ratio plerumque flagitat* [2], certum est tamen, lento consilio, ea esse innovanda quae valuere diu. *Absurdissimum quippe esse videtur ut quis, spreto totius antiquitatis magisterio, velit ex arbitrio suo ac sensu proprio, novas condere leges, ritus peregrinos inducere.* [3] E contra, *dignum est ut rectam Decessoris sui viam, gressibus inoffensis incedat, quem de eodem loco ad reddendam rationem aeterni iudicis tribunal expectat* [4]. Quod omnis vitae magistra primum docet historia, quae fortissimas apud Gentes traditionis cultum religiose servatum enarrat. Cuius rei princeps exemplum praebet Ecclesia Dei ubi illud Tertulliani semper locum obtinuit: *Novum omne et incognitum quod est, suspectum est* [5]. Enimvero *saepenumero mutatio in melius, maiorum malorum consuevit esse principium* [6] et *mutatio consuetudinis, etiam quae adiuvat utilitate, novitate perturbat* [7]. Nam *novitas mater est temeritatis, soror super-*

[1] S. Augustinus, *De salutar. document.* Lib. IX, indict. 2, epist. 68 ad *Euseb. Thessalon. Episcop.*

[2] *Id.*, Epist. 5, cap. 22.

[3] S. Laurentius Iustinian, *De Instit. et Regim. Praelator.*, cap. 15.

[4] S. Gregorus Magnus, *Epistol.*

[5] *De Praecept.*, cap. 5.

[6] Lucian. Var., *Tract.* Lib. I.

[7] S. Augustin, Epist. 118.

stitionis, filia levitatis [1], et *novitatis affectatores nihil aliud demonstrant quam meram stultitiam, et arrogantiae ostentationem* [2]: ideoque, ut plurimum, *profana est novitas, sacrata est vetustas* [3] Rectoribus vero novitatis nimis studiosis, Divi Bernardi monitum memorandum est: *Super fratrum trasgressiones, non super patrum traditiones constituitur qui Abbas eligitur* [4].

XCVIII. — Ad consuetudinem ac traditionem servandam diariis uti vocant, in primis utendis; memoria enim, plerumque, labilis fallaxque esse solet. — Clericorum vero heic diaria praetermittimus quibus isti quotidianos eventus, atque tum de personis, tum de operibus suam sententiam scripto tradunt. Haec enim, plerumque, ne ceteri intelligant, effecto sibi stylo describunt, et si forte non in veritatem, passim vero in caritatem peccant. Neque de Praepositorum diario heic dicimus quod [ut S. Congreg. Concil. Visitatoribus Apostolicis suadet [5]] ita est cum prudentia exarandum, ut, si profanis oculis subiiciatur, negotiorum personarumve secretum haud pandatur. — At de diariis quae, non ad singulas personas, sed ad disciplinam, vel generatim pro toto Seminario, vel speciatim pro parte eiusdem spectant, et quae in generalia, vel peculiaria dispertimur, heic tantum sermonem instituimus.

a) Generalia diaria sunt quae totius Seminarii quotidianos praecipuos eventus enarrant, et a Vice-Rectore, quotidie diligenter describenda sunt, ne plurium deinde oblitus, aut falsa, aut nulla scripto doceat. Quidquid igitur insuetum, vel grave acciderit scripto ipse tradat; suscepta commoda vel exorta incommoda [illa ut facilius comparentur, haec ut vitentur] adnotabit. Sermo autem prudens, brevis, perspicuusque sit; nihil oratorium, vel poeticum, vel argutum sapiat, sed ieiune atque nude [licet servata caritate] eventus enarrentur. Quamobrem, non passione suadente, sed Deo coram et serena mente scribenda.

b) Peculiaria diaria pro singulis Seminarii con-

[1] S. Bernardus., Epist. 174.
[2] S. Ioan. Chrisostom., Serm. 3.
[3] Lirinens. *In Commonit*, cap. 9.
[4] *De Praecept. et dispensat.*, cap. .
[5] *Decret.*, die 17 Mart. 1904, n. 12

tuberniis quibus [iuxta varias alumnorum aetates et studiorum curriculos] Institutum constat, a Praefectis rediguntur, ne certa regendi quoque contubernii traditio desit. In his exarandis similia quae de generalibus diariis diximus cavenda sunt.

XCIX. — At haec conservandae traditioni inanima instrumenta haud sufficiunt, sed quae anteactam disciplinae vitam iugiter fideliterque vivo referant modo exiguntur; cui praestando negotio ne Seminarii Officiales saepe nimis, et tumultuarie mutentur [ut inferius enucleabimus] requiritur. — Insuper S. Carolus Borromaeus ad thesaurum traditionum in Seminarii regimine incolumem servandum, ut Rector *ex eorum numero deligatur qui olim in Seminario fuerint instituti* [1] suadet. Nulli enim magis cordi est traditionem servare quam ei qui, experientia propria, ad bonum Instituti regimen illam perutilem esse novit: nemoque plus curat quam qui amat.

C. — Conclusionis instar D. Gregorii ad rem monita Praelato cuidam tradita, memoramus: *Tanto dilectius debes maiorum instituta conservare, quanto eorum locum altius videris per successionis dignitatem retinere. Dum culmen Maiorum obtines, eorum leges quasi hereditario iure servare debes* [2].

[1] *Institut.*, par. II, cap. 1. epist. 68, *ad Eusebium.*
[2] *Epistolar.*, lib. IX, indict. II,

SECTIO II.

DE SEMINARII RECTORIS OPERA

Quum iam praecedenti sectione de Seminarii Rectoris persona quae opportuna videbantur tradiderimus, quae ad illius opera pressius spectant [ex quibus maxime huius muneris exercendi utilitas spectatur] in praesenti colligenda inlustrandaque sunt. Hoc vero in negocio omnia quae a Rectore praestanda sunt in duas veluti partes dispescimus, quarum prima rationem ab eo servandam erga ipsum Seminarium quo tale, altera vero erga personas in S. Instituto partem habentes praescribit. Huiusmodi sane partitio et perspicuitati et concinnitati dicendorum plurimum conferet, ac nonnulla utiliora ac scitu vix non necessaria consilia ac monita opportunam recolendi occasionem praestabit.

Cap. I.

DE RECTORIS ERGA SEMINARIUM RELATIONE.

Articulus I.

De Rectore quoad Seminarium in genere.

§ I. — Quae Rectoris in Sacri Instituti regimine officia iuraque sint.

Summae rerum. — CI. Animadversiones praeviae. — CII. Seminarii Rectoris idea generalis ex lege. — CIII. De Seminarii interdioecesani Rectore.

CI. — Antequam ad argumentum nostrum pressius pertractandum deveniamus, prolegomeni ad instar, quae in Seminarii regimine Rectoris officia iuraque sint recoluisse iuvabit; ex his enim actionis eius aptitudo

plurimum dependet; officia autem et iura huiusmodi tum ex lege, tum ex consuetudine evincuntur.

CII. — Ad rem vero legis verba ante omnia afferenda sunt quae ita sonant: *Seminarii Praepositus proximus omniumque primus Rector est..., eique ceteri cuiuscumque ordinis in functione munerum suorum ac in omnibus prorsus quae ad Seminarii referuntur utilitatem obtemperare tenentur. Rector itaque veluti centrum est a quo vita Seminarii promanat: ad eum intima directio cum omnibus officiis ac iuribus quoad moralem, scientificam, hygienicam et materialem Instituti agendi rationem pertinent.*[1] Quibus ex verbis, tum ad personas, tum ad res quod attinet, quantum Rectoris iura ac debita latissime pateant manifestum est, quo fit ut qui ea quoquomodo ac quacunque ratione tum per se, tum per caeteros Officiales, coarctare nitantur, oppido falluntur, ac dum Legislatoris mentem posthabent, et omnem Seminarii ordinem lacessunt diruuntque. Sacri igitur Instituti Rector, non tantum uti Episcopi vices gerens ac nullo iure in Sacrum Institutum pollens habendus est, sed, inter legis consuetudinisque ambitum, genuinus uti Praepositus, ex lege ibi constitutus, prorsus haberi debet. Rectoris enim iuribus a Legislatore praefinitis, tum ipsius, tum coeterorum omnium erga ipsum officia respondent, ex quorum tantum sedula observantia rectus regiminis ordo constat. Quamvis Episcopi in Seminarii regimine potestas ex iure omnimoda sit, attamen ad Sacri Instituti internam moderationem quod attinet, per Rectorem [ut plurimum] hanc gerere ipse debet: cuius ex lege iura debitaque in re attente spectanda sunt, et ut a ceteris Officialibus omnibus [nemine excepto] religiose observentur semper seduloque satagendum est. Quantum igitur, quum perfunctorie tantum ut fucum facere legemque observare videatur, Seminario Rector constituitur cuius [immoderata ingerentia] a lege praestituta pessumdantur, vel ab Officialibus pessumdare permittitur, fallatur, ex legis verbis in comperto est. Quae

[1] Artic. 25 et 26.

omnia per transennam heic innuisse erit satis, quum ex his quae sequentibus in articulis dicemus, clariori perspicuaque ratione evincentur.

CIII. — Nec ipsa quae Rectoris in Seminariorum regimine iura a lege praestituuntur, in Sacris interdioecesanis Institutis imminui a Legislatore videntur, in quibus Praepositi in re officia, quibus hic dioecesanum erga Episcopum tenetur, [certa quadam ratione] Episcoporum collegio transferuntur. Certa quadam ratione diximus: nam in horum Seminariorum regimine Ordinarium loci [saltem uti caeterorum coepiscoporum vices gerens], directam partem obtinere decet: secus enim regimen ipsum periclitatur. Quidquid sit, hoc unum ex decreti verbis evincitur, nimirum: Legislatoris cura ut in interdioecesanorum Seminariorum directione Rectoris auctoritatem ac libertatem tueantur. Ad rem vero [ex legis verbis] Rector tantum de morali, scientifica, hygienica ac oeconomica ratione per annum redigenda, Episcoporum Collegio exhibendaque tenetur, et alterius ordinis Officiales ipsos, Rectore nesciente, haud eligere fas est. Attamen [ni fallimur] quum in hac Seminariorum specie a pluribus, indirecta saltem ratione, Rector dependere teneatur, Sacri Instituti regimen peculiaribus difficultatibus subiacet, quod praesertim de Religiosis ingeminandum qui et hac in re eorum quoque Superioribus [iure meritoque] parere adstringuntur. Ubi enim eodem in negocio, a pluribus sententia fertur, iudiciorum diversitas habetur, quae regimen praepedire consuevit, quod ne eveniat Moderatorum omnium prudentia advigilet.

Articulus II.

De Rectore quoad pietatem.

§ I. — Quid in re, generali ratione, praestare Rector debeat.

Summae rerum. — CIV. De in Seminario pietatis necessitate utilitateque. — CV. Pietatis qualitates recensentur. — CVI. Pietatis divisiones ac de indirecto et directo magisterio pietatis.

CIV. — Pietatis utilitas ac necessitas ex fine ipso regiminis ecclesiastici in genere, ac potissimum ex illo institutionis clericorum aestimari potest. Quum enim finis hic totus eo contineatur ut subditi ad status sui vocationem assequendam dirigantur, ac per hoc ad coelestem beatitudinem recto perveniant tramite, iam plene intelligitur nihil esse in huiusmodi institutione pietate utilius ac necessarium magis. Si enim clericus animo et opera eousque contendere debeat ut effectu fiat *homo Dei ad omne opus bonum instructus* [1], *formaque gregis sui factus ex animo* [2], qui [in tempore] dominicum gregem ut sol foveat ad bonum, ut sal praeservat a malis, ut lux illustret in viis suis, illud in primis pernecessarium est ut nempe vere sit pius, quin etiam et vere sanctus, ac adeo sanctitatis lumine ignesque ubique accendens ut in sortem Domini vocatus *in Domino crescat... usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi* [3], utque in se exprimat, quantum potest perfectius, imaginem Divini Sacerdotis a quo vocatus est tamquam Aaron. Quare *decet clericos vel a prima aetate iugo Domini assuescere, pietati vacare plurimum... vitae sacerdotalis exemplo conformari* [4]. Sit igitur eius institutio vere ac penitus pia, immo vero eo maxime constet ut sacrorum alumnus *se ipsum exerceat ad pietatem* [5], ad pietatem omnimodam perfectam, qualis non intelligitur absque

[1] II. Matt., III, 17.
[2] I. Petr., V, 3.
[3] *Eccles.* IV, 13.
[4] Leo XIII, Encycl. *Paternae*, die 18 Sept. 1889.
[5] I. Timoth., IV, 7.

profunda, scilicet in *plena sui voluntatis in manus Dei resignatione* fundata [1]. Nec aliter Tridentina Synodus suam mentem expromit ubi testatur hoc in Seminariis omnino intendisse ut, videlicet, dignos altaribus sanctis ministros, populo autem Dei veros apostolos compararet. Iamvero ambiget nemo tales numquam sacerdotes ac Dei ministros exstituros nisi qui vera imbuantur sanctitate, ea scilicet quam diuturnum ac sapiens pietatis tirocinium parere consuevit, cuius ope et virtute tantummodo [Dei adiuvante gratia] alumni sacrorum veterem hominem exuere et in iuventutem Spiritus Dei renovari adeo queunt, ut quidquid cogitent, loquantur, operentur ipsius Sancti Spiritus impulsu agant. Sacerdotem perfectum illum tantummodo esse praedicandum cuius ad vitae sanctitatem doctrinae quoque laus accedat concedimus libenter, quippe qui non sibimetipsi tantum utilis, verum, ac multo etiam magis, aliis sit profuturus. *Tam doctrina, quam vita clarescere debet ecclesiasticus doctor; nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit* [2]. *Illi exemplis vitam bonorum corrumpunt, isti sua ignavia iniquos corrigere nesciunt* [3]. *Tantum* enim *lucere vanum, tantum ardere parum; ardere et lucere perfectum* [4]. Quapropter *lumen doctrinae neque illud vulgare in sacerdote requiritur, quia muneris eius est implere sapientia coeteros, evellere errores, ducem esse multitudini per itinera vitae ancipita et lubrica* [5]. Nihilominus idem contendimus perniciosam omnino et usque ad extremam sui aliorumque perniciem esse illius sacerdotis doctrinam in quo vitae sanctitatis non pari passu cum doctrina ambulet, immo doctrinam ipsam non antegrediatur. Hinc enim exoritur superba illa atque detestabilis cuiusvis rei ad trutinam revocandae spernendaeque lubido, atque exinde, inflata profanorum scientia fovente, perennis malorum colluvies in Ecclesiam redundat, ac crebra spiritualis ruinae occasio dominico gregi paratur. *Ad dignos... Domini sacer-*

[1] *De Imitat. Christi*, lib. III, Cap. 37.

[2] *Concil. Aquisgran.*, I, can. 2.

[3] S. Isid. Hispalensis, De *Summo Bono*, lib. III, cap. 33, n. 1.

[4] S. Bernard., Sermo *in Nativit. S. Ioan.*

[5] Leo XIII, Encycl. *Exeunte iam anno*, die 1 dec. 1898.

dotes instituendos praeter doctrinam diligentior requiritur clericalis institutio, qua deficiente actio cleri populo paene inefficax est [1]. *Oportet* igitur *clerum... summa laude virtutis excellere ut animas hominum conciliet sibi, atque in observantiam adducat* [2]. Quapropter *nihil omittatur quo Seminariorum alumni ad Dei amorem et profectus spiritualis desiderium efformentur. Exercitia enim quae mentem alunt et attollunt scientiae requisitae culturam non impediunt, sed eius fructus multiplicant* [3].

CV. — At et pietatis qualitates recensendae sunt. Enimvero ut pietas in clericis excolenda illa veri nominis divina pietas sit quam Ecclesia in suis filiis quam maxime augescere optat, quaeque reapse *ad omnia utilis est* [4] [ita quidem ut eius praesertim utilitate homines in hoc terrestri exilio peregrinantes a Domino, coelestis Urbis beatissimis incolis coaequentur], illud in primis curandum est ut sincera, profunda, solidaque sit. Etenim si sincera non fuerit hypocrisis erit; si haud profunda [in humilitatis virtute alte radicata] quum primum tempestas orietur evanescet; si non solida, illusionibus maxime obnoxia erit, atque a fine suo penitus aberrabit. Idcirco:

a) Sincera pietas sit, talis videlicet ut illius origo, actio, ac finis a Deo et in Deo, non autem in hominibus sit. Nec quibusdam ritibus [consuetudine praescriptis] tota contineatur, sed potius pio ac penitiori animi affectu constet, quo ad unionem cordis, voluntatis et operae cum Domino ac Creatore suo homo perducatur. Quare, ultra concedentes externas pietatis exercitationes nullatenus posthabendas aut negligendas esse, quippe quae adolescentibus sicut et hominum generi [sensibus et actibus maxime viventi] non modo utiles sed necessariae, idem nihilominus contendimus eas omnes si ut pietatis finis ac summa haberentur [quum nonnisi media et incitamenta sint] vero spirituali bono ac incremento obfuturas potius quam profuturas esse, non minus quam si cibi speciebus et non re hominem alere prae-

[1] Leo XIII, Encycl. *Paternae*, die 18 Sept. 1889.
[2] *Id.* Encycl. *Officio sanctissimo*, die 20 Dec. 1887.
[3] *Concil. Prov. Vien.* [a. 1857], lib. IV, cap. I.
[4] I. Timoth., IV, 8.

sumpseris. Ideo cohibendam ducimus nimiam propensionem illam in verborum gestuumque profusionem qua quis pium se prodere ac haberi velit, maxime si ostentationem malamque hypocrisim oleat, qua clerici, *habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes* [1], secreta animi vitia perditosque mores versute tegunt. Miserrima haec pravorum hominum condicio *existimantium quaestum esse pietatem* [2], in quibus vera pietas iam periit omnis, ac deploranda nimis maxime si ab illis, quibus sanctissimum officium ea cohibere esset, imprudenter foveatur!

b) Profunda pietas sit, et vix erit ubi non genuina ac sincera fuerit. Nam quae talis iam alte in animo radices fixerit ac humilitate et cognitione Dei suique ita semper iuvabitur ut in prosperis ac adversis eadem usque vigeat, quum non ex se aut ex hominibus, sed ex immutabili Deo *sit sufficientia eius*, in quo, videlicet, omnia possimus, et sine quo nihil possumus. At quidem hoc ipsum est quo profundam esse pietatem doceamus, videlicet in eo quod intimius est in homine radicata, ad divisionem animae et spiritus pertingens, sui Deique ita usque memor ut numquam, ne in prosperis quidem, se in sui idolum homo convertat.

c) Solida pietas sit, quae nempe solidae virtutis studium foveat promoveatque, ita ut per eam homo seipsum contemnere discat, sectari vero iustitiam, fidem, charitatem, eaque omnia quae christiani viri sunt et peculiaris vocationis suae finem consequuntur, quod quidem [ut etiam S. P. Pius X nuperrime monuit] duplici parte constat. *Equidem sunt qui putent, quin etiam profiteantur, sanctimoniae laudem in eo collocandam omnino esse ut sese aliorum utilitatibus totum homo impendant: quamobrem, dimissa fere illarum cura virtutum quibus homo perficitur ipse* [*eas ideo vocitant passivas*] *aiunt vim omnem atque studium esse conferenda ut activas virtutes quis excolat exerceatque* [3]. Hac igitur fallacissima doctrina prorsus reiecta, liquet in utriusque virtutis genere excolendo reponendum esse sanctitatis

[1] II. Timoth. III, 5.
[2] I. Timoth., VI, 5.
[3] *Exhortatio ad Clerum*, die 4 Augusti 1908, n. 5.

seu solidae pietatis studium. Quare *operarius quem Christus exiit conducere in vineam suam* [1], in primis labore studioque summo in id contendat ut per *animi demissionis, obedientiae, abstinentiae seu abnegationis sui* [2] iuge exercitium, aptum idoneumque fiat in manibus Domini instrumentum. Quod tantum ubi obtinuerit, ubi videlicet firmum passivarum quae dicuntur virtutum homo Dei habitum induerit, eius tandem erit utilitatem ferre, et cum fructu *fallaces herbas evellere, serere utiles, irrigare, tueri ne inimicus homo superseminet zizania* [3]. Non enim *sibi demum soli vivendum sancte* [4], atque sacerdoti maxime *cavendum* est *ne inconsulto quodam intimae perfectionis studio adductus, quidquam praetereat de muneris partibus quae in aliorum bonum conducant* [5].

CVI. — Pietas externa et interna communiter dicitur: at revera a Patribus nulla fit utriusque distinctio, quum una absque altera consistere non possit, sed quae interior dicitur ab illis simpliciter virtus pietatis appellatur, quae exterior autem forma pietatis nuncupatur. Hinc Augustinus *firmamentum salutis est habere virtutem pietatis* [6] non formam solum: ubi plane reflectitur illud Apostoli quo plures carpit: *habentes speciem pietatis, virtutem autem abnegantes* [7]. Nec est cur pluribus tritam omnino rem retractemus, videlicet nullam veram posse dari pietatem, sed magis detestabilem tantum hypocrisim ubi esteriorem formam, interior virtus non vivificet foveatque. Hac acceptione non tam genera diversa pietatis describuntur, quum de interiora et exteriora sermo fit, sed magis illius partes indicantur. Sicut enim in homine corpus et anima, ita pietas exterior ab interiore distingui potest, quum ista intimus sit ipse virtutis affectus qui hominem in Deum afficit et movet, exterior vero sit ipse cultus, seu series illa actionum quae affectum hunc exprimit et manifestat quasi per sensus. Nec in re tantae evidentiae diutius immorari

[1] Pius PP. X., *Exhortatio ad Clerum*, cit.
[2] *Id. ibid.*
[3] *Id. ibid.*
[4] *Id. Ibid.* n. 5.
[5] *Id. ibid.* n. 6.
[6] Tract. II. *Super. Epist. Ioan.*
[7] *II. Timoth.*, III, 5.

expedit. Tantum animadvertendum heic nos parum de interna ipsa pietate disserere oportet quum ea provincia asceticae sit; nec de ipsa exteriori pietate prout singillatim in clerico exercenda est, plura dicemus, ne theologiae pastoralis pervadamus fines. Igitur quae communia tantum sunt exercitia et pietatis munia ex ecclesiasticae legis aut consuetudinis praescripto, a clericis in Sacris Seminariis instituendis obeunda, colligemus ac brevi trademus sermone. At ad rem in primis et ante omnia, duplicem pietatis magisterium distingui oportet, indirectum nimirum ac directum.

a) Indirectum pietatis magisterium est in cooperatione quadam qua Officiales omnes clericorum institutioni praepositi, iuxta naturam et indolem sui muneris, adeo conspirare debent ad bonum spirituale clericorum obtinendum, ut quidquid ipsi omnes loquantur, operentur, apprime ad spiritualem finem regiminis clericalis exigi possit. Quamobrem in clericorum institutione oportet omnino ut Moderatores omnes nobilissimum officium suum [quo, ut clerici sanctis imbuantur moribus, summis curare viribus tenentur] semper animo reputantes ut hos ad spiritualia alliciant, nihil praetermittentes quo prudenter et opportune tirones per saluberrimas pietatis semitas deducantur [quibus ima summis hominumque res apostolicis studiis iunguntur] quam maxime animum suum eo intendent ut *adolescentes qui singulari Dei beneficio sunt delecti ut in Seminario instituantur, id potissimum intelligant cuius gratia Concilii Tridentini decreto Seminaria sint instituta: et intelligentes saepius animo repetere omnesque nervos intendere ut illud, divina suffragante ope, ad animarum salutem, ad... Ecclesiae utilitatem et Pastorum solatium consequantur.*[1] Ita, ad propositum nostrum quod attinet, quidquid Rector loquatur opereturque ea ratione agendum est ut spiritus illius rationem exhibeat quo filii Dei aguntur. Idemque corrigendo quam charitativa ratione animorum morbis medendum sit ostendat, laudando aut praemiando Christi remuneratoris imaginem in mentem revocet, eademque ratione cetera agat.

[1] S. Carolus Borromaeus. *Institut.*, Par. III, Cap. I.

Numquam vero aliquid tam profanum atque a divinis alienum loquendum illi occurret quod spirituali aliquo verbo ita vivificari haud possit ut ad divina [quorum salubri meditatione sensus et affectus sanctitatis bono maxime proficient] clericorum mentes prudenter utique et sine sensu extollantur.

b) At de directo pietatis magisterio pressius dicendum. Enimvero considerantibus, quum tanta negotia regimen complectatur, quantum praestet ut Moderatores singuli nonnisi propriam ac plene descriptam provinciam in hoc suscipiant, facile patebit etiam in negotio pietatis peculiares diligendos esse Officiales qui illius ministerium directum plane et exclusive gerant. Quae autem a Moderatore Spiritus et a Confessariis Seminarii Rector expetere debet alibi recolemus. Heic vero quae in re ab ipso Rectore praestari debent memorabimus.

§ II. — Peculiaria pietatem erga Rectoris officia.

Summae rerum. — CVII. Quid in re Legislator praecipiat. — CVIII. Quae in re normae generales prae oculis habendae sint.

CVII. — Ad pietatem quod refert quae Legislator peritissimus a Rectore expostulat omnino prudenter, paucissimis, generalibus, sed omnimodis verbis indigitat edicendo: *Eius in alumnos praecipuum munus est ad sanctam ac religiosam vitam eos instituere. Inter officii sui fines sinceritati ac progressibus vocationis alumnorum eorumdemque in pietatem, virtutibus, studia, omniaque ad statum ecclesiasticum pertinentia invigilet.*[1] Idcirco:

a) Ad sanctam religiosamque vitam clericos instituere Rectoris muneris praecipuam partem esse, sedulo ac continuo ipse perpendat, cui si quoquomodo deficiet, suae conscientiae officio quoque defecisse pro certo ipse habeat. Quod et D. Carolus [jure meritoque] Seminarii Praeposito praecipit edicendo:

[1] Artic. 28.

Divinae in primis gloriae amplificationem, clericorum in omni virtute perfectionem semper ante oculos habeat, et ad hunc finem omnes cogitationes referat et curas. Studeat ut quae ad spiritualem progressum spectant, recte atque ordine administrentur [1].

b) Attamen *inter officii sui fines* haec omnia praestare Rector debet; si secus enim Moderatoris Spiritus ac confessariorum provinciam invadendo, tum propriam, tum aliorum auctoritatem lacesseret. Igitur ante omnia:

I) Quidquid ad pietatem spectat [Episcopi accedente consensu] una cum Moderatore Spiritus Rector statuet: eius vero immediatum regimen Moderatori Spiritus committat, qui, ut assidue recteque suum munus adimpleat, prudenter invigilabit, ac, si opus est, adjuvabit.

II) Attamen nullo modo, nullaque ratione clericorum conscientiae directioni Rector sese immiscere, eoque minus eorum confessiones recipere audeat. De utroque enim munere cum coeteris non copulando in S. Congregationis decreto expresse habetur: *Moderatores ac Antecessores Seminarii a Moderatoris spiritus et a confessarii ordinarii munere prohibentur.*[2] Quamvis vero quae hac in re ab Apostolica Sede statutae sunt leges, pro Italia tantum praeceptivae sint, tamen, ut pro Seminariis omnibus [ubicumque morantibus] saltem directivae habeantur, prudentia enixe suadet: quod enim a canonico iure haud vetatur, ab elementaribus tamen prudentiae consiliis sedulo prohibetur. Enimvero haec de sacris audiendis confessionibus facultas Superiorum regimen quam maxime praepedit: clerici enim paucissimis verbis, expeditam Rectori gubernandi rationem alligare possunt; quod etsi Praepositi [theologiae moralis praeceptis servatis] habiliter se extricari valeant, attamen secreti sacramentalis existimatio atque reverentia penes clericorum opinionem sensim imminuitur; exinde vero quam gravissima oriantur incommoda facile quivis agnoscet. — Neque nobis, e contra, reponatur quousque Rector cleri-

[1] *Institut.*, Par. II, Cap. II. [2] Artic. 57.

corum confessiones non audiat eorumque conscientias dirigat, haud patrem, sed inquisitorem potius videri. Nam Praepositus ille qui officium suum ad unguem, uti decet, explere noscit, prioris, minime vero alterius personam semper geret. Huc insuper accedit quotidianum diuturnumque de re usum [Caroli etiam Borromei praeceptis roboratum] abunde docere amplissimas utilitates quae Rectori suaeque gubernandi rationi obvenire solent ex eo quod extraneus omnino remanet ab alumnorum *interno foro*, et exinde eo valde minora quam ab opposita sententia damna promanare. — Ad conscientiae vero directionem quod attinet fere omnia quae de alumnorum confessionibus haud excipiendis diximus iterari possunt, et quae de utrisque adjunctis clericos quod attinet monuimus et Officiales quod spectat ingeminari possunt. Tantae enim difficultatis res est ut ullam in re industriam haud inutilem censeri profecto possit.

CVIII. — Ad praxim nunc propius descendentes Borromeanum Rectori traditum praeceptum recoluisse juvabit, ex quo binae in re Rectoris obligationes clare evincuntur. *Studeat* [haec S. Archiepiscopi verba sunt] *ub quae ad spiritualem progressum spectant recte atque ordine administrentur: ut quotidianae aut alias statae exercitationes, nisi fiat necessaria de causa, non intermittantur*[1]. Quibus ex verbis ut Seminarii Praepositus tum clericorum exercitationes pietatis, tum earum ordinem ac rectitudinem consulat praescribitur. Idcirco ad ordinem quod attinet, oportet ut exercitationes numero paucae sint, modo autem et ratione ea peragendi praestantissimae; tempore vero quod in ea insumatur parcissimae et breves; vigilantia prudentes. Ne quid igitur nimis aut minus quam quod oportet in his admittatur, haec prae oculis habeantur:

a) Quod ad numerum attinet hic a Legislatore praefinitur omnino, nec Rector sinat exercitationes praeter numerum publice peragi absque aperta sua licentia, nec eas imminui, aut differri. His quoque in adiunctis certo et praefinito ordini summopere adeo studeatur ut nemini

[1] *Institut.* Par. II, Cap. 2.

liceat [nisi rationabili de causa et cum consensu Rectoris] quid addere aut demere, neque ea differre quae per eum sint statis horis praestanda. Nam eo consilio ordo agendorum perperam everteretur, quin etiam nonnumquam ipsa religionis opera prorsus omitterentur. In ordine statuendo Rector rem gerat cum Episcopo, qui praesertim illud *ne quid nimis* probe meminerit.

b) Ratio autem huiusmodi exercitationes peragendi ea demum sit quae clericus alliciat; quapropter summopere caveatur ne ex parte loci, modi et temporis fastidio potius et oneri, quam spirituali solatio sint.

1. Locus apud artis nostrae cultores non eadem sententia praefinitur: communis opinio Seminarii sacellum innuit, quo omnes alumni conveniunt iisdem omnino exercitationibus operam daturi. Atque ea profecto ratione sollemnitati et dignitati rerum agendarum quam optime consultum iri concedimus libenter: arbitramur nihilominus hanc necessitatem de omnibus omnino alumnis aut exercitationibus non urgere. Equidem quod ad pias adhortationes publicas, ad SS. Missae sacrificium, ad vespertinam SS. benedictionem suscipiendam et alia id genus attinet nullam quaestionem esse volumus. Verum ubicumque res proponendae sint intelligentiae et conditioni singulorum non minus quam corpori medicamenta accommodatae, ut quum meditationis puncta, spiritualis lectio etc., audienda sint, praeplacet quae in plurimis Seminariis observatur norma et consuetudo, qua quodlibet contubernium in propria studiorum sede ea peragere permittitur. Id enim plurimum confert ad hoc ut alumni sibi coaptata spiritualis vitae documenta percipiant; at etiam opportune cavet communes transitus ab una ad alteram sedem quod, certis praesertim horis et temporibus, plurimum incommodi habet; demum Praefecti vigilantiam efficacem magis utilemque permittit.

2. Tempus illud assumendum est quo alumnorum animi opportunius dispositi et comparati sint ad huiusmodi religionis opera sollerter et fructuose obeunda; hinc aeris temperies et anni tempora sedulo attendenda sunt. Ita v. g. perperam alumnorum quieti et profectui prospexerit qui

piae lectioni aut Rosario B. M. V. horam addixerit illam quae prandio ac relaxationi succedit, in qua vel invitos animos somnus pertentare, aut etiam [prout aestivo tempore fit] omnino occupare consuevit.

3. Modus vero is est ut in externo corporis habitu quidquid oneris et incommodi sit sedulo caveatur; sin minus enim animus debita tranquillitate frui non poterit, atque frustra exercitationi studere conabitur. Sunt quaedam opera quae flexis genibus praestanda sunt; sunt et alia quae commode sedentes aeque aut etiam maiore cum fructu peragent. Nimium ex g. profecto et inopportunum fuerit toto meditationis tempore flexis genibus orare. Eadem lex luminis vim, vocem ac lectoris verborum sonum moderetur oportet; quae omnia animi recollectionem summopere fovebunt si nihil praeter consuetos sensuum nisus postulent.

c) Diuturnitas quoque exercitationum ita temperanda est ut perraro horae spatium excedat. Hinc eiusmodi religionis opera quae longe gravius temporis pondus postulent nemo prudens proponat: quae si iam adulto cuique viro onerosa evaderent, multo magis ea fastidient adolescentes oportet qui, utut pientissimae et bonae indolis, tamen iuvenes sunt atque nihil magis ambiunt quam aperto frui aere ac vitae turgescentis relaxare vires. Quapropter in S. Congregationis decreto sapienter pro clericis statutum est: *Caveatur ne.., pietatis functiones nimis protrahantur, ne alumni taedio afficiantur* [1]. Haec non iis tantum aptantur quae in sacello fiunt, sed et his quae in contubernii aut alias peraguntur. Sunt sane, nonnumquam, in usu rosaria tot tantisque excrescentia orationibus ut in his duplum fere operae sit impendendum; quandoque etiam iuvenes tam prolixis audiendis lectionibus insontes damnantur ut tandem taedio et fastidio conficiantur. Pia omnia profecto et veneranda, at iam inopportunitate inutilia, iam onerosa effecta. Quodlibet sanisssimum fuerit medicamentum, quemvis suavissimus adamaveris cibus, tandem sui satietate stomachum movebit visceraque corrumpet. Nemo prudens ac sua arte bene pollens paedagogus ambiget tunc maxime se pro-

[1] Artic. 124.

fecisse omneque tulisse punctum quum disciplinae iugum halantibus rosis adeo suave effecerit ut iuvenes ad sua officia implenda non tam adigantur quam alliciantur, quam intimo quoque sensu et affectu sponte et suapte impellantur. Quod si, contra, iugum teterrimis spinis incautus saepiverit, quidquid demum egerit operam omnem oleumque perdet.

d) Prudenter omnino et caute huiusmodi pietatis exercitationes adeo advigilandae sunt ut nunquam inquisitoris aut exactoris habitum Rector assumat. Quare lector ipse decernet quanta sint laude cumulandi Institutores nonnullos quando omnia, semper, ac per se advigilari velint: quando [quaestorio more] sacellum longe lateque dimetiantur, obiurgationes uni, minas alteri prodigaliter largientes! Esto paedagogorum scholas inter se plurimum dissentire, tamen summi faciendam esse tum alumnorum libertatem, tum Institutoris dignitatem nemo ambiget.

Hisce praebabitis ad peculiarem pietatis exercitationum praxim Rectori indigitandam gressum facimus, quas, indirecte at perseveranti modo, invigilare gravissimum eius muneris debitum extat.

§ III. — De Pietatis exercitationibus singulis, et primum de illis *quotidianis* ac *hebdomadalibus*.

Summae rerum. — CIX. Quae quotidianae pietatis exercitationes sint. — CX. De oratione mentali. — CXI. De Sacro quotidie audiendo. — CXII. De pia spirituali lectione. — CXIII. De B. M. V. rosario recitando. — CXIV. De conscientiae discussione. — CXV. De SSmi Sacramenti visitatione. — CXVI. De orationibus matutinis ac vespertinis. — CXVII. De pietatis exercitationibus per hebdonadam peragendis: *a*) De Ministerio Cathedrali Ecclesiae praestando; *b*) De spirituali ad clericos adhortatione, et ad rem normae; *c*) De peccatorum confessione, et ad rem industriae; *d*) De Sacra Eucharestia sumenda.

CIX. — Quae quotidianae exercitationes in Seminario statuendae sint S. C. aperte indigitat edi-

cendo: *In quovis Seminario quotidie sequentia pietatis opera peragantur:*

1. *Preces matutinae,*
2. *Meditatio,*
3. *Missa,*
4. *Lectio Spiritualis,*
5. *SS.mi* Sacramenti *visitatio,*
6. *SS.mi Rosarii recitatio,*
7. *Preces vespertinae et de operibus suis cuiusque generalis inquisitio.*
8. *Mane, meridie, et vespere* Angelus Domini *vel* Regina Coeli, *iuxta tempora, recitentur*[1]. — De singulis pauca.

CX. — Meditatio seu mentis oratio. — *Quotidie* [ita S. Carolus iubet] *singuli semihorae spatio mentali oratione vacent*[2]. Vana autem species est qua quidam per illud quod dicitur *singuli* unumquemque in meditationem privatam et singillatim incumbere velint, quum, contra, cetera omnia quae de huiusmodi oratione Sanctus Auctor habet ac etiam quae per traditionem Borromianam servata est consuetudo, clericos in unum [in Sacello] vel in plures [in Contuberniis] convenientes huic sacrae exercitationi vacare iubeant. Hebdomadarius puncta, a Spiritu Moderatore praefinita, lente legit, moras quoque interponens in quibus ceteri omnes quae perlecta sunt recolant atque altius memoriae figant ut dein animo suo diutius reputent.

CXI. — Sacro quotidie clericos interesse tum S. Carolus Borromaeus, tum Tridentina Synodus iubent: ille quidem monet: *Missae sacrificio intersint atque vicissim inserviant*[3]; haec vero praecipit: *Curet Episcopus ut singulis diebus sacrificio Missae intersint*[4]. — Facile quis suspicetur optimum esse si Moderator Spiritus coram alumnis missae actionem coelebret: at prudentiae ratio praecipit omnino ut ipse Rector et qui eius vice fungitur ab ea abstineant, maxime autem si hi dies sint in quibus ad S. Synaxim accedere consueverint alumni, idque praesertim si infra hebdomadam, ex iudicio confessarii, fiat. In comperto

[1] Artic. 88.
[2] *Instilut.* Par. III, Cap. 2.
[3] Loc. cit.
[4] Sess. XXIV, Cap. 18. *De Reform.*

enim est contrariam agendi rationem malam praebere occasionem gravibus et perniciosissimis dissimulationibus, quum non desint inter alumnos qui tam infirmo utantur iudicio ut sacris communicent eo quod hic vel ille ex Moderatoribus sacrum operetur, qui propterea abstinerent si ab alio quocumque sacerdote missa celebraretur.

CXII. — Pia spiritualis lectio saltem diebus quibus scholae vacant alumnis suppeditanda est, quin etiam in Seminariis italicis, ex laudati decreti praescripto, quotidie. Agenda est ex libris quos Moderator Spiritus ipse ita praefiniverit ut clerici ex ea proficere possint valeantque. Hinc, ut attentos animos et aures inveniat, utile dulci misceat oportet; si vero ex historiis lectio fiat erit optimum.

CXIII. — Coronam aut Rosarium *dicant prout a confessore expedire iudicatum fuerit* [1] sic D. Borromaeus, cuius traditio fert ut pientissimum hoc obsequium sub vespere B. M. V. exhibeatur: sunt tamen qui Missae tempus ad hoc eligant.

CXIV. — Conscientiae discussio. — *Quotidie vesperi per quartam horae partem conscientiam diligenter exeutiant* [2]. Praxis vero fert ut hebdomadarius, antequam vespertinas orationes incipiat, singula puncta recenseat cum quibusdam opportunis moris in quibus singuli sua dispiciant.

CXV. — SS.mum Sacramentum invisere uberiorem dicendi segetem suppeditat. Huiusmodi ex rcitationes duplicis sunt differentiae: quaedam enim communes, quaedam vero privatae sunt.

1. Communes sunt quum omnes clerici simul ad sacellum conveniunt, ut plurimum, post prandium et post coenam, qua nacta occasione commode salutationis angelicae commemorationem persolvunt. Hinc D. Carolus: *A prandio et coena in Ecclesiam recte pergant, ibique orationem dominicam et angelicam salutationem secreto quinquies dicant* [3]. Optandum maxime est ut pium hunc morem omnia prorsus Seminaria addiscant.

2. Visitationes privatae et singulares sunt

[1] *Institut.* Par. III, Cap. 2.
[2] *Id., Ibid.*
[3] *Ibid.*

quas singuli clerici peragunt quando quidem illis generatim permittitur, praesertim relaxationis tempore, brevi sodales deserere atque Suavissimum Hospitem in sacello invisere, quo coram pii clerici, plerumque, praestantissimum omnium et exoptatissimum animi solatium experiuntur. Huius quidem moris S. Carolus non meminit, at in plurimis Seminariis exteris id iam invaluit cum maximo quidem suavissimae pietatis profectu. Hinc ubi [conditiones quaeso Rector attendat] simulatio pertimescenda non sit, et ubi disciplina nullum detrimentum sentiat, nihil utilius, praesertim alumnis aetate et iudicii maturitate provectioribus, commendari potest.

CXVI. — Orationes matutinas et vespertinas S. Carolus tantum per transennam recenset [1], utpote omnino obvias ac cuicumque christiano homini usitatissimas: quapropter in nullo unquam Seminario, quamquam diversa ratione peragantur, oblivioni sunt. Neque in re notissima plura tradere expedit.

CXVII. — Pietatis exercitationes in hebdomada his paucis complectimur.

a) Ministerium Cathedrali Ecclesiae praestandum, officium est canonica etiam sanctione Concilii Tridentini confirmatum, iubentis ut clerici *cathedrali et aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant* [2], quod ipsum S. C. decreti littera hisce praescribit: *diebus dominicis aliisque solemnibus contubernia turnatim operam praebeant in Cathedralibus. Omnes alumni Cathedralem petant cum Episcopus ibi functionibus intersit* [3]. Quibus autem huiusmodi ministerium absolvatur, complurimis S. C. Concilii decisionibus adeo praefinitum est ut, omnibus iam sublatis abusibus, clerici nonnisi sacerdotibus sacram actionem agentibus iuxta altare deservire teneantur: hinc choro adesse, thus ministrare, ceteraque id genus tum quae ad cantum, quum quae ad sacras caeremonias pertinent praestare. *Dum* vero *in Ecclesiam procedunt et loci sanctitatem et conveniendi causam attente cogitent, debitamque pietatem, modestiam ac silentium*

[1] Loc. cit.
[2] Loc. cit.
[3] Artic. 89.

servent.[1] Ad rem autem S. Archiepiscopus consulit ut Rector... *nonnunquam in Ecclesiam Metropolitanam cum in ea clerici fuerint se recipiat, ut illi diligentius quae ad cultum divinum spectant exequantur*[2]. Prudenti autem consilio cautum est ut clerici in his omnibus sui's tantum Moderatoribus parere teneantur, quorum igitur etiam est quos expedire iudicaverint seligere et mittere. — *Cum* autem *in Ecclesia minori, aut in alia quavis extra Seminarium erunt, non modo ab Ecclesia, sed ne a choro quidem sine Vicarii Generalis cum adest vel, eo absente, sine eius facultate quem Rector constituerit etiam a quocumque vocati discedant, iis exceptis quibus pro caeremoniarum ratione canonici ordinarii tunc in divinis officiis ministrantes a choro in sacristiam et ab eadem in choro deducendi erunt. Qui sine huiusmodi licentia a sua statione discesserit graviter a Rectore punietur*[3]. Huiusmodi autem ministerium festis tantummodo diebus praestandum est, iuxta Const. Innocentii XI[4] ac Benedicti XIII[5]. Insuper S. Carolus cavet: *Ad processiones autem aliave munera in aliis Ecclesiis obeunda* [clerici] *non conveniant aut mittantur sine R.mi Archiepiscopi facultate*[6]. Verum novum in iure ac sapientissimum est quod in decreto laudato additur: *Rector consulat ut alumni qui in Seminario remanent iuxta opportunitatem aliud pietatis opus expleant*[7]. De opere hoc nonnullis in Seminariis invaluit ut recitatione unius ex minoribus horis ac missarum solemnitate contineretur. Ceterum in comperto est absentiam integri contubernii obstare quominus eodem tempore adhortatio ad mores confirmandos habeatur.

b) Adhortationem spiritualem decreti praescriptum iubet; *Feria V et diebus dominicis spirituali sermoni adsint.*[8] Divus vero Carolus Borromaeus in integra suarum *Institutionum* serie semel tantum ac veluti pertransennam de praedicatione ad clericos habenda verbum habet, idque ubi de Rectore agens eum hisce alloquitur: *Pias cohortationes nonnunquam ad clericos habeat de his rebus quas*

[1] *Institut.* Par. I, Cap. I.
[2] *Ibid.* Par. II, Cap. 2.
[3] *Ibid.* Par. III, Cap. 6.
[4] Constitut. *Apostolico muneri.*
[5] Constitut. *In Supremo.*
[6] *Institut.* Par. I, Cap. 1.
[7] Artic. 89.
[8] Artic. 90.

ad clericos expedire censuerit[1]. Moderatori Spiritus illud tantum officio ipse vertit ut is quotidie meditationum argumenta et puncta [in crastina die consideranda] describat proponatve[2]. Recens S. Congregationis decretum ad rem decernit ut *hoc munus committatur cuidam sacerdoti scientia pietateque idoneo*[3]. At vero [si quid nostra sententia valeat] nullus huic muneri et officio idoneus magis existimabitur quam ipse Spiritus Moderator qui, hoc pacto, perbelle et argumentose suam publicam et personalem operam cum privata contemperare poterit. Neque haec nostra sententia tamquam menti utriusque Legislatoris parum consona abiicienda est: non enim illorum negotium fuit minima quaeque rimari et litteris moderari legis quae cum re sibi proposita quamlibet necessitudinem haberent, eaque praesertim quae semel definitis muneribus et officiis Moderatoris spiritus satis continerentur. Ceterum ubi Borromaei instituta et tradita religiose servantur munus piarum adhortationum fere integrum huiusmodi Moderatori demandatum est. Idque cum Divi Caroli mente optime cohaerere ambiget nemo qui reputet famulorum quoque dominicalem instructionem de christiana catechesi ab eo Moderatori tamquam officii debitum committi. Illius enim sunt verba haec: *Diebus festis a prandio famulos omnes convocet eosque in doctrina cristiana erudiat*[4]. Quis autem bene prudens existimet sollicitiorem fuisse Sanctum Archiepiscopum in famulos quam in alumnos illos quos suorum laborum studiorumque coronam et gaudium futuros sibi pollicebatur? — Quod si hoc officium adhortandi clericos cum ceteris Spiritus Moderatoris muneribus absque Moderatoris plurimo onere consistere non possit, equidem *cuidam sacerdoti scientia pietateque idoneo*[5] dimittendum est. At fere numquam. nisi cum magna difficultate et etiam cum non parvo institutionis spiritualis detrimento, Moderator aliis suum adhortandi munus concedet. In comperto enim est hac ratione unitatem moderationis spiritualis facile pessumdari, cuius interitum graviora etiam vitia ac detrimenta [omnibus perspicua] sequi possunt. Verum quidquid de hoc negotio

[1] *Institut.* Par. II, Cap. 2.
[2] Cfr. S. Carol. Borrom. *Institut.* Par. I, Cap, 4.
[3] Artic. 90.
[4] Loc. cit.
[5] Artic. 90.

decernendum sit, pia adhortatio [a quocumque demum illa habeatur] statis diebus fiat, atque ita ut periodica, gravis, prudens utilisque sit.

a) Statis certisque diebus habenda est, ut, scilicet, cum disciplinae bono consentiat, atque maxime ut ipsa adhortandi consuetudo constans firmaque sit. Si enim hoc negotium arbitrio cuiuscumque concreditum fuerit, facillima ac crebra erit omissionis occasio, vel saltem onerosa evadet et inopportuna nonnunquam adhortatio, quo etiam ingrata et inutilis plerumque effici consuevit. S. Carolus nihil certum in rem decernit; verum traditio quae, eo auctore, consuetudine firmata est, hanc adhortationem dominico quoque die habendam fert, atque ea quae commodior sit et opportunior hora. Decretum vero iam saepe laudatum optionem facit qua vel die dominico, an quinta feria haberi possit adhortatio. Locorum temporumque adiuncta plura in rem docebunt; id tamen integrum maneat adhortationem habendam esse certis omnino diebus et horis.

b) Gravis sit, ea scilicet gravitate quae ad propositum finem, videlicet ad sanctificationem efficiendam eiusque artis edocendam, iugiter conducit. Idcirco non peregrina sectanda sunt, sed quae ad clericorum sacerdotumque praesertim munia et officia pertinent. Concionator igitur sermonem ad clericos in unum congregatos habeat *non tam concionando quam instructionis et cathechismi ritu, iis demonstrando quibus dotibus atque virtutibus instructos esse oporteat illos qui ad Sanctuarii ministeria digne accedere cupiunt: quaenam sint vera ecclesiasticae vocationis indicia, quae ratio vitae, tum ex ipso clericalis professionis debito, tum ad proximorum aedificationem, servanda ipsis erit, postquam in clerum adlecti, vel ad minores aut maiores ordines promoti fuerint.*[1] Idcirco genus dicendi non tam concionem aut orationem redoleat, sed piam magis adhortationem; itemque verborum ars eo tantum spectetur ut perspicua omnino et omnibus aperta sint quae traduntur, cuiuslibet captui et intelligentiae accommodata, atque ea demum quae animos alliciant intentosque faciant. Nec fugienda brevitas ac concisio: quantumvis enim grata

[1] Benedictus XIV, *Institut.* Lib. II, Cap. 3.

elegans et arguta sit adhortatio, prolixam fere omnes fastidiunt, atque ex ea parum admodum proficiunt.

c) Prudens, discreta, ac utilis quam maxime sit oportet. Rei summa hic est, immo tota est: prudentiam enim si quis negligat facile destruet quum aedificandum, e contrario, foret. Quidquid igitur asperum nimis sit aut rude, quidquid profanum magis hominem quam Dei servum deceat, quidquid sanctuario dedecori sit ne nominetur quidem. Nulla fiat vel tacita provocatio ad ea quae disciplinae laesiones aut castigationes spectent, quorum prorsus ignarum Moderatorem Spiritus saltem videri oportet; eoque magis quidquid vel minimum censuram in Institutorum acta redoleat studiose caveatur. Quam maxime vero curandum est ne sermo ad nimis singularia deflectat, adeo ut quis ex alumnis facile suspicetur ad sua vel ad ea quae privatim cum Spiritus Moderatore communicaverit provocari. In comperto enim est his omnibus in adiunctis cuiusvis fructus vacuam operam adhortantis effici, quem immo facillime deserat omnino, aut saltem male despiciat quisquis huiusmodi inopportunis sermonibus sese offensum senserit. — Neque abs re erit dissuadere ne ullum de reipublicae negotiis sermonem aut verbum misceantur; id tantum clericis suadendum est ut maximo studio ac amore Petri Cathedram amplectantur eique firmiter adhaereant summa obedientia ac plenissimo obsequio Christi Vicarium in terris prosequuti. Cetera omnia his satis superque continentur, atque ea, rationis discursu, plenissime etiam alumni assequentur.

c) Peccatorum confessio:

I) De eius recurrentia S. Carolus habet: *Confiteantur omnes* [clerici] *peccata sua saltem prima quaque et tertia cuiusque mensis dominica die: diebus praeterea festis Christi Domini, B. Virginis Matris, Sanctorum Ioannis Baptistae et Apostolorum et Sancti Ambrosii omnibusque dominicis adventus et quadragesimae. Qui vero sacris ordinibus initiati sunt semper singulis octo diebus: qui alicui sodalitio B. Virginis sunt adscripti eius leges et instituta ea de re servent*[1]. Quae quum ita sint

[1] *Instilut.* Par. III, Cap. 2.

nemini dubium esse potest S. Carolum clericis qui in sacris sint constituti hebdomadalem confessionem praecepisse, ceteris vero eam quae decimoquinto quoque die habenda esset: hinc arctiorem legem tulisse quam quae a Synodo Tridentina sancita fuit: *Curet Episcopus ut saltem singulis mensibus confiteantur peccata*[1]. Verum quando uterque verbulum *saltem* addiderunt aperte fassi sunt se quam maxime exoptare ut frequentius clerici ad tam salubre sacramentum accederent, quod votum [optimo consilio] interpretata est S. Congregatio decernens: *Singula hebdomada sua admissa peccata confiteantur*[2]. — Mirabilis autem elucet S. Archiepiscopi cura in minima quaeque sollerter impensa quum de ratione qua quisque ad sua peccata confitenda accedat disserit. Cuius gratia *ne ulla ordinis perturbatio exoriatur, tempus quo uniuscuiusque dormitorii clerici confiteri debeant constituatur. Praefectus vero non omnes simul, sed quinos tantum vel senos ad confessarium mittet*[3]. Id autem peropportune consultum est: secus enim alumni tempus utilius studiis impendendum frustra tererent, atque difficilius esset iam iam confessuris advigilare.

II) Quantum et quale tempus impendendum sit communi quidem norma praefiniri nequit; id enim tum ab alumnorum numerositate, tum a confessariorum numero, tum etiam ab aliis quibus tum hi, tum illi detineri possint negotiis pendet. Quid in singulis rerum adiunctis consulendum est Rectores videant, at illud unum vero studeant quorum interest ut *omnia honeste et secundum ordinem fiant*[4].

III) De eius vigilantia gravissima subest quaestio [iamdudum in diversas exagitata sententias], num, scilicet, expediat et qua meliore ratione id fieri possit ut Moderatores certiores efficiantur an alumni praecepto confitendi peccata sua pareant. S. Carolus rigidam et apertam suam mentem hisce pandit: *Confessarius tabellam eo tempore apud se habeat in qua clericorum omnium nomina descripta sint, ut singillatim confes-*

[1] Loc. cit.
[2] Artic. 91.
[3] *Institut.* Par. II, Cap. 4.
[4] *Ad Corinth.*, XIV, 40.

siones signet, et non confitentes ab aliis dignoscat [1]. Viderint peritiores quid in re tanti negotii decernendum sit; nostrum est tantum animadvertere disciplinae quidem ius et partes esse ut dignoscat quinam coram confessario venerint, quique adesse renuerint, non autem ut cognoscat quid illi cum confessario egerint, an peccata sua sint confessi, an potius v. g. benedictionem petierint, aut alia quaevis negotia pertractaverint. Quamobrem confessarius profecto disciplinae magistro morem gerat quod ad primum; quod vero ad alterum attinet alumno praesto sit illumque misericorditer iuvet, qui suo officio disciplinari reapse satisfecerit coram illo veniens. — Ceterum huiusmodi disciplinae in rem vigilantia plurimis obnoxia est incommodis, quum alumnorum libertati nonnisi cum negotio plurimo per eam consuli possit, quorum quidem iura in foro conscientiae sancta sint oportet. Idque eo magis quod nonnumquam spiritualis etiam salutis causa postulare iure optimo potest ut confessarium quis commutet quin ullus homo id cognoscere debeat, aut utcumque iudicare audeat. — His omnibus rationum momentis, gravissimis illis et haud levi spernendis, suademus ut indirecta tantum vigilantiae media adhibeantur, quibus utens contubernii Praefectus, aut quicumque alius mox confessuris adsit, quae necessaria sint, nullo negotio, dignoscere poterit. — Profecto qui clericus iterum atque iterum huic suo officio desit legitimam suspicionem praebet deficientis vocationis: hic autem non quidem obiurgationibus [utque iustis] exagitandus est, sed illum quam cautissime, opportunam nactus occasionem, Rector dimittere curet. — Plane in toto hoc negotio gerendo caveat sollicite Rector ne turpium sacrilegiorum umquam occasio disciplina fiat, ac meminerit omnia disciplinae media et argumenta tantum ut adiumenta ad maius spirituale bonum et incrementum adipiscendum comparari: quapropter omni utilitate vacua ea evaderent si huic altissimo fini obessent magis quam prodessent.

[1] *Institut.* Par. II, Cap. 4.

d) De Sacra Eucharistia sumenda:

I) De eius recurrentia Tridentina Synodus opportune clericis statuit: *Curet Episcopus ut... juxta confessarii iudicium* [clerici] *sumant Corpus Domini Nostri Iesu Christi* [1], atque idipsum decreti S. C. EE. et RR. praescripto continetur: *Saepe, iuxta confessarii consilium, ad S. Synaxim* [clerici] *accedant* [2]. At S. Carolus aperto et taxative praecipit: *Prima quaque cuiuslibet mensis dominica die et solemnibus item totius anni diebus festis Sacram Eucharistiam sumant; in adventu vero et quadragesima singulis saltem quindecim diebus: quod idem diaconi et subdiaconi semper praestent* [3]. Verum si etiam de clericis ea prescribenda essent quae de illis omnibus qui vitam agunt communem nuperrime a S. Sede statuta sunt, longe alia praxis suaderetur ac iuberetur omnino. Primum enim [pro communem vitam ducentibus] a S. C. EE. et RR. statutum est: *Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad Sacrum Synaxim accedenti eadem Sanctitas Sua decernit huiusmodi permissiones vel prohibitiones decreta ad confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerere, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem confessionem communitati scandalo fuerit, aut gravem culpam externam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit* [4]. Tandem S. C. Concilii decreto illud iuris traditur: *Si quae sunt Instituta quorum in regulis aut constitutionibus vel etiam calendariis communiones aliquibus diebus affixae et in iis insuper reperiantur, hae normae tamquam merae directivae, non tamquam praeceptivae sunt* [5]. Quibus sedulo perpensis suademur praeter iura disciplinae esse quid in re tam gravi tamquam praeceptum urgere, sed per eam consilium tantum clericis praestari posse. Unus enim confessarius negotium hoc cum quolibet clerico agere ac pertractare rite

[1] Loc. cit.
[2] Artic. 91.
[3] *Institut.* Par. III, Cap. 2.
[4] Decret., die XVII dec. 1890.
[5] Decret., die XX dec. 1905, n. 7.

poterit, atque in hac re illi tantum sacrorum alumnum obtemperare oportet. Quapropter si quis licentiam crebro accedendi obtinuerit idque maiore aut minore frequentia, nemini numquam iudicium ullum proferre licet nisi, ad summum, ubi scandalum futurum timeatur. — Si quis autem quaerat num Rectori integrum sit Spiritus Moderatorem haud rectam alumni agendi rationem eo consilio docere ut cautius facultatem accedendi concedat, is profecto rem induxerit alea periculosissima plenam. Porro si Moderator Spiritus etiam post adeptam rei notitiam in suo consilio perstiterit, Rector ceterique Moderatores acquiescant oportet. — Haec omnia tanquam communis norma habeantur; etenim si clericus crebro et diu a Sacra Synaxi abstineret, id quidem tepidi animi iudicium praeberet qui nullum supernarum rerum gustum presentiat, ac propterea tamquam ad sacra non vocatus, consuetis cum cautelis, prudenter dimittendus esset; numquam tamen contra animi sensum ad frequentiores accessus adigendus. — Ceterum nemo satius umquam commendaverit ut... *communio frequens et quotidiana quam maxime promoveatur in clericorum Seminariis quorum alumni altari inhiant servitio* [1]. *Perspicuum enim est ex frequenti seu quotidiana S. Eucaristiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusione instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari* [2].

II) Quod vero exteriorem accedendi habitum spectat S. Carolus praecipit: *Quotiescumque autem sumunt sive in Ecclesia Metropolitana, sive in ecclesia seminarii aut alia quapiam superpelliceum induant. Post sacram vero communionem in Ecclesia persistentes, in aliqua pia eiusdem mysterii meditatione quadrantis horae versentur, nec inde prius discedant quam per aedituum signum campanae datum audierint* [3].

III) Quoad vigilantiam quae in re per disciplinam sit exercenda ut probe noscatur alumnorum accedentium frequentia, gravi negotii con-

[1] Decret. cit. n. 6.
[2] Decret. cit. n. 7.
[3] *Instilut.* Par. III, Cap. 8.

troversia habetur. At sententiam quam de confessione agentes tulimus heic etiam tuemur; nullum, videlicet, licitum esse *directum* dominium disciplinae in ea quae conscientiam respiciunt; ideoque dissuadendum esse Rectorem ne ea adhibeat vigilantiae argumenta quae S. Carolus in rem a contubernio Praefectis praestari praecipit statuens: *Singulis diebus festis indicem conficiant in quo nomina clericorum sui dormitorii qui eo die Sanctissimam Eucharistiam sumpserint primo describant eumque Rectori exhibeant.*[1] Quin etiam Rectori et Vice Rectori auctores sumus ne assuescant communicantibus continuo adesse, ut quaevis inquisitionis suspicio vel sacrilegiorum periculum prorsus amoveatur: satis est si consuetae Praefecti contubernii sollicitudini alumni [quodammodo] subiiciantur. — Ut autem diligentius sacrilegia devitentur [in quo negotio nulla industria nimia dici poterit] etiam conferet si confessarii cuique ex optimis etiam alumnis suadeant ut a S. Synaxi interdum abstineant. Qua ratione fortasse fiet ut unus vel alter e clericis, infirmiore utens iudicio adeo maiore libertate accedendi vel abstinendi se donatum sentiat, ut suae conscientiae opportunius consulere possit. — Ceterum falletur vehementer qui tanquam absolutam ac plenissimam normam vocationis dignoscendae alumni frequentiam ad S. Synaxim prorsus spectaret. Profecto ex ordinario contingentibus atque ex recto rationis ordine ita se habere oporteret; at quot et quanta sint quae extra ordinem contingant aut non recta ratione fiant nemo prudens sibi probe perspectum esse dixerint!

[1] *Ibid.* Par. III, Cap. 8.

§ III. — De Pietatis exercitationibus per mensem ac annum in Seminario habendis.

Summae rerum. — CXVIII. Religionis exercitationes per mensem quae sint: *a*) De feria VI in honor. SS. Cordis Jesu: *b*) De recollectione menstrua. — CXIX. Religionis exercitationes annuae: *a*) Supplicationes triduanae, vel novendiales; *b*) Mensis B. V. dicatus; *c*) De mense Cordi Jesu dicato; *d*) De Exercitiis spiritualibus annuis et ad rem normae. — CXX. Conclusio,

CXVIII.— Religionis exercitationes per mensem, binae tantum in S. Congregationis decreto enumerantur: prima est quae sexta primum in mense occurrente feria fit in honorem Divinissimi Cordis Iesu: altera recollectione menstrua continetur.

a) De praxi in honorem SS. Cordis Iesu. — *Prima cuiuslibet mensis feria sexta* [ex. Congregationis praescripto] *pium exercitium celebretur in honorem SS. Cordis Iesu ea ratione quae opportunior visa fuerit, attento quidem missae votivae privilegio a Summo Pontifice Leo XIII s. m. concesso* [1]. Quamquam agendi ratio in hac re non una in moribus sit, quae communi suffragio comprobatur his fere continetur: summo mane meditatio fit de SS. Corde Iesu: excipit Sacrum *coram Sanctissimo*, accedentibus omnibus ad S. Synaxim; vespere autem benedictionem cum SS.mo ritu solemni impertitur, praevio usitato actu consecrationis. — Quod autem in decreto laudato missae votivae privilegium recolitur hoc est: *In iis ecclesiis et oratoriis ubi feria sexta quae prima unoquoque mense occurrit, peculiares pietatis exercitationes in honorem divini Cordis, approbante loci Ordinario, mane peragentur, indulgemus ut huiusmodi piis exercitationibus addi valeat missa votiva Sacri Cordis Jesu, dummodo in illum diem non incidat festum aliquod Domini aut duplex primae classis, vel feria, vel vigilia octavae ex privilegiatis; de cetero serventur rubricae* [2]. — Opportunam nacti occasionem monemus suadendos esse clericos ut

[1] Artic. 92.
[2] Brev. *Benigno*, die XXVIII Iun. 1889.

pientissimam in Divinum Iesu Cor religionem prae omnibus alant excolantque, quippe quae sacratissimos thesauros reserans, clericorum animum suavissimo ac mitissimo [prout apostolos decet] spiritu imbuat, atque vere sanctos illos sacerdotes efficiat quorum Christus desiderio flagravit, quum se ad ignem excitandum missum nihilque magis velle se quam ut dilataretur obtestatus est.

b) Recollectio menstrua, quam dicunt, in S. Caroli scriptis non occurrit; verum borromianis traditis aperto effertur, atque quum optimos fructus parere consueverit, optandum sane est ut nullo in Seminario umquam deficiat. Ad rem vero Legislator decernit: *Recessum a bona morte nuncupatum peragant alumni iis sermonibus ac operibus quae induxerit consuetudo, ea ratione ut quis diligentius se percontetur, et consilia capiat quibus melius defectus corrigere ac in virtutum progredi valeant* [1]. Huius exercitationis praxis duplex in usu est. Quaedam enim Seminaria integrum diem in eam impendunt ac ita quidem ut pervigilii vespere inchoetur atque usque ad summum mane tertiae diei protrahatur; alia autem Instituta reapse dimidiam tantum diei partem huic exercitationi dicant. Propterea dum prior praxis binas meditationes consentit, altera unam tantum fert quae, videlicet, reformationem audit; ceterum hac praesertim huius exercitationis utilitas contineri videtur, hinc de ea tantum decreti praescriptum agit. Quaelibet autem praeplaceat praxis, curandum est ut silentium continuo servetur et per notam orationem ad bonam mortem obtinendam fructuosissimum hoc opus absolvatur.

CXIX. — Religionis exercitationes annuae peropportune in laudato decreto tres tantum enumerantur ut sequitur:

a) Novendiales aut triduanae supplicationes, de quibus praecipitur: *Religiose novendiales supplicationes, tridua etc., celebrentur quae maioribus D. N. J. C. et B. M. V. solemnitatibus praemitti solent* [2]. His suademur has tantum novendiales supplicationes ab omnibus clericis in communi peragendas esse de quibus aperto lex loquitur.

[1] Artic. 93. [2] Artic. 94.

Nihilominus non quidem contra Legislatoris mentem is agat si unam alteramve addiderit eadem ratione a clericis praemittendam his solemniis quibus eorum pietas magis magisque foveatur: sint ea dumtaxat quam paucissima. *Idem* [ibidem legitur] *peculiari pietate praefatae solemnitates celebrentur, necnon aliae quas Ecclesia christiano populo urget* [1]. Profecto Spiritus Moderatoris erit suadere ut aliis quoque clerici piam navent in privato operam, quin etiam iuverit publice innuere quandocumque illae inchoari possint.

b) Mensis B. M. V. dicatus. — *Filiali pietate pium opus expleant mensis in honorem B. M. V.* [2] Etenim si huic peragendo debita religione alumni insistant, bonus sacri Seminarii spiritus, veluti novo robore efflorescit, quamplurimi quotidiani defectus e medio tolluntur, innumerarum virtutum actibus alumnorum coronae augescunt. Usitata praxis quae a Muzzarellio nomen et auctoritatem ducit, utilitatem vero suam integram exercitiis Ignatianis acceptam refert, ceteras omnes longe antecellere videtur, idque non tantum laicos, sed sacrorum quoque alumnos quod attinet, quorum profecto iuvenilis aetas perspicuitate, ordine ac doctrinae soliditate, uberrimos progressus ferre consuevit.

c) De Mense Iunio SS. Cordi Iesu dicato. Quamquam nihil in decreto invenimus de hac pia praxi qua peculiari religione SS.mum Iesu Cor passim colitur, haud abs re erit illam enixe clericis commendare, ita quidem peragendam uti nonnisi minimum auferat temporis litterarum studiis [ea praesertim tempestate] impendendi. Etenim religionem ac pietatis in SS. Iesu Cor atque in B. M. V. quam maxime in clericorum animis virescere iuvat, quin etiam portus illud tutissimum peregrinantis animae, stella haec amicissima sacerdotalis vitae, numquam ex oculis ac desiderio decidant oportet. Neque secus de pia praxi qua mense martio, peculiari ratione, S. Iosephus B. V. Sponsus colitur.

d) Exercitia denique spiritualia quae dicuntur uberiorem dicendi segetem praebent. De his in primis D.

[1] Artic. 94. [2] *Ibid.*

Carolus praecipit: *Transacto vacationum tempore, reversi in Seminarium exercitationes spirituales unius saltem hebdomadae spatio illi ineant clerici quibus a Rectore iussum fuerit. Idem ab iis praestetur qui singulis annis in seminarium recipientur eodem modo quo ex constitutione nostra consueverunt qui ad maiores ordines sunt promovendi* [1]. Quibus perspicuum est quotannis clericos in haec exercitia incumbere illum voluisse, idque ineunte scholari anno, ac per integram hebdomadam: quae singula pluribus proponenda et enucleanda sunt.

1) Nullo quidem anno in Seminario omittantur spiritualia exercitia prout Legislator praescribit: *Singulis annis semel spirituales peragantur exercitationes saltem per quinque dies continuos, vel etiam bis per tres dies iuxta locorum consuetudines* [2].

2) Qua tempestate his exercitiis vacandum sit ex D. Caroli sententia iam audivimus, videlicet *post transactum rusticationis tempus*, seu ineunte anno scholari. At vero, quamquam huius rei sufficiens ratio commode reddi potest, pluribus tamen suademur rationum momentis ut borromianum praeceptum quadantenus temperemus. Quippe ineunte scholari anno quidam alumni fortasse a Seminario absunt; eorum vero qui adsunt animum transactae rusticationis memoria aut etiam novi curriculi incipiendi sollicitudo adhuc occupat. Hinc opportunius consilium videtur huiusmodi exercitia paulo saltem differre, prout etiam fert consuetudo plurimarum earum dioceseon quae Borromianis reguntur institutis, ubi nihilominus exercitia non fiunt nisi appetente iam Natali Domini Nostri die. Equidem haud diffitemur alumnis qui e rusticatione [fortasse externa] redeunt diu differendum non esse spiritualis refectionis tempus ut defectus admissi reparentur et evellantur, novoque robore vires animi ad virtutem donentur. Verum huic necessitati iam satis fiet si alumni per unam alteramve diem animi recollectioni studuerint, quibus apte inchoetur praeparatio illa remota qua exercitationum ipsarum fructus uberiores promoveri solent. Tandem, quando clericorum animi quiete

[1] *Institut.* Par. I, Cap. 2. [2] Artic. 96.

plurima fruuntur, nemo a Seminario abest, studiorum prima negotia iam superata tranquillam denique fiduciam contulere, opportune quidem supernae gratiae copiosissimae imbres agellum imbuent, uberrimamque segetis spem conferent, quibus etiam commode ii fruantur qui ad ordines sacros, tunc temporis, animum comparare consueverint. — Verum optimum hoc consilium non omnes ineunt; sunt enim quaedam Seminaria quae Borromianum placitum adamussim sequantur: sunt alia ubi exercitia ad postremos anni scholaris dies amandantur, vel saltem ad Paschalia Solemnia; sunt autem quamplurima ubi per triduum his exercitationibus bis vacatur i. e. tum ineunte anno, tum paucis ante Pascha diebus. Has omnes consuetudines decretum de quo agimus [ut eius ex verbis patet] Ordinariorum arbitrio liberrime permittit, ut ex S. C. Concistorialis quaestione Episcopo posita confirmatur, quae sic sonat: *An quotics in anno, et quomodo spirituales exercitationes fiant* [1]. — At qui totum hoc negotium sub quadragesimae exitu amandet, i. e. fere iam medio scholari anno, sane utilitatem his exercitationibus propriam, quae in novis sumendis ad annum peragendum viribus atque in animo rusticationis tempore fere dissipato denuo reficiendo consistit, intempestive plane spectet ac exiguam colligat necesse est. — Is vero qui exitum anni exspectet, praeter exposita incommoda illud quoque persentiet quod ex alumnorum nimia sollicitudine et anxietate de litterariis periculis, atque ex consueta festinatione quam omnes alumni et Institutores sub exitu experiuntur [quippe in his etiam cursus in fine velocior] exaggerari solet. Quam vero utilitatem pariat studium roborandi alumnos contra rusticationis vitia et defectus commode quis tulerit si recollectionem menstruam maiore qua poterit diligentia peregerit. Denique opinione quidem, at non re, Exercitiorum utilitatem ferat qui bis per dissita tridua illis vacaverit; siquidem alumni, et in his provectiores praesertim, vix unquam huiusmodi triduo quid proficient.

3) Ratio exercitiorum peragendorum tum concionibus, quum disciplinae ordini prospicere debet.

[1] De *Relationibus dioecesanis*, decret. 31 dicemb. 1909, Cap. VIII, artic. 90.

I). Conciones quod spectat omni exceptione maiorem putamus ordinem a S. Ignatio praefinitum, qui obvio veluti progressu ac perspicuo rationum discursu, cuiusvis hominis animum, invincibili prorsus et admirabili nisu, ad bonam primum frugem reducit, atque deinde imitanda Servatoris exempla suadet, donec tandem ferventissima amoris vi ad heroica quaeque pertrahat impellatque. — Ceterum non quidem theologicis disquisitionibus animus obruatur aut fatuo eloquentiae genere demulceatur oportet, sed perspicua utendum est dicendi ratione quae mentem non fatiget, illustret vero ac dimoveat, non *in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* [1]. In virtute quidem spiritus qua Gratiae Divinae aditus pandatur; in ostensione autem et veritate fidei qua omnes terrenae ac fluxae sollicitudines oblivioni tradantur, sola autem quae aeterna sunt animum occupent. Idque si cum omnibus praestandum sit, maxime profecto coram sacrorum alumnis curandum est qui, utut aetate maiores sint, aut iam sanis imbuti doctrinis, adolescentes esse non desinunt, ac propterea illusionibus animi faciles quae nonnisi amarissima demum parere consuevere. Quapropter aperto proponantur quae fides arguit, qualia et quanta sint sacerdotis gravissima ac sublimia officia et munia angelicis quoque humeris formidanda, vocationis vera ac absoluta necessitas. Atque [satius id nemo dixerit] etsi maxime cavendum sit ne alumni a sancto proposito deterreantur, studeatur ne hi plus quam non oportet tanto alliciantur muneri, et ea fortiter aperiantur quae fortasse clerici non ignorant, at sibi vero suaderi [ut plurimum] renuunt. — Praeterea perspicuitati maxime ac brevitati consulatur, nec satius quis se fecisse putet si sempiternas veritates quam penitius quorumcumque animis indiderit iis etiam qui minore intelligentiae acie fruantur. In his autem utile dulci ita misceatur ut meditationem ac multo magis adhortationem alumni iam tamquam solatium animi desiderent, non vero tamquam intolerandum onus exhorreant. — Huiusmodi omnia praestare quisquis

[1] I *Cor.* II, 4.

sibi facile pollicetur, at pauci admodum reapse possunt: non omnium etenim est humanum et iuvenilem praesertim animum penitus nosse, quae indigeant praevidere ac opportune parare, intelligentiam multorum huiusmodi revereri ac suadere simul. Quamobrem quam cautissime exercitiorum concionator eligendus ac advocandus est, nec omnem adire oportet qui magnae eloquentiae et doctrinae laude floreat; quum haud absonum sit huiusmodi oratorem exercitiis tradendis imparem prorsus et ineptum fore. Igitur, ne res perfunctorie agatur, opportune Rector inquirat tum per se, tum per alios, ac magis eos spectet qui doctrina, vitae sanctitate, spiritualium negotiorum ac clericalis praesertim institutionis sapientia insignes fuerint. Electum autem probe doceat quae sint Seminario alumnisque apta et opportuna, ac quo magis fieri potest ad maius usque alumnorum spirituale bonum et incrementum ferendum iuvet.

II) De disciplina haec teneantur. — Agendorum ordo, seu *horarium* quod dicunt, sedulo conficiatur, prae oculis habitis optimis artis puerorum instituendorum principiis, quae graviora negotia levioribus excipi iubent; quin etiam his in adiunctis strictius vivendi genus paululum relaxetur, ac ea omnia commoda comparentur quibus animus, absque dissipatione tamen, levari et bene esse possit. Hinc v. g. surgendi tempus brevi potrahatur, dormiendi hora citior adveniat ac etiam in die brevis concedatur somnus[1]: victus et alimenta si exquisitiora haberi nequeant augeantur saltem quantitate; hiemali autem tempore rigor aëris magis ac magis opportunioribus rationibus, temperetur. Solatium tamen quod identidem concedi oportet numquam vera relaxatio sit, nam prima exercitatio alumnorum silentio religiosissime servato continetur, atque ex eo magna utilitatis pars dependet. Ceterum studiorum negotia, epistolarum commercium, accessus ad colloquutorium, egressus e domo omnino auferantur: hoc enim acceptabili tempore nonnisi Dei et animae negotia pertractari oportet.

III) Diuturnitas exercitiorum ex S. Caroli sententia saltem per *integram hebdomadam*[2] protrahenda est,

[1] Cfr. paradigma ad volum. calc. [2] *Instit.* Par. III, Cap. 2.

at ex praescripto decreti de quo agimus *quinque dies saltem non intermissi* [1] sufficiunt. Verum iam non licet hac lata lege, tribus diebus totum negotium concludere nec pro clericis quidem Seminariorum parvorum, idque eo minus quum bis per triduum huiusmodi exercitiis vacandum fuerit. Ceterum ex eo quod dicitur saltem, palam fit mentem Legislatorum nullatenus praepediri si per integram hebdomadam alumni exerceantur, videlicet a vespere unius dominici diei ad matutinas alterius horas, prout ex borromianis praescriptis in Institutis quae his reguntur usu venit.

CXX. — Qui ad propositi nostri terminum properavimus, iam operae pretium omne tulisse nos arbitramur si haec omnia quae indigitavimus potius quam pertractavimus, sapiens Rector in usum deducenda adeo existimaverit ut *in alumnorum animos infundat ac colat maiori qua potest conscientia pietatem illam quae omnibus, sed praesertim clero, uber est inaestimabilis utilitatis. Quo magis pietas in clericos penetraverit, eo magis ipsi parati erunt ad sacrificii studium strenuum, cuius tanta est necessitas ad sollicite curandam Dei gloriam et animarum salutem* [2].

§ IV. — De Clericorum vocatione a Rectore perscrutanda, et de eorum promotione ad Sacros Ordines.

Summae rerum. — CXXI. Animadversiones praeviae. — CXXII. Quaedam circa vocatione monimenta recoluntur. — CXXIII. De admissione ad Sacros Ordines. — CXXIV. Quae in re Legislator praescribit. — CXXV. De examine peragendo. — CXXVI. Quae de re in Urbe praescriptiones vigeant. — CXXVII. De Exercitiis Spiritualibus sacris ordinationibus praemittendis. — CXXVIII. De sacrae ordinationis die.

CXXI. — Haec omnia quae hucusque de pietatis exercitatione in clericis recensuimus, immo cuncta quae de clericali institutione recoluimus ac recolemus eo tendunt ut tironum sacerdotalis vocatio dignoscatur, foveatur et ad sa-

[1] Artic. 96. *Ital.*, die 8 dec. 1902.
[2] Leo XIII, Encycl. *Ad Episcop.*

cerdotii finem perducatur. Quapropter ut Rector omnes eius regiminis industrias huc vertat necesse est, ut S. Congregatio illi jubet: *Intra muneris sui limites sinceritati ac progressibus vocationis sacerdotalis alumnorum invigilet* [1].

CXXII. — Ad rem vero *intra sui muneris limites* sequentia Rectori suademus:

a) Summa is nitatur ope ut cum prudentia omnimoda, cum charitate et animi fortitudine a Sanctuario procul arceantur omnes qui certa deficientis vocationis signa dederint, aut de quibus nulla sit certa spes animarum salutem Ecclesiaeque sanctae utilitatem per eos incrementum olim accepturam fore. Etenim S. Carolus non nodo nocentes, sed eos quoque qui inutiles olim extituri essent a Seminario procul arcendos esse censet. Ut huic officii sui debito faciat satis, plurima ac utilissima Rector consilia et adiumenta percipiet ex iis qui de christianae vitae perfectione, fuso calamo, scripsere atque artem animorum dignoscendorum, et in primis sanctarum discernendarum vocationum egregiis illustrarunt monitis ac documentis. In presenti vero [prout propositi nostri ratio fert] pauca tantum peculiaris ac practicae indolis ac usui magis et experientiae frequentiora in rem consilia addimus [2].

b) Clericus qui theologiae curriculum mox incepturus sit aut etiam a brevi inceperit tempore, si diuturna ac certa firmae castitatis signa prodere nequeat, ex concordi theologorum et pietatis magistrorum consensu, ut sacra Seminarii septa deserat, atque ad saecularia transeat vota suadendus est. — Quin etiam si huius miserrimae condicionis certa argumenta iampridem habeantur, quae contrariis consuetis probationibus dissolvi non possint, nec ipse quem praefinivimus terminus expectandus erit; sed, post moralem rei certitudinem adeptam, dimissio fortiter et tempestive consulenda est. Idque eo magis si iam tristis cuiusvis gravis in eodem genere culpae habitus

[1] Art. 30. *Spirituali dei Seminari Lombardi.*
[2] Cfr. *Regolamento pei Direttori*

infelicem animum obligaverit. *Qui enim tali vitio inquinati sunt, communiter, temere et imprudenter castitatem rovorent, el a statu clericali repelli debent nisi extraordinaria dent signa conversionis et longa experientia nempe per plures annos, firmitatem propositi demonstrent ac pignus perseverantiae exhibeant* [1].

c) Si quis sacro iam subdiaconatus ordine insignitus ad vetera et iam expiata delicta in genere morum relabatur, aut etiam si nova patraverit quibus vocatio in grave discrimen adducatur, is non prius ad diaconatum ascendere permittatur quam si diuturnum experimentum confirmatorum morum absolverit, pro ratione malae consuetudinis ac pro ceteris rerum adiunctis diutius protrahendum, generatim tamen non ultra interstitiorum canonicorum terminos, i. e. non ultra annum. — Eadem lex de diacono observetur qui ad presbyteratum promoveri postulet: ab utroque enim sacrorum alumno lex et ratio exigit ut tunc tantum ad maiora progrediatur quum certa sint argumenta obfirmati omnino animi in bono, adeo ut nulla malarum tentationum damna [morali saltem ratione] reformidanda ac pertimescenda sint. *Provideri debet* [sic D. Gregorius admonet] *quales ordinentur, si vita eorum continens in annis plurimis fuit* [2]. At vero qui post tot tantaque divinae Gratia auxilia et adiumenta graves huiusmodi culpas iterum admiserit, in iisque, licet post temporis longum intervallum atque ex non plena malitia, misere relabatur, sane re et eventu ostendit ac comprobat omnino in se maiora posse malum quam bonum spiritum, naturamque et animi indolem infirmiorem longe esse quam quae sacerdotalia gravissima onera ferre possit. Propterea gravia esse salutis tum suae propriae, quam aliorum damna ex eo pertimescenda: qui autem talis sit, indignus ac impar omnino est sacerdotio, atque ne illud suscipiat severissime prohibendus. Igitur illi qui castae vitae nullam certam firmamque

[1] Bouvier, *Praxis Confessar.* cap. IV.

[2] *Epistolar.* Lib. IV, Indict. XII, Epist. XXVI, *ad Ianuarium Episcopum.*

spem exhibere possit, non modo nihil suffragatur, sed et nocet suscepti iam ordinis ratio ne ad maiores ascendat. Idque ex ea etiam caussa quod primus error numquam sufficiens esse ratio possit cur gravior etiam error admittatur, ex quo non modo illi qui erravit, sed etiam dominico gregi spiritualis ruinae occasio immineat. Atque, prout nemini Sanctuarium ingredi ius est nisi ex eo quod vocatus a Deo sit tamquam Aaron, ita etiam Ecclesiae ius est a sanctis tantum sua sanctissima pertractari, non autem ab iis qui nomen Dei Altissimi polluant, ac animabus vero *quasi Agni immaculati sanguine redemptis*, ius sanctissimum est a legitimis sacerdotibus duci et curari in quibus Pater sibi bene complaceat, non autem a mercenariis, a furibus et latronibus, et ab his qui intus sint lupi rapaces. *Salus* igitur *populi suprema lex esto.* — Illi vero qui in hac miserrima sint conditione subdiaconi, aut in eodem permaneant statu nec superius ascendant, lacrimis et votis exspectantes *mutationem dexterae Excelsi;* aut si huic poenitentiae et humilitatis statui [in quo tamen plurimi sancti Viri permanserunt, ut Assisiensis Seraphinus] ferendo pares non sint, exposcant a Summo Pontifice commutationem imprudenter nuncupati voti qua liceat illis nubere et non uri. Id tantum illis suadeat Moderator Spiritus aut confessarius oportet, immo omnino necesse est *ne et ipsi communicent peccatis alienis* [1]. At sane fortiter et suaviter instet Moderator Spiritus nihilque non experiatur ut hanc nunquam satis lugendam animi conditionem potius omnino praeveniat quam admissam, durissimis rationibus, ferro quidem et igne, corrigere adigatur. *Nullus enim* [D. Gregorii effatum est] *debet ad ministerium altaris accedere nisi cuius castitas ante susceptum ministerium approbata fuerit* [2].

3) Pariter regressum in saeculum suadendum clericis illis qui tam inconstanti et irrationabili agendi norma utantur ut facilis suspicio oriri possit an sui bene compotes sint: clericis

[1] I. Timoth., V. 22. Epist. 44, *ad Petrum Subdiaconum.*
[2] *Epistolar.* Lib. I., Indict. IX,

qui animi recollectioni numquam, aut perraro studere possint, qui pietatis opera ferre nequeant quum nulla pateat via qua ad meliorem frugem adduci possint. Item dimittantur qui veluti per inveteratam et incorrigibilem consuetudinem pacem et concordiam perpetuo laedant; qui loquaces, vani, disciplinae impatientes quum sint, veri nominis sacerdotes Christi numquam praevidentur futuri. *Consultum postremo erit sacram ordinationem differre vel etiam prorsus denegare iis qui, quod Deus avertat, neotericis erroribus imbuti essent, quos non ex animo reprobarent atque rejicerent* [1]. *Oh! procul sunto a sacro ordine novitatum amatores; superbos et contumaces animos odit Deus* [2]. Neque de his omnibus procrastinandum est donec iam ad theologiae studia devenerint, quum eo tempore perraro aut numquam consiliis huiusmodi clerici acquiescere consueverint. Obstat nimis iam praevalens superbia!

4) Denique qui scientiae habitu sufficienti aut de doctrinae gradu deficiat ne ultro procedat dissuadendus est.

Attamen ad rem docendi iterum atque iterum sumus Rectoris negotia in hac re omnia *foro tantum externo* contineri. Quapropter numquam [meminerit] ad forum internum [ut aiunt] operam quamlibet extendat a quolibet adigi potest. Ex quo, nullo sane negotio ii intelliguntur imprudenter ac inconsiderate omnino agere, qui Moderatorem Spiritus suffragium cum aliis ferre velint de clerico ad ordines admittendo, aut licentiam illius in scriptis a clerico exhibendam postulent, aut si quid id genus aliud. Haec enim omnia prima et communia quibus scientiae morum regitur principia aperto damnant reiiciuntque.

CXXIII. — Quae circa alumnorum ad Sacros Ordines promotionem Rector praestare debeat recolenda nunc sunt. Ad rem vero sedula solertia ipse adnitatur ut de cuiusque alumni indole, moribus, in pietate

[1] *Instruct. S. Officii*, die XXVIII August. 1907.

[2] Pius PP. X, Encycl. *Pascendi*, die VIII Sept. 1907, n. 4. - Cfr. Motu proprio *Praestantia*, die XVIII nov. 1907.

studiisque profectu omnino certior fiat, non modo ut emendationi consulatur, sed etiam ut tempestive amoveri possint qui inepti ministerio sint et arrogantem aut pertinacem indolem praeseferant, quippe qui divina vocatione destitutos se esse ostendunt. Quapropter quoniam dies in quos incidimus mali sunt, neque spes meliorum affulgere potest nisi ab illis qui praeparant cogitationes suas Deo ut sint lux mundi et sal terrae, ne illud tristissimum impleatur: *Vidi gentes ingressas sanctuarium tuum, de quibus praeceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam* [1], maxima qua valet sollicitudine ac prudentia Seminarii Rector in id connitatur ut unusquisque quem pro impositione manuum Episcopo commendaverit *perfectus sit homo Dei et bonus miles Christi Jesu* [2], *potens verbo et doctrina rationem reddere fidei, et eos qui contradicunt arguere* [3], atque ministerium suum ceu bonus dispensator implere, *ad omne opus bonum instructus* [4]. Secus Rectoris indulgentia seu fallax prorsus ac fucata misericordia Episcopum etiam decipiet, cui gravissimum illud apostolicum praeceptum: *Nemini cito manus imposueris* [5] sacrosanctum esse debet. Etenim Rectores ne sperent se damnorum omnium ac detrimenti Ecclesiae obvenientium insontes coram iustissimo Iudice iri per quorum negligentiam in illud severissimum praeceptum Episcopus offenderit. Jure igitur SS. D. N. Pius PP. X canonicas leges atque sapientissima Leonis f. r. XIII instituta veluti compendiose recensendo nuperrime lamentabatur: *Per facilem aditum ad ss. Ordines aperta patet via ad illam gentis multiplicationem in Sanctis quae quidem laetitiam non magnificat. Ipsi novimus urbes ac dioeceses ubi non modo nulla carentia cleri est, sed sacerdotum agmen longe etiam Christifidelium necessitates ac postulata exsuperat. Proh! Venerabiles Fratres! Quid igitur urget vos ad tam crebras ac frequentes manuum impositiones? Quando nec ipsa paucitas sacerdotum umquam sufficiens ratio esse possit cur in tanti momenti negotio circum-*

[1] *Thren.* I, 10.
[2] II Timoth. II, 3.
[3] Ibid. III, 17.
[4] *Ad Tit.* I, 9.
[5] I Timoth. V, 22.

specta maxime prudentia posthabeatur, profecto ubi clerus frequens viget et sufficiens floret, nihil excusationem afferet si a prudentissimis quibuscumque cautelis adhibendis quis abstineat, adeo ut temere et inconsiderate eligantur qui sacerdotali honore augendi sint. Nec importunitas candidatorum huiusmodi talem noxam atque reatum minuet; sacerdotium enim, quod ad aeternam Christus instituit animorum salutem, summa ex iniuria quis artibus aut muneribus profanis exaequet, ad quae quisquis volens, quacumque demum ratione id velit, accedere ex proprio nativoque iure possit [1]. *Promoveant igitur Episcopi ad sacerdotium non quidem ob candidatorum ambitionem et aviditatem sed, ut Tridentinae Synodus praescriptum fert, ob dioecesuum necessitates idque ea ratione ut hi tantum eligantur qui revera idonei fuerint, dimittantur vero quotquot contraria vocationi desideria perhibeant, maxime autem si disciplinae impatientiam atque ea omnia quae animi superbia pepererit* [2]. Etenim nec iam adepta aetas canonica, nec aviditas aut astus quo candidati aut eorum patroni sacris inhient ordinibus, bona ratio esse potest cur Episcopus adnuat, qui *nec gratia alicuius, neque supplicatione, ullum ad sacros ordines audeat promovere nisi eum quem vitae et actionis qualitas ad hoc dignum esse monstraverit* [3]. Quare [*iterum iterumque commendamus*] *ad privatam quamcunque utilitatem respectum ne habetote, sed unice spectabitis Deum et Ecclesiam et sempiterna animorum commoda, ne videlicet, uti Apostolus praecavet, communicetis peccatis alienis* [4].

CXXIV. — Decreti autem S. C. EE. et RR. praecepta his continetur articulis:

Art. 11. — *Ut recte iudicetur de qualitatibus ac moribus Ordinandorum, prae oculis habenda erunt Decreta S. Officii atque bina documenta Summi Pontificiis Pii X in appendice allata* [5]. *Quod ad aetatem studiaque pertinet sequentia serventur:*

[1] Encycl. *Pieno l'animo*, die XXIX Iul. 1906.

[2] *Id. Ibid.*

[3] S. Gregorius Magnus, *Epistolar.* Lib. V, Indict. III, Epist. 63 *ad Universos Episcopos Helladiae.*

[4] Pius PP. X, Encycl. *Supremi Apostolat.* die 1 oct. 1903.

[5] Encycl. *Pieni l'animo* cit., et *Instructio S. Officii*, die 28 Aug. 1907.

Art. 12. — *Tonsura nonnisi alumnis conferatur propaedeuticae curriculo operam navantibus, et Ordines minores nisi iis tantum qui primo vel secundo anno in S. Theologiae studium incumbunt.*

Art. 13. — *Nullus, licet aetatem a Conc. Trid. statutam attigerit, ad subdiaconatum promoveatur nisi tertium annum S. Theologiae expleverit; ad diaconatum ante Pascha quarti anni; ad presbyteratum ante exitum quarti eiusdem anni.*

Art. 14. — *Mense saltem ante statutam ordinationis diem ordinandi Rectorem de sua voluntate certiorem reddant per syngrapha. Si de alumnis dioecesanis agatur, Rectores petitiones Episcopo offerant qui, necessariis peractis investigationibus a parochis Moderatoribusque institutorum in quibus forte antea commorati sint, ad se advocet componentes Tridentinae Commissionis, Rectorem ac Seminarii Professores, ut ab eis sententiam petat; proinde iuxta conscientiam statuat, Rectorique elenchum Ordinandorum mittat, qui de hoc interesse habentes moneat, dempto exclusis iure recurrendi. Si vero agatur de alumnis extradioecesanis petitiones ad respectivos Episcopos mittat Rector una cum sua sententia. Episcopi, peractis necessariis inquisitionibus, prout iam dictum est, dimissoriales litteras tradant, vel suos alumnos in suam dioecesim vocent ad S. Ordinationem, prouti opportunius sibi videatur* [1]. Quamvis haec omnia, utpote per se perspicua, nullum commentarium egeant, quaedam attamen corollaria licet inde eruere, idest:

a) Ordinandi sacram ordinationem postulent. — Iam ideo haud licebit hanc supplicationem pro singulis sacris ordinibus illis inhibere, prouti plures apud dioeceses usque adhuc in moris fuit. Neque id nimium iudicari debet. Etenim quamvis sanctum illud in primis esse debeat neminem sibi assumere honorem nisi qui vocatur a Deo, tamen haec ipsa divina voluntas per adprobationem Episcopi proxime innotescere consuevit. Nemo autem quidquam adprobare poterit nisi illud probe noverit.

b) Scrutinium, ut aiunt, ordinationibus praemittatur. — *Episcopus autem* [ita Tridentini Pa-

[1] In S. Congregationis decret.

tres] *sacerdotibus et aliis prudentibus viris peritis divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet* [1]. Ad fidem vero quod spectat S. Officii decretum quo modernistarum erroribus imbuti, vel suspecti ab ordinatione prohibentur, diligenter prae oculis habeatur [2]. Qui vero ii viri prudentes et divinae legis periti sint laudatum decretum aperte edicit, idest Episcopus, Tridentinarum duarum Commissionum deputati, necnon Seminarii Professores. Qui autem Magistri peculiares advocandi vel saltem interrogandi sint haud contra expresse memorantur: attamen ut ii tantummodo sint qui postulantes perbelle norunt, eorum scilicet tantum actu Magistri, ipsa recta ratio dictat. Verum nullo modo tum Moderator Spiritus, tum confessarii, tum alter a Rectore, oeconomiae gestor et contuberniorum praefecti huic canonico scrutinio interesse possunt. Primi enim a conscientiae debito, a prudentiae officio reliqui detinentur, et, consiliariorum immoderata multitudine, veritas, iustitia et secretum periclitantur.

c) Ordinandorum examinis necessitas e laudatis decreti Tridentini verbis dimanat, ex quibus ut et in doctrina candidati examinentur Patres voluisse, omnino patet. Pro omnibus igitur tum minoribus, tum maioribus Ordinibus duplex periculi genus, scilicet canonicum seu regularitatis, et scientificum seu idoneitatis praestituere decet.

I) Canonicum sive regularitatis periculum ea omnia quae ad ordinem rite exercendum spectant continet, quae si defecerint uti irregularis ordinatus haberetur. Irregulares enim sunt illiterati, hi, scilicet, qui doctrina necessaria pro ordinibus exercendis careant, ac propterea sine gravi culpa nec ordinem suscipere, neque susceptos exercere possunt [3]. Idcirco eos qui rudimenta fidei edocti non fuerint, quique legere ac scribere ne-

[1] Sessio XXIII, cap. 7.
[2] Die XXVIII August. 1807.
[3] Sessio XIII, *De Reformatione*, Cap. VIII.

sciant a *prima tonsura* Tridentinum arcet. Accessuri vero ad *ordines minores* saltem linguam latinam intelligant, et insuper eam scientiae spem praebeant quae ordinibus maioribus eos dignos ostendit [1]. *Subdiaconi* et *diaconi* vero hi tantum *ordinentur qui bonum habentes testimonium et in minoribus ordinibus iam probati ac litteris et iis quae ad ordinem exercendum pertinent instructi sint* [2]. Pro *initiandis sacerdotio* requiritur ut ipsi ad populum docendum, ac ad ministranda sacramenta, [diligenti examine praecedente] idonei comprobentur [3].

II) Scientificum sive idoneitatis ad SS. Ordines periculum a recentioribus pontificiis ordinationibus pressius praestituitur, quibus, scilicet, ille scientiae gradus requiritur ex ordinationis gradu praefinitus. Idcirco:

a) Tonsura nonnisi alumnis conferatur propaedeuticae curriculo operam navantibus [4]; scilicet pro tonsuram postulantibus ille saltem [communi ratione] scientiae gradus requiritur ab iis omnibus qui [gymnasio et lycaeo absoluto] propaedeuticae student.

b) Ordines minores is tantum qui primo vel secundo anno in S. Theologiae studium incumbant conferantur [5]; habentibus, scilicet, illum instructionis gradum a primo curriculi theologico stadio postulatum.

c) Nullus... ad subdiaconatum promoveatur nisi tertium annum S. Theologiae expleverit: ad subdiaconatum ante Pascha quarti anni; ad Presbyteratum ante exitum quarti eiusdem anni [6]. Idest nemo ad hos ordines promoveatur, qui illo scientiae gradu non polleat qualis [communiter pro contingentibus] in tertio et quarto theologiae anno habetur. Quod aut expleto cursu, aut saltem suppletorio examine constare debet.

CXXV. — An vero huic canonico-scientifico periculo scholasticum sufficere fas sit, post recentiores Pii PP. X ordinationes, haud generatim quaestio exagitari

[1] Cfr. ib. cap. 4. et Benedict. XIV, *Instit.* 42.
[2] Cfr. id. ib. cap. 4.
[3] Id. ib. cap. 13.
[4] Art. I2.
[5] Ibid.
[6] Ibid.

potest. Eius praeclara verba sunt: *Sacrosancta Tridentina Synodus de iis agens qui ad Sacra initiandi forent sic praescribebat:* [verba Tridentini nuper adlata sequuntur]. *Ex quibus profecto patet neminem omnino excipi a doctrinae periculo subeundo qui velit ad sacros ordines promoveri; itemque doctrinae periculum eiusmodi, non quasi pro forma atque obiter, sed diligenti investigatione faciendum. Ac merito quidem: non enim promiscuum est doctus sit an indoctus qui sacris initietur: sed ea prorsus ratione qua de castis rectisque moribus commendari illum oportet, eadem et doctrina necesse est...*[1]. *Quicumque in Urbe sive de saeculari clero, sive de regulari sacris ordinibus initiandi erunt, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facient in Curia Cardinalis Vicarii Nostri. Qua in re Tridentinae Synodi decreta innovamus et confirmamus, ac privilegium quodcumque penitus extinguimus, atque illud etiam quo fruitur Societas Jesu ex Constitutione* Pium *Gregorii XIII et Constitutione* Quantum *Pauli V Decess. Nostror*[2]. — Quae omnia iussa, ad regularem clerum quod attinet anno sequenti, ad omnem Italiam et insulas adiacentes eumdem S. Pontificem extendisse in comperto est. Nec quis decreti de quo agimus in re silentium, e contrario, opponat; quum postquam de sacrorum Ordinum susceptione peculiares leges Legislator tulerit, hisce concludant: *De caetero Sacrorum Canonum ordinationes observentur*[3]. Quae hae vero sint vidimus, et quanti, in re tam gravi, Ecclesiae mentem obsecundare intersit, tum ex SS. PP. Pii X verbis nuper adlatis, tum ex aliis gravibus rationum momentis suadetur. Enimvero si scientiam a SS. Ordinum candidatis requisitam consideremus, peculiarem eam esse facile comperimus; quam [ut quotidiana experientia docemur] haud semper cum generali coniungi videmus: quo fit ut interdum et in theologica re peritissimi, periculo canonico-scientifico [ordinibus praestituendo] impares fiant. Quandoque insuper candidati qui remisse in scholasticis periculis incumbant, multo

[1] *Motu proprio,* die XV Jul. 1905. 1906.
[2] *Motu proprio,* die XIX mart. [3] Artic. 16.

alacrius, e contra, illis canonicis operam navant, quibus si defecerint illorum aestimatio [quam saepe nimis posthaberi videmus] et Ecclesiae ipsius industriae magis ac magis pessumdarentur. Tandem, nostris praesertim temporibus in quibus [ut clerum suum teneat decus, ac apostolicum ministerium rite exerceat] maior quam antehac in ipso scientiae gradus requiritur, huius peculiaris periculi usus enixe suadetur: quo fit ut de candidatorum ad pastorales curas idoneitate magis magisque Ordinarius certior fiat. — Si vero ex lege a Pio P. P. X pro Urbe lata, et pro caeteris dioecesibus aliquid ad rem deducere licet, haec habeantur: *Quicumque ex ordinandorum numero, theologiae lauream in aliqua Pontificia Universitate consequuti fuerit, eos a subeundo periculo de re theologica exemptos volumus* [1]. Quibus ex verbis patet *Pontificiae* Universitatis lauream requiri, et candidatos a periculo in *re theologica* tantum, minime vero de *instructione... quae ad ordinem suscipiendum pertinet* eximi.

CXXVI. — Ad praxim quod refert quae a Pio PP. X eiusque in Urbe Vicario pro romana ditione statutae fuere leges pro dioecesibus omnibus [speciminis ergo] indigitamus:

I. *Quibus de rebus quave methodo examinandi sint* [Pius PP. X monet] *qui vel Sacram tonsuram, vel minores Ordines sunt suscepturi praxis edocet, quae hucusque obtinuit quamque Nos obtinere in posterum, nulla mutatione, volumus* [2]. De re quae in singulis dioecesibus consuetudines vigent sedulo observentur.

II. *Ad maiores qui sunt evehendi, ii de instructione primum interrogandi sunt quae ad ordinem suscipiendum pertinet. Tum etiam tractationes aliquas de theologia proponant: videlicet unam pro Subdiaconatu, binas pro Diaconatu, ternas pro Presbyteratu, ac praeterea tractationem de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.* [3]

III. *Qui ad diaconatus ordinem promovendi*

[1] *Motu proprio*, die XVI Iul. 1905. [3] *Id. Ibid.*
[2] *Motu prorio* cit.

sunt, in faciendo periculo tractationem theologicam quam pro subdiaconatu proposuerunt, iterum proponere ne queant; item sacerdotio qui augendi sunt, tractationem nullam proponant de qua in praeteritis examinibus tentati iam fuerint. [1]

IV. *Quas quisque theologicas tractationes proponat singulorum ordinandorum arbitrio permittimus, Cardinalis tamen Vicarii Nostri erit tractationum seriem praescribere ac definire, praeter cuius limites nulla ordinandis eligendi facultas esto. Singula porro examina quam diu sint protrahenda eiusdem Vicarii Nostri prudenti arbitrio statuendum relinquimus* [2]. — Ad rem D. Caroli Borromaei ad Studiorum Praefectum monitum recolimus, scribentis: *Cum sacrae ordinationes habendae erunt, eos qui mittendi sunt ad examen diligenter domi recognoscat: si quos autem rudes aut minus aptos repererit, aut instituat si modo possit, aut Rectori significet ut quid de illis expediat deliberet* [3].

CXXVII. — De exercitiis spiritualibus ordinationibus praemittendis Legislator jubet: *Statim antequam ad ordinationem procedatur ordinandi spiritualibus exercitiis vacent decem per dies promovendi ad maiores, quinque per dies ad minores ordines.* [4] Hac sanctione ea confirmantur quae iam Alexander VIII [const. *Apostolica sollicitudo*], Innocentius XI [3 oct. 1683] ac Innocentius XII [1 februarii 1700] in rem praescripserant. Clericis autem in maioribus constitutis quum exercitiis aut annuis, aut de sacris ordinibus vacant, collegialis horarum canonicarum persolutio praescribitur. — Satis autem constat in Exercitiis quae ordinibus suscipiendis praemittuntur, multo magis clericos de sua dignoscenda vocatione sollicitos esse oportere, idque maxime si de majoribus ordinibus sacris res sit, quum summa eorum utilitas, immo res tota, in hoc ipso negotio constituatur. — Quod vero ad rationem attinet qua huiusmodi Exercitia mox sint peragenda, sufficiant quae de his exercitationibus in genere tradidimus: illud tamen summopere in hac re curandum est ut hi alumni nullam prorsus cum coeteris consuetudinem foveant. Quapropter satius nemo id moris commendaverit quod in florentis-

[1] *Ibid.*
[2] *Ibid.*
[3] *Institut.* Par. II. Cap. 1.
[4] Artic. 15.

simis viget Seminariis, ut alumni mox ordinibus sacris augendi vel in propriam urbanam Exercitiorum domum, vel in Seminarii villam, aut in aliam solitudinem a sodalium prorsus commercio semotam mittantur, ubi sibi tantum et Deo vacare possint debeantque. Tanta enim tantique momenti res agitur ut quidquid ad eam tuendam quis moliatur, numquam tamen officii debito plene satisfecisse dici possit.

Art. 16. — *In reliquis praescripta SS. Canonum serventur* [1], que apud iuris cultores videre est.

CXXVIII. — Dies illa in qua sacrae habentur Ordinationes vere tamquam genuinae ac sanctae exultationis dies habenda est, *quam* scilicet *fecit Dominus*; ac propterea in Sacro Seminario summa pompa et solemnitate agenda est, quae quidem dum in iustum novensilium Sacerdotum honorem redundat, maxime tamen sacerdotium ipsum honorabile ostendit, coeterisque candidatis animos addit ut ad tantum vocationis suae finem assequendum alacriori semper studio ac labore contendant. Id autem praecipua quadam ratione cum iis alumnis servandum, qui, ob aliquam rationem aut peculiaria adiuncta rerum, primas sui sacerdotii Hostias in ipso S. Seminarii sacello litarent. His quippe reverentia ac praedilectionis peculiaria signa ea die ipse Rector ac Moderatores omnes ostendant: primum in triclinio locum cedant; condiscipuli quoque certatim laetitiae ac obsequii sui testimonia, summo cun studio praebeant, et si qui carmine aut diserta oratione valent, eo etiam laudum genere utantur, quod non solum in neomystae, maxime vero in sacri Ordinis quo insignis ille est, exaltationem concedat. Dies summi gaudii, summique honores agitur, quam et cum laetitia et reverentia celebrari decet.

[1] S. Congreg. decret.

Articulus III.

De Rectore quoad disciplinam officia.

§ I. — Quae circa ipsam, generali ratione, ipse praestare debeat, et primum de disciplinae unitate ac accommodatione.

Summae rerum. — CXXIX. De disciplinae in Seminario necessitate utilitateque. — CXXX. De futuris alumnorum utilitatibus in disciplina prospiciendis. — CXXXI. De disciplinae unitatis obiecto ex parte Institutorum. — CXXXII. De peculiaribus amicitiis. — CXXXIII. De disciplinae accommodatione. — CXXXIV. Quid ad rem in maioribus ac minoribus Seminariis praestandum. — CXXXV. In diversis dioecesanis ac interdioecesanis Seminariis quid. — CXXXVI. Quomodo cum diversis contuberniis agendum. — CXXXVII. De variis aetatibus attendendis.

CXXIX. — Stagiritae monitum est: *Maxime intendendum est circa disciplinam inventutis: nam id neglectum in civitatibus affert reipublicae detrimentum* [1]. *Adolescentia* enim *insipientiae copulata est* [2], nam *sensus et cogitatio in malum prona sunt ab adolescentia sua* [3], et *si adolescens non se correxerit dum iuvenis est, senex numquam emendabitur* [4]. E contra *bonum est viro cum portaverit iugum ab adolescentia sua* [5], et *adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea* [6]. Ex his liquet quanta sit necessitas curandi ut praesertim iuvenes a primis incunabulis optimis praeceptis instituantur; nam si contra res eveniat, eosdem equi instar troiani perniciem gentibus illaturos existimandum erit. Quapropter non immerito puerorum gymnasia in sacris Litteris turres nominantur, quasi futura civi-

[1] *Politic.* Lib. VIII, cap. I.
[2] Ugo Cardinalis in *Cap. XII Eccles.*
[3] Trithemius. *Regula S. Benedicti.* Cap. 27.
[4] *Id. Ibid.*
[5] *Prov.* XXII, 6.
[6] S. Augustinus, Serm. I, in sabb. *post III dominic. quadrages.*

tatis propugnacula. Quod si hoc in Republica valet, magis tamen de ecclesiastica institutione retinendum est, cuius spiritualis, doctrinalis atque moralis alumnorum educatio iuxta altissimam eorum vocationem ita curari convenit, ut tirones *ecclesiastico spiritu praediti ac studiis recte instituti, valeant in tempore, dominicum agrum diligenter excolere ac strenue praeliare praelia Domini* [1]. Ecclesiastica enim Instituta sunt quasi fontes irrigui qui in apostolatus utilitatem iugiter effluunt: viridaria unde sancti doctique Ecclesiae ministri efflorescunt, ubi laeta iuventus optimis artibus expoliri incipit, ut inde ad populorum Ecclesiaeque assurgat decus. Enimvero *ea potissimum de causa Seminaria erecta sunt, ut in iis boni strenuique operarii ad curationem animarum, quas suo Sanguine pretiosissimo Christus redemit, instituantur: et ibi quidem adolescentes... in operibus virtutum erudiri debent, ut eam vitae perfectionem adipiscantur, quae in iis qui doctores populorum futuri sunt, elucere debet* [1]. — At facile intellectui est tantum ecclesiasticum ministerium sine disciplina obtineri haud posse; alumni enim *qui exosam habuerint disciplinam* [3] cum ex incomposito Seminario [freno haud assequendi sacerdotii soluti] discedunt, *non in plebis christianae salutem, sed in perniciem erunt. Nam et iurgia serent et plus minusve latentes ciebunt rebelliones, triste sane spectaculum populo exhibentes quasi discrepantium in coetu nostro voluntatum, quum deploranda haec paucorum superbiae et contumaciae sint adscribenda* [4]. Quamobrem [ut Divi Alphonsi monitum est] solutum disciplina Seminarium, quasi dioeceseos tabes, prudenti manu quamprimum extirpandum videtur, ne graviora detrimenta afferat Ecclesiae Sanctae Dei. *Quapropter* [Sapientiae monitis praebeant Institutores aures] *erudi illos et curva a puerilia illorum* [5], *educate illos in disciplina* [6]; [pontificiis monitionibus attendant] *intendite animum et sedulitatem ut ecclesiastica seminaria omnino vigeant floreantque, tum ad studia sacrarum disciplinarum quod attinet, tum quod spectat ad*

[1] Pius IX, Enc. *Qui pluribus.*
[2] S. Car. Borr., *Institut.* Par. II, Cap. 1.
[3] Ephes., VI, 4.
[4] Pius X, Enc. *Jucunda sane.*
[5] *Eccles.*, VII, 25.
[6] Ephes., V, 6.

animos adolescentium sancte fingendos [1]. *Quales* enim *in Seminario alumni, tales in ministerio presbyteri. Ad pietatem et scientiam non rite informati, fiunt in domo Dei lapis offensionis et petra scandali: rite autem et optima disciplina instituti, sollicite curabunt se ipsos exhibere Deo operarios inconfusibiles, quorum scilicet... ornetur vita docendo, et doctrina vivendo* [2]. *Talem, vos Venerabiles Fratres, rite in oculis vestris eductum atque probatum clerum, sentietis profecto vobis pastorale munus non allevari solum sed etiam abundare optatis in grege fructibus: quorum licet sperare copiam a cleri maxime exemplo et actuosa charitate* [3]. Sapienter igitur in decreto de quo agimus suadetur: *Moderatores disciplinam colant;... nam tantum clerici disciplinae amantes, sacerdotes exemplares evadent* [4].

CXXX. — Disciplina futura hodiernae disciplinae finis est, qua iuvenis in virum, clericus in sacerdotem, Ecclesiae, societati civili, atque apostolatui utilem sensim sine sensu commutatur. Quapropter, sicuti quisque laicus Institutor qui totus praesenti die occupabatur quin in crastinum prospiceret, inepte ageret, haud secus qui clericos constanter ex aequo gubernant, clericalisque istitutionis finem pessumdant: quod malum [heu! quam lugendum] in seminaristica institutione passim habetur. Haec vero agendi ratio *cum non ea de causa* [Seminarium] *sit institutum ut in eo simplices sacerdotes sibi tantum utiles futuri educentur* [5], Ecclesiae menti quam maxime adversatur. Tridentinos enim iuxta Patres veluti apostolorum palaestra Seminarium est institutum, cuius iuvenes in clericos, clericos in sacerdotes [seu milites in duces] perbelle commutare est; quae omnia dumtaxat in disciplina de futuris provida obtineri possunt.

CXXXI. — Clericali in institutione unitas aut operis aut mentis est: haec vero causae, illa effectus rationem habet; *exterior* enim *discordia interioris discordiae indictum est* [6]. Quampropter unitas iudicii sive men-

[1] Leo XIII, *Epist. ad Ordin. Brasil*, die 1 Iul. 1904.
[2] *Concil. Prov. Burdigalens.* tit. 5, cap. 1.
[3] Leo XIII, Ibid.
[4] Cap. III in proemio.
[5] S. Carol. Borrom., *Instit.*, Par. III, Cap. 1.
[6] Tritemius, *in Regul. S. Benedicti*, Cap. 6.

tium ante omnia comparanda est, quam unitas operis deinde sequetur. At [quam sane dolendum!] haud pauci *evanuerunt in cogitationibus suis et obscurantum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*[1]. Idcirco a teneris usque annis ecclesiasticus tiro eam inter Seminarii septa ubi institutus fuit, quasi dilectissimum thesaurum custodiat servatamque velit. A clericorum igitur conversatione omnis petulantia arceatur, omnisque memoria discordiarum vel litium, quae forte sive de beneficiis potiundis, sive de honoribus suscipiendis dioecesim conturbet, exsulet. Tum in pietatis, tum in disciplinae, tum in studiorum regimine, tum in bonorum gestione unitas ab Institutoribus servetur.

a) In pietatis moderatione sive exercitiorum numerus, modus, aut tempus, sive spirituum moderatio, sicut rationes aestimandi an clericus ad ordines accedere dignus sit, sive sacerdotii mores et studia, sive demum omnia huiusmodi simul concordi unitate regantur.

b) In disciplinae regimine aut mens disciplinae generaliter, aut eius exsequutio in unitatis negotio respicitur:

1) Mens disciplinae consuetudo [de qua dicemus] est, quam omnes iugiter adeo sequantur ut nec unus benigniorem, nec alter rigidiorem viam sibi quaerat. Huiusmodi autem regularis observantiae modum [communi disceptatione habita et concordi animo] Episcopi Rectoresque praefiniant; praefinitum vero fideliter Institutores omnes retineant.

2) Exequutionis modi tum moderandi vel corrigendi, tum praemiandi normas respiciunt. Sed quia hisce potius captantur animi, illis autem alienantur, facile contingit ut aurem popularem quis aucupetur, quae suae magis vanae gloriae quam iustitiae et officii partes custodit, et potius laudis quam poenarum prodigus Institutor videatur.

c) De Studiorum unitate. — Quamvis mentis humanae ac sententiarum libertatem nimis coarctare nemini liceat, tamen ex variis Doctorum sententiis facile factiones oriri quae [scientiae nomine] tum disciplinam, tum charitatem laedunt, experientia docet.

[1] *Ad Roman.*, 1, 21-22.

d) De bonorum gestione. — Alumni de victu atque de aliis huiusmodi [iure vel iniuria] saepe queruntur; quorum nonnumquam questibus viri theoretici accedunt qui doctrinae passim incumbentes, pecuniariae rei asperitatem plane nesciunt, cuius nullus esse iudex potest nisi aut Rector, aut Oeconomus qui [multo labore] annuam impensarum rationem adeo regere contendit, ut dies absque aere alieno concludat. Sed Institutorum aures frequens alumnorum questus interdum ita percellit ut facile illos ad liberalitatem inclinent; dum cautus atque rigidus Oeconomus, [quippe qui exiguo peculio multum ferre onus cogitur] avaritiae nonnunquam incusatur.

CXXXII. — Inter haec in clericis unitatis impedimenta peculiares amicitiae memorandae veniut quae Seminarii quoque inter alumnos flagrant, inter quos maxime charitatem unitatemque dissolvunt; *nulla* enim *magis commaculant Communitatem discordiis quam partiales amicitiae* [1].

A) Quapropter amicitae peculiares, utpote quae charitatem, pietatem, studia disciplinamque corrumpunt, ne augeantur, et facilius emendentur, omnis cura adhibenda est.

a) Charitati, quum unum prae ceteris tiro diligat socium, alios autem fere negligat, mutua ea studia adversari in comperto est.

b) Pietatem minuunt quam tiro, aliena dilectione omnino captus, iam posthabet; sed et nonnumquam, ipsa pietatis specie inordinati affectus foventur.

c) Studiorum quoque diligentiam amicitiae illae tollunt; quum mutuo epistolarum commercio, supra modum saepe prolixarum, potius suis litteris quam libris amici intendunt; neque dum alienos cordis affectus prosequuntur, Magistrum iam audiunt.

d) Disciplinam quoque corrumpunt; quum tali amicitia implicati summopere curent ut, contra communem regulam, aliquid temporis suis conversationibus insumant, ut sive in ambulacris, vel in atriis, vel in triclinio, vel in sacello quoque, a ceteris seiuncti, vicissim aliis alii occurrant, ac in-

[1] S. Antoninus, Par. II, Lib. IV, Cap. 8, § 7.

quietatem suam mentem ipso in contubernio ostendant. Cave autem quum eos specie regularis observantiae perfectos videris; tunc enim, callidissime, sua consilia abdunt sequunturque.

B) At harum amicitiarum genesim recolere heic praestat. Idcirco:

1) Qui hae amicitiae nascantur, res sive sorte tantum inopina sumit exordium, sive alicuius speciei vultu, aut fama, aut dotibus quas sibi quis amicum praeditum fingit. Tunc aut scribit, aut ore suam dilectionem illi prodit; quam quum despectam viderit, neque dormit iam neque coenat, et si contra acceptam senserit tunc felix rei initium habetur.

2) Quî peculiares amicitiae progrediantur nemo dicere nisi inconstans fortuna poterit. Prima enim laetitia consumpta, violatae regulae anxius supervenit timor, atque conscientiae Superiorumque metu infelix vita ducitur. Animi vero inquietos sensus sive nictando, sive consuetis epistolis, sive effictis sibi characteribus [quorum praesertim frequens usus est] vicissim amici aperiunt. Huiusmodi epistolae plures interdum, una licet die, conscribuntur atque prolixae nimis: quae [incredibili fere astu] mutuo traduntur. Scatent autem vaniloquiis atque obtrectationibus; maxime vero [dictione amatoria] ferventem dilectionem iterum iterumque obtestantur. Ex his vero facilis saepe ad vitium transitus fit; quapropter ubi haec Institutor suspicetur, statim seiungendi amici sunt.

3) Quî hae amicitiae pereant nemo dixerit; nam ut mobili animi impetu ortae sunt, ita occidunt, levissimaque culpa hodiernos amicos in feroces adversarios, interdum, commutat. Tunc qui iam amici ad invicem obloquuntur, epistolas dilacerant, dona reddunt, aut, non sine despectu, disperdunt; sed paucos post dies cum novo delecto res iterum suscipitur. Si vero nihil novi supervenerit, sua sponte satietate absolvuntur; perquam raro [quum ab aetatis aestu pendeant] in veraces diuturnasque amicitias commutantur.

C) Quî curentur huiusmodi infirmitates si quis sciscitaverit, ut Institutor vigilet, dissimulet, atque [pro re nata] aliquantulum irrideat suadendum erit, eo praecipue tempore quo, ne in vitium atque in obscoenitates amicitia decidat, ipse metuat. Opportune igitur amici moncantur

oportet ut regulas sedulo magis servet, ut pietatem sequantur, ut omnes aequales similiter diligant, studiis vero sollertius incumbant; sed eos spiritualis Moderator praesertim materna cura sua praemuniet. Ridicula quaedam castigatio interdum quoque iuvabit, sed hac quoque in re illud *ne quid nimis* locum obtinet; secus enim non ad emendationem, sed ad callidam magis simulationem [addito despectu] amici cogentur. — Si quis autem clericus saepe hanc culpam admiserit, neque absque alicuius humanae praecipuaeque dilectionis solatio vivere se posse manifestaverit, is profecto a sacerdotio arcendus omnino ac dimittendus est, ne, quum apostolicum ministerium exercuerit, facilem nimis culpae vel peccati occasionem experiatur: viris enim fortibus, non feminis Ecclesia eget. Idcirco apte in decreto de quo agimus legimus: *Peculiares amicitias... deritent* [1], et S. Carolus Borromaeus monet: *A privati amicitiis... abstineant...* [2]

Huiusmodi amicitiae meridionalibus in regionibus veris tempore praecipue sponte oriuntur virescentque; frigidis autem in locis sero enascuntur, sed fortiora atque ideo maiora detrimenta parant.

CXXXIII. — Disciplinae accomodatio dici potest: Industria qua Institutores, non quae sua sunt, sed quae Christi quaerentes, omnibus omnes se aptando ut omnes Illi lucrifaciant, variis Seminariorum, clericorum, adiunctorumque necessitatibus in quibus isti vivunt inserviunt, iuxta illud Apostoli: *Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius... sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens quod mihi utile est sed quod multis ut salvi fiant* [3]. Enimvero *hic spiritualis omnis imperii finis est, ubique, privata utilitate neglecta, commodis omnium consulere* [4]; haec materni Ecclesiae regiminis praecipua pars. Secus enim ferrea virga regitur clericalis plebs, quod alienum omnino ab ecclesiastici Institutoris munere. — Iure

[1] Artic. 140.
[2] *Instit.*, Par. III, Cap. 3.
[3] I Corinth., X, 24. 33.
[4] S. Greg. Naz, *Orat. Apologetica.*

itaque viri in regiminis arte peritissimi nil habent antiquius quam varia subditorum ingenia circumstantiasque perscrutare, ut variis deinde ea modis tutissime gubernent exerceantque. Prima enim regendi ars est nosse quod regas, ad quod comperta habere oportet indolem, propensionem, affectus, consuetudines, desideria, metus, iras, patientiam, mentem, robur, habilitatem, studia et si quid aliud, eorum quibus sis imperaturus; omnes, quantum fieri potest, intra ingenium continere, intra ingenium regere. Proclive enim est quicquid aptum naturae, durum omne et viscosum ex aliis venit. — At quid sibi velit peculiaris Seminariorum disciplina videamus. Collegia enim laicorum puerorum ab huiusmodi ecclesiasticis tirociniis toto coelo differunt; nam *in illis satis est ut adolescentuli ad probitatem catholico viro* [*quoniam catholici sumus*] *apprime dignam, ac bonas artes severioresque disciplinas condoceantur; in his illud praeterea poscitur ut sacerdotalis professionis studium et habitudinem induant, unaque sacras eas addiscant disciplinas quae ad multiformia catholicae fidei ministeria necessariae sunt et perutiles* [1]. Si quis autem obiecerit multa esse Seminaria quae nec cum tenuioribus laicorum collegiis digna sint conferri, miserrimum malum ex corde quidem deploramus, praecepta tamen quae ab ipsa rei natura pendent non immutamus. Generatim loquendo *omnes in Seminario caritate fraterna devincti eisdem legibus vivant, modestia, obedientia et omni candore conspicui. Christianam pietatem et Dei timorem sibi primum et summum religionis studium propositum esse in animum inducant* [2]. Quapropter sedulo, at peramanter, Institutores se gerant, nil callidum vel quaestorium agant, sed sincere recteque semper se habeant, utque institutionis ecclesiasticae mentem ac propositum assequantur sedulo satagant.

[1] Lucidi, *op. cit.*, vol. II, cap. 6, § 1, n. 6.

[2] *Conc. Prov. Coloniens.*, [a. 1860] tit. 2, cap. 27.

CXXXIV. — Quum vero Seminaria minora et maiora habeantur, in quibus diversa aetate studiisque alumni instituuntur, qui disciplinae modi illis aptandi sint paucis trademus. Idcirco:

a) In Seminario minore nil magis contendat disciplina quam ad pietatem et studia puerorum animos flectere: idque vero minori quoque rigiditate quam quae in Seminario maiori adhibetur. Huius enim Seminarii alumni non tam suam vocationem exercent, quam an illam habeant sciscitant, coeptamque olim opinionem bonis candidisque moribus fovere student. Idcirco *in Seminariis minoribus formentur pueri alacres et severi in omni modestia, pietate, obedientia, verecundia, candore, sinceritate, cunctisque virtutibus, quibus eos quondam fulgere in Seminario oportebit... Foveatur in eis conscientiae stimulus ut iam in tenera aetate non tam humano respectu quam potius amore Dei cunctas suas actiones perficiant... Omnia quidem fiant in charitate, et ratio habeatur imbecillis aetatis; erroribus tamen nunquam conniveatur, neque vitia dissimulentur; non sit rigor immoderatus, nec mansuetudo dissoluta*[2]. Quapropter *rectores et magistros nihil non tentatum relinquant ut per disciplinam efficacem, sit mentibus pietas, animis vigor, moribus candor, et etiam in toto corporis habitu elegantia quaedam et urbanitas*[3].

b) In Seminario maiore aliud omnino agendum in quo *definitur et velut in aeternum obseratur alumni vocatio*[4], et suprema Christi levitarum electio fit, qui onera angelicis quoque humeris formidanda susceptari sunt. Quapropter *Seminarium maius, cum sit novissima schola qua clerici ad sacerdotale ministerium proxime*

[2] *Concil. Prov. Colocens.*, [a. 1863], tit. 3, cap. 12, § 2.
[3] *Concil. Prov. Lugdunens.*, [a. 1850] decret. 26.
[4] *Concil. Prov. Colocens.*, decret. 26.

praeparantur, pietate eximia aeque ac disciplinis altioribus, ac ferventi studio inclarescere debet [1]. Idcirco disciplina nihil praesertim ibi profanum habeat, sed omnia ecclesiasticum spiritum redoleant; sit liberalis at gravis regula, sit suavis et pia, quae unumquemque sensim sine sensu sacerdotium doceat quod, veluti fulgidam institutionis curriculi metam, omnibus praelucere oportet. Quae omnia si quis haud sustineat, ut sacerdotio indignus a Seminario sedulo removeatur. Clericus enim cui aequa disciplina et ecclesiastica institutio gravis, ac pietatis exercitia ingrata evadunt, ut ad vota saecularia convolet quam maxime satagendum. Secus Ecclesia non agnos pastoresque, sed lupos mercenariosque christiano gregi compararet, quibus nil huic infestius.

CXXXV. — De Seminariis ubi simul pueri atque iuvenes philosophiae et theologiae studiis incumbentes educantur, haud facile disciplinae regimen apparet. Ea enim dum adolescentibus aut pueris utilia saepe iubet, inutilia forte ceteris tironibus praecipit, atque [vicissim] quae provectiori aetati apta tradit, parvulis incommoda comparat. Ex his necessitas patet diversae aetatis tirones seiungendi, ita ut quae ipsis utilia sint disciplina tradere possit. — Eoque magis arduum disciplinae munus evadet iis in Seminariis in quibus tum clerici, tum iuvenes laici simul commorantur, in quibus quid rectus ordo decernat ignoratur. Quum enim unius alteriusve disciplinae finis haud idem sit, diversis mediis utendum est, quae si quis miscuerit iustitia prudentiaque dissipatur. — Neque minoris negotii res est ubi tum clerici, tum sacerdotes simul vivunt qui variis saepe studiis intendunt. Itaque his in adiunctis in primis regularum omnibus communium pauca praecepta sint; pro variis autem alumnorum ordinibus vel studiis variae peculiaresque normae tradantur quae omnes ad susceptum consilium adiuvent.

CXXXVI. — De Seminariis interdioecesanis quae sive provincialia, sive regionalia, aut nationalia, vel internationalia sunt, perarduum est com-

[1] *Concil. Prov. Colocens.* decret. 26.

munia disciplinae praecepta tradere. Quo magis enim dissitae alumnorum origines, eo servandae concordiae maior, sed asperior quoque difficiliorque necessitas. Tunc enim prudentia multa utatur Rector, cuius cura atque liberali animo communis regula singulorum moribus [quoadusque liceat] sine recti ordinis iactura aptanda erit. Secus enim multa, ceterum licita, auferentur, quibus carere nimis grave alumnis videretur, atque ut rigidae nimis unitati serviatur, facile seditio orietur qua omnis disciplina corruet. — Gravius autem munus ne efficiant Ordinarii ipsi aut Institutores qui, variis sententiis, iuxta variam suam regionem, regere Seminarium contendant, quorum pariter placitis satisfacere Rector nequeat. Ordinarius vero, cuius in dioecesi Seminarium erit, ne illud veluti proprium administrare capiat; neque reliqui Ordinarii, quorum clericis Seminarium coalescit, suas querelas in dies uberiores mittant; omnia etenim haec quantum regendis huiusmodi Seminariis officiant nemo non videt.

CXXXVII. — Neque satis; nam quum [ut inferius explicabimus] rectus ordo postulet ut clericorum numerus in plura contubernia dividatur, de apta singulis disciplina agendum quoque erit.

a) In grammaticorum contubernio, quod pueris plerumque constat qui aliena magis quam sua voluntate Seminarium ingressi sunt, suavis sit disciplina eaque maternam sollicitudinem imitetur. Nesciunt enim tirunculi quid velint nisi hoc unum: studiorum aridítatem fugere, lusus laetosque festos dies quaerere. Qui dum Institutores metuunt eos sibi suaves experiantur oportet; nam ad eos corrigendos parum ratio prodest. Si enim corripueris lacrymantes sese obtemperaturos despondent, at [redeunte occasione] in eadem incidunt. Patienter itaque et quasi manu ducendi tirones isti sunt; sed, potius quam poenis et rigidis obiurgationibus deterrendi, suavitate magis et exemplo alliciendi.

b) In rhetoricorum contubernio alias omnino res se habet, qui, iam iam adolescentes, pueritiae vestigia et novae aetatis indicia vultu praeseferunt. Prompti plerumque ingenio et alacres, ad studium pariter et ad otium moventur, doctrinae suae plurimum confidunt; multum er-

rant, at in errore haud perseverant. Vigil itaque disciplina sit atque rationabilis sermo: verbalis correptio autem saepe utilis, sed saepius amor atque suavitas: asperitas autem fere nulla sit, ne tenella arbusta frangantur potius quam flectantur.

c) In philosophorum contubernio, ubi alumni plerumque adolescunt atque virilem iam iam aetatem ingrediuntur, difficilis supramodum disciplina. Metus eorum in animos nihil potest, qui, ut in schola disceptant, ita et in vita vivenda, intempestivis ratiociniis uti praesumunt. Illorum itaque opera, sedulo quidem vigilare oportet, at amice eos habere iuvat. Haud tamen laxis nimis habenis ducendi sunt; adulti enim etsi videri cupiant, tales adhuc reapse non sunt; quinimo [ut mox dicemus] gravissimis periculis pubertas eorum obnoxia est. Horum disciplina igitur assidua, vigil, oculata, prudens sed amica semper, sed blanda sit atque suavis, ne distenta nimis funis disrumpatur, vel nimis remissa in perditionem tirones abducat. *In medio* enim *stat virtus,* quod si quis negligat, ordinis perturbationem augebit.

d) In theologorum conturbernio qui vigesimum plerumque annum attingunt atque sacerdotii vigiliam agunt, facile contumaciae periculum et nimius discendi ardor habetur, quo et valetudo saepe et spiritualis institutio pessumdatur arescitque. Hisce alumnis itaque Praefectus prudens praeponatur oportet; et, si liceat, sacerdos sit qui exemplo magis quam verbo reliquos praecedat, qui eos in arduis saepe probationibus adiuvet, soletur curetque quasi pater, ac non ut centurio imperitet. Saepe vero bina ex eis contubernia coalescunt quorum maius eos habet qui iam ad sacros ordines vel ad sacerdotium accessere, et quos iam iam Seminarium relicturos, liberius [quodammodo] regere est.

CXXXVIII — Generatim loquendo disciplinae [ut ita dicam] regressus a minoribus ad maiora contubernia curetur, ita ut dum alumni, aetate proficiunt, sensim sine sensu timor recedat atque amor ratioque imperent. Qua methodo, uti corpore, ita spiritu pueri gradatim in homines commutantur, et, quum a Seminario discederint, non infantes sed homines habentur, sibi gregique dominico perutiles. Secus centum an-

norum pueri haberentur quorum apostolicum ministerium sibi omnibusque quam maxime perniciosum evadit. Ut igitur innocentia at non fatuitas in clericis servetur, Institutores ecclesiasticos omnes [vigilanti cura] contendant provideantque.

CXXXIX. — Nec satis: sed ut Institutores omnes clericorum diversarum stirpium, passionum, conspersionum circumstantiis operam suam aptent omnino decet. De quibus omnia, quum de clericorum agnitione agentes aptius infra dicemus de curis variis aetatibus [adulescentiae nimirum ac juventuti] adhibendis aliquid innuere potius praestabit.

a) Adulescentia a duodecimo vitae anno ad duodevigesimum discurrit. *Via viri in adolescentia sua* [1], aetas omnium gravissima est, a qua quum iure initium ecclesiastici magisterii plerumque sumitur, ne [neglecta diu] mundi conversatione facilius corrumpatur cavendum est. Adolescentium enim aetas *vita maculosa* [2]; *vicina lapsibus, quia variarum aestus cupiditatum fervorem calens; invalida viribus, infirma consiliis, vitia colens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa vitiis* [3]. Enimvero *adolescentia multa corporis bella sustinet, et inter incentiva vitiorum et carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus suffocatur et suum non potest explicare fulgorem* [4]. Adolescentium autem indoles *ferrens ad diligendum, sufferens ad exercendum, congruens ad discendum* [5]. Adolescentes enim credunt omnia facile, ad miserationem proni, opiniones suscipiunt ac dimittunt facillime, affectus suos quamplurimum sequuntur, concupiscunt vehementius et acutius, concupitisque, ubi potiti fuerint citius satiantur: ad libidinem proclives sunt, quae quo praecox, eo etiam animi corporisque enervantior est. At *adolescentium bonorum est timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, habere senioribus reverentiam, castitatem tueri, non aspernere humilitatem, diligere clementiam, amare verecundiam* [6]. Ad quod assequendum *ado-*

[1] *Prov.*, XXX, 17.
[2] S. Ambros., Epist. 20.
[3] *Id. De Viduis*
[4] S. Hieronym., *Ad Nepotiam.*
[5] S. Augustinus, *De Ordine.*
[6] S. Ambros., *De Officiis*, Lib. I, Cap. 7.

lescentibus utile est ut claros et sapientes viros sequantur; quoniam qui congreditur sapientibus sapiens est, et ad institutionem plurimum proficit et ad probitatis testimonium [1].

b) Gravis vero atque periculi plena medietas quae post duodecimum plerumque, annum ad sextum decimum fere diffluit curas studiumque veluti maternum in Institutore requirit. Nam cum omnibus in omni vita magni semper momenti sit res novos ingerere affectus, longe maioris adolescentibus qui, propter inexperientiam rerum, veluti cera ad cuiuslibet rei similitudinem facile ducuntur trahunturque quocumque flexeris, instar tenuiorum virgultorum quae eius semper cui applicata fuerint stipitis formam vel rectam vel obtortam servant. — Interdum adolescens, dum corpore augetur dumque prima lanugine genas vestitas sentit, animum quoque immutat, utque hilaris fuerat et laetus, tristis atque cogitabundus apparet; suos iam quos sponte illuc tenus aperuerat sensus occultare incipit, indocilis fit atque rudis, violentus, atque ab aliena paulatim fiducia recedit. Pietas eius iam tepescit: quae sponte pia exercitia servabat intermittit, qui antea omnino obediens apparebat, nititur interdum in ea quae regula vetat: libros pariter atque ludos negligit, solitudinem quaerit atque diu secedens in angulo meditatur. Dilectionem quaerit et amorem et peculiaribus amicitiis saepe indulget, quas admodum frequenter init, nec diutius connisas facile dirimit. Saepe cum dies occidit in lacrymas ignoto sensu motas effunditur ut ingratum veluti pondus quod sibi incumbere quodam modo experitur reiiciat; auroram doloris comperit quem futura vita illi parat. Qui vero adolescentes instituendos suscipit, ut arbusculis fieri solet quae ne a vepribus herbisque suffocentur contextis circum viminibus cinguntur, studio atque suavitate, prudentia summa atque patientia eget. Adolescens enim animum suum enarrare cupit, moerores dicere ut solatium inveniat et auxilium, ut vicissim sese dilectum sentiat. Institutoris igitur est eius animum quaerere, et prudentissime hortari ut suas aegritudines illi aperiat quas ipse levare queat. Quae si assidue per omnem insti-

[1] S. Ambrosius, *De Officiis*, lib. I, cap. 18.

tutionis cursum summaque prudentia ille curaverit, alumnum suum mire iuvabit eiusque perennem deinde gratitudinem assequetur. Nisi enim adolescentium animus purae dilectioni et casto amori serviat, indigno forte studio corripietur, quem morem pessimum cum inierit, perraro deinceps exuet. Nam, ut plurimum, quamvis saepe illum superare conetur gravius allicietur, et in putrido limo voluntas, sese volvet et volutabitur. Gravi autem morbo unus maxime mederi potest Spiritus Moderator, qui cum intimas animorum latebras perscrutetur, ignotis moeroribus medelam aptam tradet, procliis perarduis promptus subveniet, pietatem frigescentem fovebit, monita saluberrima proferet, inordinatos motus et sensus compescet, ludos et solatia suadebit, maxime vero ad constantem et assiduum Sacrae Synaxeos et Confessionis usum hortabitur; iis enim tantum vires pariuntur quibus ille acerrimo in proelio eget. Uno verbo tenera veluti mater exagitatum alumni animum solabitur, eius lacrymas absterget, et asperam virtutis viam sequi eum docebit. — Sed ea inter tum Rector, tum qui eius vices funguntur, tum Praefectus contubernii vel Magistri nil incautum vel impatiens, vel nimis asperum in emendatione caveant, ne alumno ruinam incredibilem comparent. Sint contra longanimes, patientes et cauti; raro eos moneant aut improbent, perraro vero puniant, et, quousque liceat, parvas culpa tolerent, eamdemque parentibus tolerantiam suadeant. Rector praecipue adhibeat vigilantiam, atque adolescentis opera, dissimulando tamen, et veluti a longe perscrutetur, ut, cum omnino res postulaverit, habenas forte relaxatas resumat atque retineat, ac alumnum ab inopinatis erroribus prohibeat. Saepe vero parentes, dum immutatum liberorum animum vident, graviora reformidant atque suspicantur, reique causas anxie a Moderatoribus sciscitant, suumque natum aspere interdum arguunt qui, haud raro, contumacia eis verba reddit. Tunc itaque Rectorem parentum animos sedare oportet atque suaviter monere ut ipsi vicissim patientia longanimi utantur usquedum, superata periculosae aetatis pugna, pax atque quies redeant. — Perarduum itaque adolescentium regimen efficitur, nam hae tum animi, tum corporis perturbationes ita mentem et cor adolescentulorum obnubilant atque of-

fuscant ut *serenitas dilectionis a caligine libidinis* [1] non discernant. Tunc secreta nonnunquam vitia invalescunt quae futurum tempus perraro aufert, dum mores hominis perpetuo corrumpunt. Ut nefandi vitii detrimenta tum in corporibus, tum in anima esse solent, ita Moderatoribus iugiter cavendum est diligentissime ne hisce nexibus tirones irretiantur. De externis indiciis quibus liceat ex vultu eos cognoscere qui tali culpa laborent parum constans medicorum sententia est. Sed cum res de misero forte tirone certo innotuerit qui, diuturnam post probationem nullam emendationem praeseferat, tunc ut sacris a liminibus recedat piet at strenue quoque hortandus est. *Qui* enim *tali vitio inquinati sunt communiter temere et imprudenter castitatem vovere*nt: *a professione religiosa igitur, et multo magis a statu clericali repelli debent, nisi extraordinaria dent signa conversionis et longa experientia, nempe per plures annos, firmitatem propositi demonstrent ac pignus perseverantiae exhibeant* [2]. *Nullus enim* [D. Gregorii monitum est] *debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium approbata fuerit* [3]. Confessarius autem, dum spes emendationis illuxerit, numquam monere atque hortari discipulum desinat, metuque pariter atque amore suadeat ut nefarium morem adolescens exuat qui, et animae pariter et corpori maxime nocet. Medicus vero ad rem adiuvet et praecipuas curas iubeat: cibo nimirum uti parco [lacteo plerumque et herbido] frigidis balneis, duro lectulo, gymnicis interdum ludis et deambulationibus quae membrorum vim conterant, nec antea in lectulo quiescere quam somnus omnino occupaverit, statimque ac sopor effugerit ex eo surgere doceat.

c) Iuventus a decimo octavo anno ad trigesimum discurrit in qua *rara est humilitas* [4]; *praecipuum* enim *vitium iuvenile est gloriatio quae amplius vult videri esse quam qualis est* [5]. Insuper *iuventutis actas admodum solet esse indomita*,

[1] S. Augustr., *Confess.*, lib. II, c. 2.
[2] Bouvier, *Prax. Confess.*, cap. 4.
[3] *Epistolar.*, lib. II, indict. 4, epist. 44, *Ad Petrum Subdiacon.*
[4] S. Ambrosius, *In Psalm.* cxviii Serm. 18.
[5] S. Chrysostomus, *Homil. 33, Sup. Matth.*

atque omnis regiminis impatiens ac saeculo dedita [1], *praesumit de viribus suis, formae dignitate iactatur, pompa rerum temporalium praefulgere aut exoptat, aut gaudet* [2]. Quapropter *periculosum est ulcus iuventutis quod cupiditate contabescit, et fluctum crebriore impetu saeculi inundantis operitur* [3]. *Iuventus flos aetatis, periculum mentis* [4], *lubrica, inconstans, inconsiderata, calida, intemperata* [5] *et proclivior ad concupiscentias... eisque facilius capitur* [6]. Idcirco *iuventus plurimis indiget institutoribus, magistris, paedagogis, asseclis atque nutritoribus* [7]. — Quamobrem, uno verbo, dicere possumus ad iuvenes regendos iisdem fere artibus uti oportere quas pro adolescentibus nuper memoravimus. Est itaque rigiditas suavitate temperanda ut observantia floreseat, idest curandum ut modus corripiendi sit lenis ac prudens, ne iugi impatientes ad perdull onem irritentur.

§ II. — De disciplinae praevidentia ac constantia.

Summae rerum. — CXL. De praevidentiae necessitate. — CXLI. Praevidentiae partes ac modi qui sint. — CXLII. De praevidentiae praxi. — CXLIII. De disciplinae constantia ac de eius objecto. — CXLIV. Regulae ad rem. — CXLV. Corollarium

CXL. — De praevidentiae necessitate nemo prudens bonusque dubitat; nisi enim quis praeviderit non providebit, ac ita casu fortunaque trahetur, quae rectum omnem ordinem pessumdabit. Quapropter D. Bernardus animadvertit: *Nullus sit casus quem meditatio tua non praeveniat: nullus sit casus qui te imparatum inveniat* [8], et iterum dilecto Eugenio scribit: *diligenter omne quod faciendum erit tracta apud te...; tracta ante factum, quia post factum sera retractatio est* [9]. *Sanctorum* enim *actio ab omni parte circumspecta est; bona desiderabiliter praevidens, mala solerter carens* [10]. Nam etsi, dum homines consulunt, Deus fata agitet, minoribus tamen causis utitur Ille semper, quas praevidere Institutoris est. — Ut certum itaque regimen habeatur, oculata praevidentia maxime est opus: alias enim

[1] Blosius, *Apol. in Thaul.*, cap. 5.
[2] S. Augustin., Sermo 3. *in dom. 23 post. Trinitat.*
[3] *Id.* Sermo 2, *ibid.*
[4] *Id. Ibid.*
[5] Hug. Vict., *Propr. Verb.*, IV, 9.
[6] S. Chrysostom. Homil., 9 in *I. Timoth.*
[7] *Id. Ibid.*
[8] *De Inter. dom.* Cap. 45.
[9] *De Consideratione*, Lib. IV, cap. 9.
[10] S. Gregorius Magnus, *Homil.* 7 *Ezechiel.*

temporis, vel fortunae, vel subditorum probitati male Institutor confiderit, cumque adversum aliquid supervenerit, concidet. *Dum naris est salva prompte consulere et providere oportet ne evertatur; nam postquam fluctus exsuperat inane est studium* [3]. Ideirco *cogita ante opus ne stulta fiant* [4]; enimvero *non facile inveniuntur in adversitate praesidia quae non fuerint in pace quaesita* [5]. Rara siquidem juvenis constantia cui Institutor innitatur; neque credendum prosperae fortunae est. Cum vero inordinatum aliquid incauti Moderatoris culpa evenerit, poenis et castigationibus immoderate coercendum erit, quae pessimae regiminis partes sunt. Ut enim Reipublicae inepte consulit Magistratus qui castigare potius post factum velit quam antea malum ne eveniat praepedire, ita in ecclesiastica institutione omnino contrarium huic documentum regiminis servandum erit, videlicet praevenire sedulo et ubique ne mala fiant, et cum tantum admissa necessario fuerint, ea punire. *Haec quippe optima est disciplina non prius vitia dominari sinere et postea quaerere quo pacto illa dominari possint, sed omnia facere atque moliri ut naturae nostrae nequitiae sit inaccessae* [6]. Porro et ipsa Sapientia admonet: *Melius est puer pauper et sapiens, rege sene et stulto qui nescit praevidere in posterum* [7]. Quibus perpensis, institutionis artem potissimum praevidentia exerceri nemo iam ambiget.

CXLI. — Praevidentiae partes, generatim, consideratione continentur; nam *negotia... nunquam bene disponuntur si eorum exitum in sacrario mentis subtili meditatione non quaerimus. Multa enim videntur esse bona et non sunt: quae nimirum si electus quilibet in secreto meditationis videre negligit, ea iusto rectoque ordine non disponit. E contra qui discutere ea vel agere meditando consuevit, non*

[1] Seneca, Epist. 72.
[2] Pithagoras, *Apophthegm.*
[3] S. Prosp. Aquit., *Sentent.* 188.
[4] S. Ioan. Chrysostomus, *Adversoppugnat. vit. monastic. II*, n. 17.
[5] Eccles., IV. 13.

solum agenda, sed etiam vitanda cognoscit[1]. Ad rem vero tum praevidentiae objectum, tum dotes memorandae sunt.

1) Praevidentiae obiectum. — Per sanam enim considerationem *inspicere debemus primum nosmetipsos, deinde quae aggredimur negotia, deinde eos quorum causa, aut cum quibus agendum*[2].

2) Praevidentiae dotes quatuor verbis exponuntur, ut nimirum una, ordinata, serena et pervigil ea sit.

a) Unam semper eamdemque eam esse oportet ut de disciplina iam monuimus, cuius praecipuam partem ipsa constituit. Una nimirum sit atque eadem quae non a Rectore tantum, sed ab omnibus qui cum eo in regimine adlaborant ita exerceatur ut omnium cautelis simul adhibitis mala arceantur, bonaque foveantur. Ut enim unus tantum ad moderanda omnia satis esse nequit, ita unus et ad praevidenda non sufficit.

b) Ordinata — *Sine ordine, praesumptio est actio*[3]: quare dum Institutor futura praecavet, praesentia regat; alias enim *qui nonnulla providens agere nititur, dum cautus futura subtiliter praevidet, incautus damna praesentia ne quaquam videt*[4].

c) Serena — *Illud* enim *non bene fit quod occupato animi fit*[5]: quidquid itaque praecavendum sit, id sereno cum animo praecavere oportet. Saepe inepte mala quis sibi suisque suspicatur; et *fit plerumque ut nulla eveniant quae praevidentur*[6]. Qui enim nervosa aut abundanti indole praesertim praediti sunt, anxiam sibi vitam atque sollicitudinibus plenam, subditis vero difficilem effingunt; quod profecto regimini haud prodest, cuius praecipua pars est subditorum anxietates et metus dissipare. Serenitate ne quis nimium animum demittat provi-

[1] S. Gregorius Magnus, *Moral.*, Lib. II, cap. 25.
[2] Seneca, *De tranquillit. anim.* c. 4.
[3] Hugo Vict., *Coelestis Hyerarch.* Lib. IV, cap. 3.
[4] S. Gregorius Magnus, *Ibid.*
[5] S. Hieronymus, Epist. 21, *ad Paulin.*
[6] S. Gregorius Magnus, Ibid., Lib. II, cap. 20.

detur, neve negligens sui muneris segnis fiat. Non itaque iuxta anxii animi metus, sed iuxta experientiae veritatisque documenta futuris est prospiciendum negotiis ut optimum ad exitum perveniant.

d) Vigilans praevidentia adeo sit ut qui praecavet semper pervigilet ne, unius licet momenti negligentia, malum insanabile oriatur. *Diaboli* enim *studium est circuire in domo Dei et quaerere quem devorat: tuae contra vigilantiae, in quantum potes, numquam locum dare diabolo*[1]. *Magnum* quippe vigilantiae *opus et arduum, sed Deus adiutor noster est*[2], atque officium illud ecclesiasticis Institutoribus omnino proprium. *Oportet siquidem illum qui animarum praesidendo cult curam gerere, ministrando, laborando, orando et, si necessitas coegerit, etiam moriendo, animam suam dare pro ovibus, quemadmodum bonus Iesus Dominus et Magister docuit et perfecit*[3]. Qui suos alumnos diligit, quoties de eorum tu ela agitur nil illi grave est.

CXLII. — Ad praevidentiae praxim quod attinet si quotidie Rector per dimidiam saltem horam sequentes quaestiones secum Deo coram agitaverit valde juvabit:

1. Quomodo ipse se erga Deum gesserit; an spiritualia fideli studio curaverit, an divina tantum gloria ad agendum sese moverit?

2. Qui sint subditorum mores et observantia, an aucta haec sit vel imminuta et quibus de causis, vel quae malo remedia admoveri oporteant? An omnes ipse aequali prosequatur studio?

3. Quis modus sui regiminis fuerit; an suavis et diligens, pius an prudens, vel potius callidus et fallax?

4. Quomodo cum Episcopo ipse Rector sese gesserit? An eius iussa exequutus fuerit? An sit aliquid de quo illo edoceri debeant?

5. Quomodo cum officialibus sibi subiectis res sit? An illi diligentes in munere et assidui sint? An regulas servent? An eorum aequam libertatem ipse praepediat? An aliquid corrigendum, vel monendum sit?

[1] S. Bernard., Epist. 102, *ad quemdam Abbatem.*

[2] S. Augustinus, *De charitate Dei*, Lib. I., in Praefat.

[3] S. Laurent. Iustinian., *De Instit. et Regim. Praelator.*

6. Quomodo clerici habeantur? An ipsi sese, nulla alicuius acceptione, invicem omnes diligant? Quem monere et corripere, quem incitare vel solari ac laudare oporteat?

7. Quomodo cum externis agatur? An politico et aulico, potiusquam ecclesiastico more, cum illis se habeat? Quomodo in eorum visitatione se gerat? An divites pauperibus praeferat? An sua, potiusquam Seminarii commoda, ipse exquirat? Quid de epistolari commercio?

8. Quae negotia maxime urgeant? Quae cavenda sibi ad rem aut aliis praestanda Rector habeat? An tradita iussa Officiales exequuti fuerint? An obstacula orta sint? Quaenam et quomodo previdenda sint?

9. An aliquid novissime contigerit quod peculiari cura, vel iussu, vel consilio indigeat?

CXLIII. — Quid disciplinaris constantiae nomine veniat, regiminis arte periti tradunt, nimirum traditio certaque consuetudo ususque et praxis, quae et Praesuli et subditis viam agendi quodammodo praefiniat. — De constantiae in clericalis institutionis necessitate vix dicere est, quum noxa quae ex regiminis instabilitate habentur tanti, munero ac momento, sint ut fere nil ipsi infestius haberi possit. Quod si in regiminis modo, forma, seu in adiunctis, diversis personarum, locorum ac temporum circumstantiis multum concedendum est, attamen in, ut aiunt, substantialibus nunquam. Quamvis vero inter formam ac substantiam eligere haud facile sit, attamen ne formam colendo, substantiam lacesset, discrimini quod inter utramque habetur sedulo attendat Rector.

CXLIV. — Constantiae obiectum, diversimode dispesci potest nimirum:

A) Quoad Rectorem et subditos, lege, consuetudine et traditione continetur, de quibus satis superque diximus alibi. Harum enim instabilitas, disciplinae constantiam [cuius illae veluti fundamenta sunt] funditus convellit.

B) Quoad vero Rectorem tantum disciplinae constantiae obiectum norma generalis regiminis continetur, ad quam haec Moderatorum classes describi possunt. Sunt enim:

a) Qui nullam regiminis viam certam profitentur aut sequuntur; multi quidem huiusmodi haud sunt, sed quo magis ordine praestant, eo magis perniciosi. Nullam se habere in regimine legem hi gloriantur, nullam certam viam persequi, sed iuxta opportunitatem vel occasionem varia consilia suscipere. Hac ratione sua iussa atque auctoritatem ipsi deprimunt abiiciuntque, contraria decernentes; passim vero nutantis consilii pessimos fructus subditis aut cooperatoribus culpae adscribunt. Qua infida callidaque arte ita paullatim res corrumpuntur ut fere insanabiles tandem efficiantur.

b) Qui certam regiminis normam profitentur sed non sequuntur multi sunt: plerique enim homines ita pusillanimes sunt ut bona videant atque probent, sed deteriora sectentur. Hi igitur, utpote levi, timido et inconstanti animo, eadem fere detrimenta sibi aliisque comparant quae mox ab aliis adlata supra vidimus, atque clericali institutioni tum inepti, tum indigni censendi sunt.

c) Qui dum unam regiminis viam profitentur aliam sequuntur potiusquam ecclesiastico, politico at detestabili sensu utuntur. Licet enim non omnibus, neque perperam consilia regiminis patefacienda sint, ea tamen [falsa specie] simulare non licet; silentium enim prudentis, mendacium vero pessimi viri est: quod maxime in ecclesiastica institutione vitandum est. Dum enim Reipublicae praesides fere nunquam veritate subditos regunt, ecclesiasticos e contrario Institutores nunquam mendacio uti decet. Enimvero *fraus foedior violentia est*[1], quae foeditas et violentia ecclesiasticos homines quam maxime dedecent.

CXLV. — Regulae ad rem ita paucis perstringuntur:

1) Constans quidem, at haud immutabilis, disciplina sit oportet. — Ipsa enim rerum natura assidue progreditur, cui obsistere plane non expedit: hinc

[1] Cicero, epist. *ad Marc. Brut.*

variis temporum, personarum, locorum adiunctis in institutione quoque aliquid tribuendum est; quorum neglectu aspera sane institutionis ars plerumque efficitur, et caritas prudentiaque pessumdantur. Quapropter *nec debet reprehensibile iudicari si statuta quandoque varientur humana, praesertim cum urgens necessitas, vel eviden. utilitas id exposcit*[1]. His principiis Rex Assuerus nitebatur cum revocatae a se sententiae [quam, iniqua Amani accusatione deceptus, adversus Dei populum tulerat imprudentius] rationem redderet. *Nec putare debetis si diversa iubeamus ex animi nostri venire levitate pro qualitate et necessitate temporum, ut Reipublicae poscit utilitas, ferre sententiam*[2]. Ut enim medicus secundum ea quae corpori varia accidunt, medicamenta variat, ita, quum institutionis tempora varia sint, variis quoque regendi modis utendum est. *Nulla* quippe *est prudentia, cuius consilia pro omni tempore salutaria sint.*[3] — Nec ab omnibus insuper ut unam eamdemque viam in minimis quoque sectentur requirendum est: habet enim sua quisque consilia, totque capitibus tot sententiae nascuntur.

2) Quando vero mutandum consilium est, *primo quidem an liceat, deinde an deceat, postremo an et expediat considerandum est. Nam etsi in christiana utique philosophia non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet et licet, non continuo tamen quod licet decere aut expedire consequens est*[4]. Ubi illa aurea Apostoli verba in mentem revocantur: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, omnia mihi licent, sed non omnia aedificant*[5]. Idcirco *vide utrum liceat, si liceat utrum deceat, et si deceat utrum expedit; nil enim expedit nisi liceat et deceat*[6].

3) Novitatis studium Institutor ne sequatur et, ut plurimum, nihil statuat nisi *populi quem regendum suscepit mores apte noverit*[7]: *dignum est* enim *ut* [Moderator]

[1] *Esther*, XVI, 9.
[2] Id Ibid. — Cfr. S. AUGUST., *de lib. arbit.* l. I, cap. 6.
[3] SAAVEDRA, *Idea Princip. Christian. Politic.*, cap. 17.
[4] S. BERNARDUS, *De Considerat.*, lib. II, Cap. 3.
[5] COR., X, 22.
[6] S. BERN., *De Considerat.* loc. cit.
[7] RODULPH. AUSTR., *Sentent.*

Antecessoris sui gressibus viam inoffensis incedat, quem de eodem loco ad reddendam rationem ante iudicis tribunal expectat [1]. tituat.

CXLVI. — Ex dictis liquet **sub regiminis initium haud posse Institutorem certam sibi legem statim constituere.** Novarum enim rerum, clericorum aut locorum notitia [quam optimam ipse habeat oportet] nonnisi **diuturna experientia** adquiritur. Enimvero ceterorum dicteriis, passione [ut plurimum] suadente conflatis, haud facile credendum est. *Non temere*, **Cicero** monet, *Princeps aut magistratus ne credat quidpiam quod sit de sibi ignoto ab aliis prolatum* [2]. Optimum itaque est primum tempus cunctando, orando et advigilando traducere, omniaque perscrutari antequam certam sibi regiminis viam Institutor cons-

§ II. — De disciplinae libertate ac sinceritate.

Summae rerum. — CXLVII. Ad rem quaedam magni momenti generalia principia recoluntur. — CXLVIII. De in clericali institutione **libertatis** generale praxi. — CXLIX. Eius ambitus. — CL. Quid peculiariter in re cum clericis praestandum. — CLI. De libertate in pietatis operibus. — CLII. Corollarium — CLIII. Quae disciplinae **veritas** atque **sinceritas** sint. — CLIV. De earum in clericali institutione praxi.

CXLVII. — De **libertate** in clericali institutione agentes, quaedam permagni momenti principia, ante omnia, recolenda veniunt, nimirum:

a) **Nulla libertas esse potest ubi Praesules subditorum iura laedant.** — Subditi [in ecclesiastico regimine maxime] non ut servi, sed ut fratres habendi sunt. Ipse enim Dominus suo exemplo atque verbo docet qua suavitate et reverentia cum hominibus agendum sit, quos ipse et Suo Sanguine redemit et ut delicias suas habuit. Neque secus *sancta Ecclesia, ex magisterio humilitatis instituta, recta quae... dicit non quasi ex auctoritate praecipit, sed ex ratione persuadet* [3]. Quamobrem **Gregorius** pri-

[1] S. Gregorius Magnus, *Epistolar.* Lib. X, Indict. III, Epist. 51. *Ad Leontium.*

[2] Epist. *ad Marcum Brutum.*

[3] S. Gregorius Magnus, *Moral.* Lib. VIII, Cap. 2.

mum [cui Romani Pontifices omnes postea obsequuti sunt] non dominum aut principem se dixit, sed *servum servorum Dei*. Quae praecepta [in Reipublicae regimine, ut plurimum, plane neglecta] maxime servanda ecclesiasticis hominibus videntur ut, charitate duce, alios regant, eamque custodiant libertatem quam *magnorum*[1] S. Augustinus dixit, qua et subditi *non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti* efficiuntur.

b) Regula vero qua libertatis dominium in his praefiniatur vetustissimo illo effato continetur: *in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas.* Nam quum de primis sermo est nullus ibi singulorum libertati ambitus relinquitur; in aliis vero si nulla libertas esset insanum arbitrium oriretur. Falsum est enim atque absurdum omnes unum sentire de omnibus, vel unum eumdemque in negotiis omnibus sequi tramitem. Humanae quippe mentis libertas praecipuum Dei donum est et humanae naturae proprium, quod nemo sapiens delere se posse arbitrabitur. Sodalium enim vires et mentes non ita conflanda sunt ut unus idemque homo fiat; sed ut [unanimi consensu, licet diversimode] communem metam facilius omnes assequantur. Alias homines non ut ratione praediti, sed ut pecudes regerentur effigiesque Sancti Spiritus in illis deleretur.

c) Attamen, cum *homines nec totam servitutem pati possint, nec totam libertatem*[2], hanc alteram latiorem vel arctiorem esse oportet iuxta varia rerum, aut personarum, aut temporum vel locorum adiuncta. Idcirco [nostram tractationem quod spectat]:

1) Aetatem variam varia libertas decet: non idem enim puero aut adolescenti tuto arbitrium dimittitur quod quidem Institutorem decet qui, nullo fere iam duce, sed suo tantum iudicio sese regere potest.

2) Locorum quoque dissita saepe natura variam libertatem requirit. — Oppido enim ille fallitur qui, exempli gratia, germanorum mores in latinos vi deducere

[1] *De Musica* Lib. IV, cap. 6. [2] Tacit., *Histor.*, I.

se posse putet, vel contra, maxime vero si credat americanis nos posse vivere modis, aut illi nostris. Habent enim suos gentes singulae mores; quare si quis una eademque ratione ea omnibus indulserit, quod illos iuvat, aliis nocere saepe videbit.

3) Temporum — Variae temporum conditiones similem cautelam requirunt, de quibus satis superque constat.

CXLVIII. — Quum res nobis proposita [his potissimum diebus] maximam tractationi difficultatem praebeat, sed et gravissimi sit momenti, prudentiore oportet cautela uti, et ne scientiae moralis provinciam ingrediamur, paucis rem perstringere, ita quidem ut, nonnullis delibatis, ad modum summorum principiorum, quaedam de eorum practico usu attingamus quae, effervescente libertatis studio, opportuniora videantur. — Norma fundamentalis in libertatis obiecto tractando ipsa societatis definitione praescribitur quo nomine tandem ea venit plurium congregatio in eumdem finem, certis adhibitis mediis, conspirantium. At vero Seminarii de quo nobis res est, clericos exuere nequeunt triplicem illam indolem seu characterem quo primum societatis humanae, dein christianae et, in hac, Sacri Instituti membra constituuntur, quod quidem [stabile aut temporaneum] intra limites et iura fraternitatis christianae continetur. Itaque hoc ipso et clerici triplici legi subiecti inveniuntur, videlicet: prout homines sunt legi naturali, prout christifideles legi divinae positivae christianae, prout Seminarii sodales legibus ac ordinibus quibus ille regitur. Quare quidquid ambitum triplicis huius legis exsuperat, clericorum libertati permittatur, et quidem ad modum iuris a Institutoribus omnibus religiose habendi. *Ubi enim non est lex possidet libertas* habetur in iure, et propius ad rem nostram S. Bernardus illud meminit: *Modus est obeditionis tenor professionis. Ergo Praelati iussio vel prohibitio non praetereat terminos professionis* [1].

[1] *De Praecept. et dispensation.*, cap. 5.

CXLIX. — Praefatae normae ambitus tantum patet quantum ipsa hominum actio. Est igitur consideranda conscientiae, opinionis, loquendi ac operandi libertas. Ad rem haec habeantur:

a) Conscientiae libertas quum internos tantum actus respiciat qui [suapte natura] externum disciplinae imperium effugiunt, legibus tantum moralibus definienda est.

b) Opinionis libertatem quod attinet:

1) Quoadusque opinio mente tantum continetur ad conscientiae libertatem redit, atque de ea idipsum quod supra statuendum est.

2) Quum vero opinio extrinsecus manifestatur, libertas possidet quousque nihil laedatur de fundamentalibus principiis quibus peculiaris et generalis ordo societatis regitur.

3) Loquendi libertas [his maxime diebus malorum feracissima] iisdem legibus regitur. Etenim in comperto est loquelam nonnisi concretam ipsam opinionum manifestationem esse. Plurima ea negotia quae hic in considerationem veniunt persequi omittimus. Ceterum id tantum in omnibus his statuendum foret, Institutorum videlicet operam eo contineri ut veritatis, et maxime caritatis iura sarta tectaque omnino sint; quae praesertim in contentionibus quae scriptis geruntur passim offenduntur. De imprimendis vero a clericis sat aperte alibi diximus et sufficit.

4) Operandi vero libertas maxime in considerationem venit ubi de consociationibus efformandis vel ineundis [*liberté d'association*] res proponitur. At [si quae sentimus libere aperire licet] in Seminariis internas Consociationes nonnisi ad *pium* ac *aemulativum* finem contendere oportet. — Cotidianus enim usus et experientia docuere, eas, si disciplinae, et Moderatorum venia constituantur ac operentur, etiam clericalis institutionis bonum et incrementum promovere posse. Hinc e. gr. Congregatio Mariana vel Aloysiana, ac inter eiusdem anni scholaris auditores, academiae, aut praeter has una alterave eiusdem indolis [antiquitate maxime comprobata] cum laude et cum fructu plurimo iniri poterit, quum per eas studium

doctrinae ac pietatis, aut apostolicae charitatis exercitatio magnopere foveatur. — Quod autem externas consociationes attinet hae alumnis non permittantur nisi Ordinariorum accedente consensu, quorum etiam erit inspicere ne in illarum constitutionibus quidquam sit quo sacrorum alumni externae cuivis auctoritati directe obnoxii fiant.

CL. — Haec principia et in clericali institutione locum obtinent quamvis perraro prudentissimi viri de libertate loquuntur, qui adolescentes instituere atque educare metu tantum et vi et rigido iussu nituntur. At contra ecclesiastici tirones sapienti libertatis studio instituendi sunt atque paene infinito. *Id enim tantum quod sponte puer accipit eius animam enutrit et alit*[1], quod numquam tamen accidit ubi nulla libertas est. Cavendum enim est ne discipulus inscius bonum faciat, sed faciat quia bonum est, neque consuetudini tantum serviat, sed rationi et liberae voluntati; omnis enim virtus hac in electione consistit, et omnis institutionis ars ea continetur. Contra si disciplina omnes alumni vires compescat neque ecclesiastica erit, neque christiana: in educandis enim pueris tum dare, tum petere oportet, praecedere ac sequi, facere atque indulgere. At augenda atque dilatanda paulatim una cum aetate libertas est, eoque magis quo melius ea alumnus utitur. Haud enim alias ex puero vir crescit atque ex clerico sacerdos fit, qui ipse vicissim libertatis assertor erit. Variis itaque puerorum ingeniis, spectanda sunt; nam *ex studiis suis,* monet Sapiens, *intelligitur puer.* [2] Alii enim alumni ab aliis ita differunt ut pari modo duo pariter institui nequeant; eadem enim in familia et schola ii sunt qui libertate uti sciunt et qui nesciunt.

CLI. — Ad Seminarium vero quod spectat, aliam praecipuam libertatis indulgendae provinciam memorare est, pietatis nimirum magisterium. Interdum enim quibusdam in Seminariis ad ipsa sacrae Eucharistiae mysteria [disciplinae metu] alumni imperite compelluntur. Praefecti enim eos qui pluries vel semel in hebdomada id servant adnotant:

[1] Quintilianus, *Institut.*, cap. 4. [2] Prov., xx, 11.

res plena sane periculi quae aut hypocritas, aut sacrilegos saepe facit. Quare [ut alibi explicavimus] haec potissimum sancta mysteriorum frequentia alumnorum arbitrio relinquenda est, neque conscientiae arcana, vi aut metu, violari a quocumque absque culpa possunt. — Si quis vero alumnus minus frequenti usu sacra diligere diu visus fuerit, is urbane et ut sacerdotio minus aptus dimittatur, potiusquam ad ea suscipienda cogatur, quum non sine gravi forte peccato ipse, prae metu, pareat. Secus enim ut vana species externae pietatis habeatur, gravissimis in Deum culpis sternitur via. — Hoc vero sacramentis adeundis arbitrium non clericis tantum, verum et famulis relinquendum est. At saepe et existimatio, et studium et ipsae strennae iuxta sacramentorum frequentiam conceduntur, cibo vero aut pecunia qui id non fecerint mulctantur, neque stipendia solvuntur nisi confessionis schedula oblata! Magna sane stultitia, quae non modo omnem libertatem [maximum Dei donum] sed et ipsa conscientiae atque divina iura iniuste omnino conculcat atque pessumdat.

CLII. — Conclusionis instar meminerint Institutores omnem auctoritatis abusum non subditis tantum, sed Moderatoribus quoque maxime perniciosum esse, quibus proprium munus est clericos adiuvare, haud tamen ita cohibere ut omnes eorum vires hebescant. Quinimo ubi lata magis singulorum libertas et sapienti regimine servata patuerit, ibi beatior vita atque pristinae veluti instauratio erit felicitatis quam Protoparentis culpa sustulit. *In Principatu beatissimum quod nihil cogitur* [1], *et nemo plus impetrat a libero quam qui servire non cogit* [2]. Idcirco, o Institutores, *libertatem eorum qui vobis commissi sunt ut vestram specialiter attendere debetis, et si ipsi a maioribus vestris iniurari libertatem vestram non vultis, subiectorum vestrorum honorando libertatem custodite* [3].

[1] Plinius, *In Panegiric. Trajan.*
[2] S. Hieronym., Epist. 18, *Ad Theophil.*
[3] S. Gregorius Magnus, *Epistolar*, lib. I. Indict. 9, Epistol. 24, *Ad Ioannem Costantinopolitanum.*

CLIII. — Quid sit disciplinae veritas atque sinceritas [gallic. *loyauté*] ex ipsa, de qua hactenus locuti sumus, eius libertate apparet. Est enim *veritas* quae, ut Dominus loquitur, *liberabit nos* [1]. Nisi enim subditi atque Moderatores vicissim libero obsequio et studio, eoque vero et sincero, simul vivant, neque sinceritas, neque veritas esse possunt. Ubi enim Institutores sincero et veraci animo sunt, ulla calliditate aut simulatione utuntur, atque vicissim subditi eadem virtute obsequium atque obedientiam praestant, et charitative *singuli se diffundunt in singulos, quoniam ab uno et de uno, necnon in uno, effecti sunt unum* [2]. Sicque tantum illud Apostoli impletur: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba* [Pater] [3]. At contra nihil est quod aegre magis subditi sustineant quam Moderatores callidae et subdolae artes quibus et dubia in animis foventur passim, et mutua fides ita deficit ut magis ad simulationem quam ad virtutem clericos instituantur. Qui vero ex eis subtili magis calliditate pollent Institutores decipiunt atque eorum sibi animum ita devinciunt ut in suam semper sententiam [nec eam usque rectam] in aliorum detrimentum pertrahant. At *superfluo extra Ecclesiam positis resistimus si ab ipsis qui intus sunt vulneramur* [4]. Oppido itaque falluntur qui dum quamdam subditis libertatem indulgent [5], eam tot insidiis cingunt ut nulla prorsus evadat. *Melius est* enim *sub specie captivitatis vivere, quam sub specie libertatis esse captivos* [6]. Quae omnia si cunctis in temporibus locum obtinent, in nostris praesertim in quibus, contumaciae spiritum ubique invalescentem, maiorem requirit cautelam, ne ei quoquomodo invalescendi occasionem, Moderatores ipsi praebeant, quo fere cunctam eorum agendi rationem amittent. Maxime vero improbandum est malam illam versutiam virtutis atque pietatis specie callide

[1] Ioan, VIII., 32.
[2] S. Laurentius Iustinianus, *De Instit. et Regim. Praelator*, cap. 21.
[3] *Ad Roman.* 8, 15.
[4] S. Leo, Epist. 70.
[5] Cfr. I Petr. II, 16.
[6] Salvanus, *De Gubernatione Dei* Lib. V.

abdere, qua hypocrisi auctoritas quoque sensim abusu minuitur, quod malum [proh dolor!] nec Sanctuario ipsi pepercit. Nec obiiciat quis institutionem alias exerceri non posse; planum est enim et cuique notum, errare, infida simulationis arte, veritatem quemquam assequi. Sit itaque Institutor prudens atque vigilans, sit benevolus et pius, audiat omnia, in omniaque animadvertat, *in multis sit quasi inscius et audiens simul et quaerens* [1]: sed versutiis haud utatur quas clerici aegerrime tolerant, et Institutores miserrime in quaestores commutant. *Nihil est quod homo naturali affectu refugiat amplius quam sua privari libertate* [2], cuius defectu tum divina, tum humana lex, omnino ex arbitrio, pessundatur. Insuper Institutores omnes Divinae Sapientiae effata meminerint: *Regnum a gente in gentem transfertur propter diversos dolos* [3], et *terrebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum* [4]. Sed ipse *Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum* [5].

CLIV. — Ex his principis quae de veritate et fide adhibenda in regimine diximus, facile patet iis virtutibus Ecclesiae quoque tirones imbui sedulo oportere. Quare oportet clericos docere *ut sint veraces et fideles omnemque mendacium horreant; alias enim ubi ad dignoscendam veritatem mendacio opus fuerit, nulla ignorantiae culpa erit* [6]. Quamobrem, artibus nullimode utendum credimus quas illi tum S. Alphonsus de Ligorio, tum S. Carolus Borromaeus [vel eorum traditio] docent. Primus enim tironum censuram ipsis in contuberniis per aequales [pios sane atque ad rem clam selectos] exerceri vult [7]; borromiana vero traditio fenestras atque speculatorias crates per Seminarii parietes hiare docet, unde Moderatores, tuto sed clam, advigilent. Haec tamen media sequi omnino imprudens, immo et noxium credimus futurum, eaque ubi vigent prorsus amovenda, ut quosdam jam fecisse Ordinarios nobis certo constat. Ubi enim disciplina satis vigil atque prudens custos erit, externis

[1] Eccles., xxxii, 12.
[2] S. Bernardinus Senensis, Serm. 13. *De Obedientia*, cap. I, artic. I.
[3] Eccles., x, 8.
[4] Iob, xv, 24.
[5] Sap. I, 5.
[6] Cfr. Monfat, *La pratique de l'éducation chrétienne*, cap. 17.
[7] *Regolamento sui Seminari*, numer. 1 16.

hisce fallaciis nullus locus manet. Hae enim artes si externum iuvenum habitum modestia atque diligentiam ipsamque pietatis speciem, censurae metu assequuntur, perraro tamen animos instituunt, quae tamen ecclesiasticae institutoriae artis praecipua est mens. Quod si officialium omnium vigilantia et prudentia ad disciplinae custodiam haud sufficiant, sed falsis illis insidiis indigeant, tunc Institutores omnino imperitos se esse ostendunt; potius quam in carceres aut castra Seminarium per hos immutetur, tirones dimittendi melius, utpote sacerdotio plane indigni, quam fallaci disciplina retinendi erunt. *Iuvenis* enim *corrupta versutiae arte institutus, vix ac libertatem obtinuerit ea statim abutetur...; omnis enim vigilantia quam verax animorum studium et dilectio non movent, non vigilantia, sed corrupta delatio ac inquisitio est*[1]. Nec ut quis eas artes retineat locorum necessitates, vel tironum alicuius regionis pravam indolem invocet; pravum enim et callidum ingenium hisce artibus peius redditur. Ipsae variae vero artes ut consuetudine iamdiu receptae fuerunt, ita huius vi potius quam disciplinae studio retinentur. Quas proinde, etsi haud facile ubique negotium sit, vehementer tamen suademus ut quam citius Rectores deleant. Tum enim Respublica, tum Ecclesia fortibus viris atque veritatem profitentibus egent, qui illud Evangelii servent *sit sermo vester est est, non non*[2]. Melius est enim [omnes meminerint Institutores] veritate occumbere, quam astu et calliditate vivere. *Qui ambulat simpliciter salvus erit: qui perversis graditur viris concidit semel*[3]. Porro, *iustitia Rectorum liberabit subditos, et in insidiis suis capientur iniqui*[4]. — Nec ad malam cohonestandam delationem decreti verba de quo agimus quis obiiciat in quo legimus: *Quisque alumnus aliquem conspiciens defectum ex quo oriri possint offensio in Deum, discriminaque in aliorum virtutem, aut in Seminarii integram famam, de eo Moderatores certiores reddat, ut remedium*

[1] Carroccio, *Il Fanciullo*, cap. 4.
[2] Matth. v. 37.
[3] Prov. xxviii, 18.
[4] Ib. xi, 6.

afferant [1]. Nam [ut loco suo fuse explanavimus] Legislator per quam sapienter statim addit: *Nec ita agendo delatoris officium exercebunt, sed tantum ut bonum comune ac caritas erga animos habeatur* [2]. Enimvero legis verba *in novitate spiritus, sed non in vetustate litterae* [3] accipienda sunt, et Institutores qui delationem quoquomodo in Seminario foverent, dum Legislatoris mentem prorsus fallerent, ecclesiasticam quoque institutionem funditus lacesserent. Vigilantia utique exerceatur, at quaecunque delatio e sacris Seminarii septis funditus expellatur, quae [ut experientia ac usu anplissime doucere] potiusquam emendare mala, ea augescere consuevit. Et hac in re plura acerba nimis experientia docet!

§ III. — De in disciplinae custodia peculiaribus adjumentis a Rectore consulendis.

Summae rerum. — CLV. Animadversiones praeviae. — CLVI. De loco ubi constituendum sit Seminarium. — CLVII. Quid servendum in eius generale distributione. — CLVIII. In peculiaribus Seminarii partibus quid. — CLIX. Seminarii suppellex qualis. — CLX. De Seminariorum divisione. — CLXI. De contuberniis constituendis ad rem normae. — CLXII. Quando comtituenda sint. — CLXIII. Quae diversis inter contuberniis relatio esse possit. — CLXIV. De loco singulis alumnis assignando. — CLXV. Singulorum contuberniorum partes. — CLXVI. De horario. — CLXVII. De Annuario.

CLV. — De in disciplinae cura peculiaria a Seminarii Rectore adjumenta recolentes earum industriarum quae ad externam disciplinae observantiam obtinendam [quae ad internam assequendam uti necessarium adjumentum haberi debet] perplura recolenda veniunt [4]. Ex his

[1] Artic. 131.
[2] *Ibid.*
[3] *Ad Roman.* VII, 6.
[4] Quae hec de disciplina indigitavimus normas plenius addiscet Lector ex nostro opere: *De Ratione disciplinae in Sacris Seminariis* [Pustet-Herder 1910] ubi enucleatius de re disseruimus.

vero [brevitati consulentes] quae ad generalem Sacri Instituti ordinem spectant heic tantum memorare ducimus, cui praevalidum [nunquam satis suadendum] tutamen praebent.

CLVI. — Ad locum quod attinet ubi erigendum sit Seminarium Concilium Tridentinum praescripsit: *Prope ipsas Ecclesias Cathedrales, vel alio in loco ab Episcopo eligendo Seminarium constituatur* [1]; quod unanimes confirmant sacrorum canonum periti, eorumque princeps Benedictus XIV, qui, Seminarium suum Bononiense cum conderet, prope templum cathedrale posuit. Rationes autem Aquileienses Patres adducunt: *Locus Seminarii si apud Ecclesiam Cathedralem fieri possit, non alibi optandum ut fiat: quo enim propius adsunt clerici, eo facilius et minore temporis dispendio ad Ecclesiam se conferunt* [2]. Hac ratione clerici tirones, facilius veteres Levitas imitentur qui circa foederis Arcam sua tabernacula posuere. — Cum vero Seminarii domum prope Cathedrale templum condi nequit, tunc alibi *in loco convenienti* Episcopus ponet, aut domum privatam pretio conducet, quoadusque aptae aedes aedificentur [3]. Attamen hac in re distinctione opus est. Nam ubi de Seminario minore sermo sit consultius videtur situm seligere extra urbis moenia positum, a nimia civium frequentia remotum [etsi non omnino impervium] aeri bene patentem, adeo ut alumni [cum quiete et otio] suis muniis vacare possint. E contrario Seminarium maius prope Cathedralem Ecclesiam constituatur ad quam, ex S. Congregationis praescripto [4] [praecedentes prudentissimas sacrorum canonum ordinationes confirmante] crebro clerici accedere debent. Hoc ratione et alium sacrorum alumni vitae apostolicae adjumentum ipsi quam maxime necessarium summa cum prudentia adeo comparabitur ut nimirum saeculi vitam

[1] Decret. cit.
[2] *De Seminar. Clericic.*, § *Locus.*
[3] Cfr. S. Rota, decis. 1361, n. 1; Ferraris, ad verb. *Seminarium.*
[4] Artic. 89.

sobrie quidem, sed sufficienter pro suae ipsius vocationis necessitate spectare possint. Quod etiam magis opportunum erit si Praeceptores in ipso Seminario non degerint, quum commodus illis ad auditoria accessus patere debeat.

CLVII. — Ad Seminarii generalem dispositionem quod spectat [cui sedulo attendendum est] haec observasse proderit:

1. Separetur, quoad eius fieri poterit, habitatio Superiorum seu Professorum a locis ubi degant clerici, alumnorum cubicula a famulorum, sectiones clericorum adinvicem, omnia vero a quovis externorum prospectu. Attamen facilior usque fiat aditus clericorum ad eos Moderatores cum quibus illi frequentiora habeant negotia. Idcirco Rectoris, alterius a Rectore, Moderatoris Spiritus ac Studiorum Praefecti cubicula propius alumnis adsint, quo fiet ut aditus alumnorum ad Moderatores quam brevissimus constituatur, et per ambulacra cursitatio devitetur.

2. Loca tum Superioribus, tum clericis destinata ita dividantur ut nemo in eodem situ maiorem diei partem, et multo minus integram diem transigere debeat, quod plurimum valetudini et disciplinae officit.

3. Facilior fiat, quo liceat, advigilantia disciplinae [non tamen ita ut Seminarium loco carceris sit], itemque iussorum evulgatio, maxime quae ad disciplinam spectant, ut v. g. quae Vice-rector cum contuberniis Praefectis communicare debeat.

CLVIII. — Ad peculiares Seminarii partes quod attinet sequentia prae oculis habeantur:

a) Sacellum quod Altissimo tamquam sedes destinatur, summa prorsus decentia, munditie ac decora venustate enitere oportet, ac in illud uberiora profecto quam in cetera sunt constituenda. Quare quum ad illud tum Moderatores, tum clerici frequentius accedere debeant, expedit ut facilis sit aditus, aç situs veluti in medio totius aedificii. In eo vero Institutores subsellia habeant a clericorum subselliis distincta, alumni seorsim a famulis sedeant, et unicuique

contubernio sedes propria destinetur quam quisque semper servet. Subsellia omnibus sint commoda ac ita ut quisque spatium saltem unius metri habeat: lumen sit facile ac copiosum, ac quum in tenebris ordo consistere nequeant, fere numquam deficere illud oportet. Ceterum omnia ita disponantur ut advigilandi ratio facilis, tranquilla ac decens esse possit, et ea omnia quae nec rerum gravitati ac difficultati, nec loci dignitati conveniunt devitentur.

b) Triclinium non unum sit Superiorum et clericorum, quum non semper par utriusque ordinis ratio sit. Etsi non luxu, tamen munditia eniteat, aeri commodum, mensis ac sellis bene dispositum; sellae vero scamnis praeferenda sunt. Inter dapes etiam opportuna lectio praesertim ex historicis suppeditetur, paucis tantum diebus festis aut solemnibus exceptis: de quo opportunius alibi.

c) Contubernia alumnorum [aula, nimirum, studii, solatii ac dormitorium] tot constituantur quot eorum numerum postulaverit, ut mox dicemus.

d) Aula magna, scholasticis ac familiaribus solemnitatibus apta, ne desit in qua tum spectatores, tum moderatores, tum alumni rite se haberi possint.

e) Ambulacra satis ampla commodaque adsint in quibus tum alumni, tum Moderatores libere discurrere ac in aeris intemperie solatium capere possint.

f) Colloquutorium adeo facile externis pateat ut in interiora domus invisentes non admittantur; hinc penes ianuas constituendum erit.

g] Auditoria totidem quot classes sunto.

h) Vestiarium ubi tum alumnorum, tum Seminarii lintea fideliter, at ex ordine asserventur, habeatur.

i) Culina, cella promptuaria et vinaria in inferioribus Seminarii partes constituantur ut malus eorum odor domum ne inficiat.

l) Foricae *vero alumnorum accomodatae sunto, aeri expositae et juxta hodierna hygienica praecepta constructae sint* [1]. Tum prope aula studiorum, tum singulis in cavaediis

[1] Decret. S. Congregationis cit. in append. art. 6.

pro singulis contubernis, ab illis pro scholis et Superioribus separata constituantur.

Uno verbo, adeo Seminarii partes tum in se, tum separatim et intra se constituantur ut hygienis jussa expleantur, ac disciplinae postulata facilius promptiusque assequantur.

CLIX. — Locorum suppellex qualis ecclesiasticos deceat, ordinem hyerarchicum servet, omnibus commoda et ad rem utilis quam maxime sit.

a) Sit qualem ecclesiasticos decet: expedit enim ut omnia quae cum ecclesiastica gravitate non conveniant [quam alumni numquam cognoscent nisi a Seminarii limine discant] et multo magis quae in externos veluti scandalum pariant caveantur.

b) Hyerarchicam diximus suppellectilis dignitatem esse debere qualis, videlicet, gradum dignitatis illius cui in usu esse debet adeo manifestet, ut moderate dignior pro Superioribus quam pro alumnis constituatur, immo etiam visitatoribus externis opportuna pro eorum gradu suppeditari queat.

c) Omnibus commoda suppellex sit oportet ac suo scopo utilis, idest non ex aestheticis tantum rationibus, sed practica magis ad ordinem servandum utilitate delecta quod [ut alibi explicabimus] in decreto de quo agimus aperte praescriptum legimus: *Auditoria.... commoda scanna juxta typum hygienicum et diversae aetati alumnorum aptum habeantur* [1]. Et recte sana, nam si v. g. alumnis nonnisi incommoda nimis subsellia et genuflexoria suppeditantur iam occasio praebebitur qua suo muneri deficere facile possint, vel ad supererogatoriam nimis patientiae exercitationem adigentur. Ceterum etiam valetudinis ratio gravis haberi debet ut, nullo negotio, mens sana in corpore sano habeatur.

Quod si alicui videamur lepide quidem at inepte tales conditiones locorum constituisse [quum in praesentibus rerum adiunctis vix ea haberi possint quae summae necessitatis et indigentiae rationem leniant] haec saltem usu practica

[1] S. Congregationis decret. in append. Artic. 2.

fore ubi de novis instituendis res agatur respondebimus. Interdum enim [etiam nunc temporis] nova eriguntur Seminari arcaico more: si quis vero aliquid commodi recentioris aetatis inibi inducere velit subversionis spiritus statim incusatur!

CLX. — Quantum licet bina in dioecesi Seminaria constituantur quorum unus minor, maior alter sit. Quum enim aetatum ac studiorum alumnorum necessitates omnino diversae sint, et quum ubi simul pueri, juvenes ac in sacris constitutis degant, his apte consulere fere impossibile evadat, huius divisionis congruentiam per se patet. Enimvero secus, dum adulescentibus puerisque utilia saepe disciplina jubet, inutilia forte ceteris tironibus praecipiet atque [vicissim] quae provectiori aetati apte tradit, parvulis incommoda comparat. Ex his diversae aetatis tirones ita seiungendi ut quae ipsis utilia sint tradere disciplina possit urgens necessitas evincitur, quod in spirituali praesertim institutione locum obtinet cui, saepe nimis, haec clericorum commixtio perniciosissima exta'. Ad rem vero:

a) In Seminario minori alumni qui gymnasii scholas adeunt et *forsan* quae lyceo sive cursu philosophico student adsciscantur. *Forsan* diximus, quia philosophos cum theologiae auditores in Seminario majori cooptare consultior erit, quod tamen ex clericorum numero plurimum dependet.

b) In Seminari maiori vero theologiae alumni cooptentur, et si altioris ordinis Institutum in dioecesi habeatur inibi constituatur.

CLXI. — In singulis seminariis alumni sacrorum in plura contubernia distribuantur, ut Tridentinae Synodus Patres et decretum de quo agimus praescribunt. Primi enim decrevere: *Hos pueros Episcopus in tot classes quot ei videbitur divisos, juxta eorum numerum, aetatem ac in disciplinae ecclesiasticae progressus* dividet [1]; Pius PP. X vero [per

[1] Loc. cit.

S. Congreg.] decernit: *In contubernia distribuantur alumni iuxta aetatem, scholam et Rectoris iudicium* [1]. Criteria vero ad rem quae prae oculis habenda sunt brevi commentario egent. Igitur in contuberniorum constitutione:

1) Alumnorum numerus spectandus est: si enim viginti vel triginta tirones pluribus in contuberniis dividantur id non tantum ridiculum, sed et disciplinae contrarium foret. At si ex. gr. Seminarium ex quinquaginta constaret alumnos, duo contubernia omnino apte constituenda videntur. Si vero plures adhuc haberentur, plura contubernia instituantur, quorum unumquodque non minorem XV, nec duplo maiorem numerum alumnorum complectatur. Secus primo in casu omnis disciplinae aemulatio ac vitae communis institutio vis disperiret: in altero vero potiusquam clericalis institutio, militaris haberetur: quo enim subditorum numerus augetur, eo minus singulis operam impenditur. Idcirco qui [ut saepe evenire contingit] XC vel C alumnorum contubernia constituunt, potiusquam rationales clericorum partitiones, eorum alvearia statuere dicendi sunt.

2) Alumnorum quoque aetas consideranda, quae, ut plurimum, simul cum eorum scholae gradu convenit. Enimvero quum ratio cur alumni pluribus in contuberniis distribuantur in eo tota sit ut iis quae eorum aetatis ac studii necessitatibus sunt aptius consuletur, si haec norma posthabeatur, huius disciplinaris industriae utilitas omnis evanesceret. Ad hoc adsunt qui scholae criterium consulunt et illud ex aetate deducto praeponunt, ac propterea grammaticorum, humanistarum, rethoricorum ac theologorum contubernia constituunt. Adsunt, e contrario, et alii qui diversimode pueritiae, adulescentiae, iuventuti ac virilitati aetati consulentes, tot contubernia haberi volunt quot illis respondere censent. At potiusquam negotium esse de re, de modo tantum quaestionem hic haberi arbitramur: nam, ut diximus, ut plurimum aetas adeo cum schola simul incidit et vicissim ut qui uni consulunt et aliae consulunt. — Ceterum in utriusque ra-

[1] Artic. 115.

tioni normaeque conflictu [quod raro accidit] ut aetatis criterium [in quo tota huius divisionis ratio consistit] primas partes obtineat suademus. — Materna vero S. Sedis discretio fere totum hoc negotium Rectoris iudicio committit, qui igitur in hac divisione statuenda authenticis alumnorum necessitatibus, potiusquam burocratiae [uti aiunt] exigentiis consulere tenetur. — Qua in re et charitas quae praesertim inter eiusdem contubernii alumnos vigere debet, et eorum Praefectorum circumstantiae spectandae sunt. Nam si animorum dissensio nimis, vel e contrario, nimia familiaritas duos inter almnos haberetur, vel Praefectus adversus aliquem praeiudicata opinione laboraret, contendentes dividere antequam contentionis mali fructus habeantur Rectoris prudentiae profecto erit.

CLXII. — In anni scholastici initiis contubernia clericorum constituenda sunt, nec sine gravi ratione eo decurrenti immutentur. Quum vero necessitas cogat, ascensus semper ac fere numquam descensus inducatur: ille enim honori et praemii, hic vero dedecoris ac poenae effectus adeo habent, ut si parce illo, parcius tamen hic postremo utendum sit.

CLXIII.— Inter eiusdem Seminarii diversorum contuberniorum alummi nulla consuetudo sit. Quamvis enim uno in Seminario ipsi omnes degant, ac generali ratione eidem institutioni studeant, attamen si quae peculiaribus eorum sunt necessitatibus consulere quis voluerit hanc consuetudinem ubique prohibeat, et ne reapse inita per fas et per nefas faveatur sedulo intendat. Nam quantum in scholis praesertim, in ambulacris et in sacello quoque tum verbis, tum scriptis, tum nutis haec sapiens prohibitio in periculum adducatur lippis et tonsoribus notum est. Quapropter in decreto de quo agimus omnino sapienter statuitur : *Alumni constanter divisionem inter varia contubernia servent, tum domi, tum extra, ita ut alumni diversorum contuberniorum nullum inter se ineant consuetudinem nisi de Superioris licentia* [1]. At tamen [ut aliquid ad rem pressius afferamus] quum ita a natura conditi simus ut nitamur

[1] Artic. 136.

m vetita ac eo magis cupiamus quae negata fuere, ut hanc divisionem nullo exteriori apparato Institutores curent enixe suadendum putamus. — Exceptiones vero quae in re haberi possunt Rectoris demandantur qui quid charitas prudentiaque requirunt et huc quoque prae oculis habere oportet. At tunc quoque raro ac breviter et pubblicó in loco concedenda conventio est, et [ne fiat medicina venenum] sedulo advigilandum. — Quoad vero relationes quae disciplinari modo varia inter eiusdem Seminarii contubernia haberi possunt, hyerarchicam rationem adeo servetur ut minora maioribus locum semper cedant, et reverentia ac sincera amicitia ad invicem sese prosequantur. Quod adeo ubique semper servandum, ut eiusdem inter familiae fratres minores erga maiores decet.

CLXIV. — Et de loco singulis alumnis constituendo Legislator edicit, decernens: *Unicuique in schola, in triclinio, in sacello, in deambulatione ecc. locus adscribatur et, ad forendam ac servandam mutuam charitatem, interdum immutetur* [1]. Quae verba, quippe quae praevalida disciplinae monimenta praebeant brevi commentario egent. Idcirco:

a) *Unicuique... locus adscribatur*, et recte sane quum si secus [ut patet] confusio et gravis ordinis perturbatio exoriri consuevit; in re enim libertas, licentia est. Singulorum itaque contuberniorum Praefecti suorum alumnorum ordinem disponant.

b) *In schola,* quod non tantum de auditoriis, sed et de studiorum aulis quam maxime, ubi diutius alumni commorantur, intelligendum est. In scholis hoc munus Antecessoris, in studiorum aulis contuberniorum Praefecti est, et ut, interdum [ne unus destruat quod alter aedificat] ad invicem Magistri ac Praefecti et hac de re simul consilia conferant suademus.

c) *In triclinio et in sacello* ante omnia singulis contuberniis *locus proprius* constituatur, hyerarchica ratione eligendus. Deinde et alumnis singulis locus proprius

[1] Artic. 116.

heic quoque assignetur: nam hac ratione, his praesertim in locis, plura peculiariaque disciplinae incommoda praecaventur.

d) In deambulatione, quod tum infra, tum extra Seminarium locum haberi potest, ut alibi opportunius admonemus.

e) Ad fovendam ac servandam mutuam charitatem locus interdum immutetur. Quibus legis verbis qui, ordinariis in adjunctis, ter vel quatuor scholastico in anno alumnorum locum immutaretur satius fecisse ducimus.

Ad rem praeceptum generale recolimus, nimirum: Praefecti contuberniorum nil statuant nisi de Vice-Rectoris consensu: Rector vero, ut plurimum, directo modo in hoc ne se implicet, sed primis ac altero totum fere negotium committat.

CLXV. — Singula contubernia tum studiorum ac solatii aulam, tum dormitorium, tum cavaedium proprium, propriumque Praefectum ac servum habeant.

1) Aula studiis destinata capax, aeri commoda[1] ac recto ordine disposita sit. Scriptoriae mensae adsint in gyrum circa parietes dispositae, satis amplae ut libri cum ordine super vel circas illas collocari possint. Quantum fieri possit curetur ut haec aula dormitorio proprii contubernii sit proxima, quo et per ambulacra cursitatio devitatur.

2) Aula solatii addicta singulis contuberniis constituatur ut Legislator jubet: *Ad animi relaxationem pro variis contuberniis designata loca habeantur*[2]. Inibi, tum in tempestatis inclementia, tum post coenatum alumni conveniant; secus pessimam illam consuetudinem induceretur qua tum in studiorum aula, tum in dormitoriis solatium capere alumni coguntur: quod quantum disciplinaribus, hygienicis, morum, charitatisque praeceptis adversetur, nemo est qui non videat.

3) Dormitorium in quo alumnorum lecti ita disponantur ut capita ad parietes sint, lecti vero frons frontem alterius respiciat, atque spatio saltem unius metri ab ea se-

[1] Cfr. in decret. appendic. art. 1. [2] Artic. 121.

paretur; nec in singulis dormitoriis plures quam duae series lectorum admittantur, ne singulorum advigilantia praepediatur. Ut alumnis, praesertim aetate ac studii provectioribus, cubicula unicuique praesto sint suademus. Noctis quoque tempori ea luminis vis adsit quae, quin somno obstet, ad distinguenda obiecta sufficiat. — Numquam vero dormitorium tamquam studiorum vel solatiorum sedes adhibeatur.

4) Cavaedium sive hortum totidem constituantur quot Seminarii contuberniis respondent, et in quibus, quoties aeris tempestas permittit, semper et omnes clerici honestum solatium capere possint.

CLXVI. — Clericorum operarum apta distributio, seu, ut aiunt, horarium, ad ordinem in Seminario servandum quam maxime confert. Idcirco peropportune a Legislatore praecipitur: *Ordo actuum communium singulis horis adscriptorum statuatur, tum pro diebus in quibus lectiones habentur, tum pro aliis in quibus scholae vacant: quique ordo exponatur ut de eo omnes notitiam habeant. Peculiaris ordo statuatur pro feriis autumnalibus in quibus praeter pietatis exercitia, brevis saltem hora dicetur lectionibus et studio.*[1] Ad rem sequentes, haud parvi momenti, normas prae oculis habeantur:

a) Generalem totius Seminarii horarium constituatur, quod tamen haud impedit quominus, praesertim studiis quod attinet, singulis curriculis vel contuberniis peculiare decernatur.

b) Hygienica in re praecepta prae oculis habere oportet quae suadent ut, ex XXIV diei horis, VII sommo, V solati ac deambulationi, 1 refectioni tribuantur, cui per horam circiter solatium succedere debent. Nec in re studiorum ac pietatis iura posthabenda sunt, quae IV saltem hor. scholis, V saltem studiis et saltem II pietatis exercitationibus tribuendae exigunt. De caetero haud eadem criteria quae diebus communibus, festis ac feriatis praestitui licet. Enimvero in illis studium et operam, in alteris pietatis negotia, in istis vero

[1] Artic. 117.

solatia praevalere oportet. Neque secus tenendum de diversis anni quatuor temporibus, neque de scholari anno ac de vacationum tempore, quum solis cursus ac diversas aeris conditiones diversae exigant curas, et si scholari in anno plurimum studio, in vacationum vero tempore, e contra, plus solatii tribuendum est. Potiusquam vero in re nota immoremus, horariorum specimina ad voluminis calcem exhibenus [1].

c) Horarium non adeo urgeatur ut nulla prorsus immutatio permittatur, sed tantum ut de concessa immutatione vel dispensatione tempestive Seminarium certior fiat, consulatur. Ceterum etiam ea quae horario iamdudum sunt praescripta, si extraordinarium quid referant, in mentem subditorum revocentur, iisque palam et publice edicantur.

CLXVII. — Tandem in re de qua agimus nec Annuarium, uti vocant, exigui adiumenti est; parvum, scilicet, molae ac formae libellum in quo Seminarii status quoad personas, praelectionum vel vacationum ordinem, et libros in textus usum deducendos, brevi at perspicue, recensetur; quae omnia per partes explicandae sunt. Idcirco :

a) Seminarii status quoad personas, tum Moderatorum et Antecessorum, tum alumnorum omnium [in contuberniorum ac scholarum ordine distributorum] nomina contineat: primi antecedant, alteri sequantur oportet.

b) Praelectionum vel vacationum ordo proprium verumque *Scholasticum Kalendarium* efficit, per singulos menses eorumque dies, adeo exarandum ut quamvis per initiales litteras [idest *doc.* vel *vac.*] attamen dies feriales vel feriatus indigitentur, clare et perspicue innotescant. Nec concertationum, speciminum et tum per bimestre, tum per semestre et annum periculorum a clericis [ex S. Congregationis decreto] habendorum ordo desit; sed adeo explanetur ut tum eorum initium, tum eorum prosequutio per classes indigitetur. — Quin immo, non tantum periculorum annualium ratio, sed et eorum reparationis [uti aiunt], et pro sequenti anno ad Seminarium admissionis adeo

[1] Cfr. paradigma.

statuenda est ut nec Antecessoribus, nec alumnis, neve ceteris quorum interest quid inopinatum accidere possit.

c) Librorum elenchus in textum deducendorum sequatur, in quo non tantum tituli, sed et editiones ab Ordinario approbatae, iuxta curriculos et classium ordinem, indigitentur.

d) In Annuarii exaratione et in eius promulgatione absque Ordinari accedente approbatione nil statuendum; quin immo si Episcopus ipse ex officio Seminarii huius ordinis observantiam omnibus iubebit, optimum erit. — Ad Annuarii promulgationem quod spectat hoc unum monendum, scilicet, ut saltem in primo scholastici anni mense habeatur, ut loco patenti omnibus proponatur, et Moderatoribus clericisque singulis tradatur. — Quum vero, inopinata ratione, quae iam statuta fuere immutanda vel aliquantulum fuerint [ne confusio exoriatur] omnibus quorum forte interest, utpote Magistris vel alumnis, publico edicto, perspicuo in loco, vel in triclinio promulgato, nuncianda erunt. Sed tunc quoque curandum ut ipsis verbis quae a Rectore caute praescripta fuerint nuntiatio rite fiat. Haec omnia legis mens exigit, haec perspicuus quoque Seminarii ordo requirit.

Articulus IV.

De Rectore studiis erga officia

De hoc permagni momenti themate agentes quae Rectori scitu vel necessaria, vel utilia exhistimamus brevi recolemus. At ad rem de externa primum Seminarii studiorum constitutione dicemus; deinde quae in re generali ratione praestare Rector debeat; postremo vero de peculiaribus clericorum studiorum curriculis et de inibi aemulationis mediis sermonem instituemus [1].

[1] Quas hic de studiis summatim indigitamus normas Rector pienius addiscet ex altera [in decret. *De reformatione Seminariorum*] Commentarii nostri parte, cuius titulum: *De Ratione Studiorum in Sacris Seminariis* [Pustet-Herder, 1909], ubi enucleatius de re diximus.

§ I. — Quid, ad externam Seminarii studiorum constitutionem quod attinet, Rector attendere debeat.

Summae rerum. — CLXVIII. De anno scholari duratione. — CLXIX. De illa singulorum curriculorum. — CLXX. De classium externa constitutione. — CLXXI. Quot vero scholis per diem horae impendendae. — CLXXII. De magisterii quotidiani divisione. — CLXXIII. Quae ad singulas praelectiones spectet. — CLXXIV. Quae lingua in clericorum institutione adhibenda. — CLXXV. Conclusio.

CLXVIII. — De Seminarii studiis argumentum instituentes, ab eorum externa constitutione initium nos ducere haud miretur Rector; quum hoc uti rectae eorum institutionis fundamentum censeri debet, et ad clericorum utilitatem afferendam plurimum valeat, quod ut plura a [quibusdam neglecta] concinne recolemus experientia suadet. — Quoad anni scholastici durationem haec omnino alio S. Congregationis decreto praefinitur: *Annus scholaris IX mensibus minor non erit*[1]; verum liquet his novem mensibus etiam tempus periculis vel faciendis, vel reparandis impendendum comprehendi. — Quum vero variis pro Gentibus, variae de re consuetudines vigeant, peculiares scholastici anni fines haud prudenter a priori praestituere possumus: locorum igitur traditionibus heic quoque consulatur.

CLXIX. — Quoad singulorum curriculorum durationem S. Congregatio statuit:

a) Quoad *Gymnasium quinque classium curriculo quinquennio accommodato explebitur*[2]. Quibus ex verbis nescimus an omnino recte deduci possit haud in posterum gymnasialem curriculum coarctare alumnis licere, quod de coetero, gravissimis paedagogicis momenti rationibus vetatur. At haud semel tum parentes, tum tyrones ipsi [praesertim ii qui acutiori ingenio pollent] ut unam alteramve gymnasii

[1] Decret. X Maj 1906, II, 6. [2] Ibid. II, 6.

classem omittant [*franchir la classe*] pertinaciter scisciant: illi ut impensae minuantur et sacerdotium citius attingant, hi ut gloriam apud condiscipulos assequantur. At quotidianus usus et experientia docet, ut plurimum, huic desiderio obsistendum esse; quum persaepe hi conatus in detrimentum rectae alumni institutionis vergant qui, cum magno labore et nonnunquam etiam dedecore, caeterarum scholarum curriculum ita aget, ut qui jam primas, neque ultimas postea partes obtineat. Idcirco numquam huic desiderio satisfaciendum est, nisi severioribus periculis praehabititis quibus tantum quid agendum sit decernatur.

b) Quoad lycaei vel philosophiae curriculo refert ibidem statutum est: *Lycaeum in tres classes triennio accomodatas dividatur*[1]. — Quod de gymnasiali curriculo non coarctando mox diximus, de philosophico etiam multoque magis iterandum est, quum fere omnes disciplinae quae hic traduntur, quibus idonei Ecclesiae Ministri evadere optant, ullam coarctationem permittant. Ut caetera omittamus, quum hisce praesertim temporibus omnigena errorum monstra et opinionum deliramenta miserrimae et insanae philosophiae e latebris emergant [unde tanta in Ecclesiam et civilem societatem perturbatio existit], nihil tam opportunum, quin immo necessarium occurrit quam ut adolescentes clerici sanae ac sincerae philosophiae latices hauriant, eiüsque doctrinarum peritissimi evadant, quo tantum non solum ipsi ab eo contagio praecavebunt, sed insuper et christifideles illaesos custodient. Quod [ut candide fateamur] ab uno tantum philosophiae anno, et ab infantibus ludicris adhuc inhiantibus assequi posse nemo cordatus consentient. Quapropter omnino sapienter Episcopos uno tantum anno in disciplinis philosophicis privatim incumbere alumnos renuntiantes, ut majoris temporis spatio in earum facultatum studio clericos detinerent S. C. Concilii iterum atque iterum admonuisse nobis certo constat.

c) Quoad theologicum curriculum Legislator statuit: *Theologia quatuor annos complectatur*[2], cui, pro his qui Urbem, studiorum causa, adeunt et S. P. Pii X

[1] Ibid. III, 6. [2] Ibid. V.

jussum accedit. *Nemo ad sacerdotium promoveatur qui quartum theologiae annum rite non expleverit ac periculum feliciter superaverit*[1]; quibus ex verbis quatuor theologiae annos debere esse omnino aperte constat. De coetero ne hic curriculus coarctetur majoris momenti rationes quam pro philosophico sunt; theologicus enim curriculus veluti sacerdotalis status propria schola habetur, sine qua nec vix quidem apti Ecclesiae Administri clerici compararentur. Huius curriculi est non festinatione, sed ponderatione maxima leviticam vocationem tam apte perscrutari ut tum a clericis, tum ab eorum Moderatoribus [qui rationem pro ipsis reddituri sunt] vera Dei voluntas perspecta habeatur. Huius curriculi gradatim ad sacros ordines praeparare est, quum [ut in S. C. decreto habetur[2]] primo et secundo anno ordines minores, tertio in anno subdiaconatus, quarti anni Pascha diaconatus, et sub eiusdem anni exitum presbyteratus suscipiatur. Ex quibus aliisque [quae facile subaudiuntur] rationibus, an theologiae curriculum coarctare deceat qui vere bono Ecclesiae inhiant videant. Laicalium Universitatum auditores pluribus immo annis quam pro sacerdotio clerici, ad vitae cursus parantur; sex enim pro medicinali, et fere septem pro aedificandi arte requiruntur. Quid igitur mirum si qui altaris inhiant servitio et populorum duces esse debent quatuor annis studiis insistant? Quum festinantium ingredi in Sanctuarium vocatio saltem dubia habenda sit, eo magis graviore ponderatione eget, qua tantum solidarum virtutum et ecclesiasticae scientiae exercitatio, ad opus Dei digne ministrandum comparentur. Idcirco festina lente; nam quod festinanter struitur et festinanter ruit!

CLXX. — Quoad vero singularum classium externam constitutionem tum de alumnorum admissione, tum de eorum generibus, numero et dispositione sermo esse potest.

a) Quoad tyronum admissionem ipso rationis sensu principium generale suadetur observandum: *nullus*

[1] Epist. ad Em. Card. Vicar. die 5 Maj 1904, n. 8.

[2] Artic. 12, 13.

majoribus classibus cooptandus esse nisi regulariter inferiores expleverit et rite promotus fuerit[1]; secus arbitrio at non regula clericorum institutio regeretur. Nec hisce contentus Legislator quoque addit: *In scholis adsignandis religiosissime serventur dispositiones studiorum generalis programmatis*[2], quae his redeunt:

1) Pro curriculo gymnasiali: *Is qui classibus gymnasialibus cooptetur, scriptam exhibeat fidem qua, praecedentibus classibus rite expletis, idoneus ad petita ostendatur: sin minus periculum admissionis subeat*[3].

2) Pro curriculo lycaeali vel philosophico: *Nemo ad lycaeum admittetur qui gymnasii curriculum rite non expleverit et pericula feliciter non subierit*[4].

3) Pro theologico curriculo, quamvis Legislator nihil in re expresse decernant, attamen idipsum tum recta ratio, tum momenti quo haec studia prestant aestimatio consulit. Enimvero de theologico curriculo quae sequuntur intelligi possunt: *Nullus admittatur in scholas superiores nisi de more expleverit scholas inferiores atque pericula superaverit*[5]. Quin immo quae sequuntur observanda et sedulo sequenda: *In scholas superiores non admittantur nisi juvenes qui indicia praebuerint vocationis ad statum clericalem*[6].

4) Universim *vero alumni qui, absolutis inferioribus scholis in aliquo Seminario, aliud adeunt ad studia superiora aggredienda, documenta expletorum studiorum ac bonae vitae rationis a Rectore dimissa afferant*[7].

b) Si vero alumnorum genera spectemus quaestio de externis et internis clericis Seminarii scholas frequentatibus, iterum in discrimen adducitur. Quamvis ex decreti mente et ex ipsa Instituti indole, in Seminariorum scholis alumnos externos haud admittendos esse evincitur, attamen pluries ex temporum locorumque

[1] Artic. 84.
[2] Artic. 82.
[3] Decret. X maj cit. II *a*.
[4] Ibid.
[5] Artic. 84.
[6] Artic. 86.
[7] Artic. 85.

circumstantiis huius regulae exceptiones pro gymnasio et forsan lycaeo suadentur. Attamen numquam, aut saltem perraro, idem dicendum de theologiae curriculo quo propius ad sacerdotalia munera clerici parantur; cuius consilii rationes in comperto habentur, et in re diutius immorare haud praestat. — Quum vero in inferioribus gymnasii vel lycaei classibus exceptiones habendae sint, tunc ne alumni inter sese indiscriminatim versentur *summopere cavendum est, et si scholas petant alumni externi, ab internis ita separandi sunt ut clerici externi in gymnasiis separata subsellia occupent, et ita, sive stent sive moveantur, segregati sint ut nullum cum internis alumnis sermonem intexere, multoque minus litterulas clanculum dare, aut salutationes aliaque mandata forinsecus peragere numquam valeant*[1]. — Quod saluberrimum consilium etiam quum diversorum Seminarii contuberniorum alumni eadem classem adeunt prae oculis a Magistro habeatur, ne sapientissimae disciplinae leges miserrime labefactentur, quo fiet ut quod extra scholam [magno labore] struitur, intus destruatur.

c) Quoad alumnorum numerum singulis in classibus cooptandum, in gymnasii praesertim curriculo [in quo adolescentes tum in disciplina, tum in institutione maiori cura indigent] discretione maxima opus est. Quapropter ab omnibus qui genuinos ab institutione quaerunt progressus ultra XL alumnos classes ne constituantur; quod si tirones numero superiores multo habeantur, in duas eiusdem scholae sectiones dispescantur, ita ut eorum curam gerere Magister apte possit. Qui secus enim egerint [meminerint] operam omnem oleumque perdent: tantum enim in apum alvearia ordo esse potest.

d) Quoad alumnorum in schola dispositionem tum in philosophiae, tum in theologiae curriculo liceat quidem cuique ineunte anno scholari, sibi certum eligere locum, non tamen electum pro arbitrio immutare; si necessitatis constiterit ratio Antecessor ipse immutationem suadeat jubeatve. — In inferioribus scholis vero singulis alumnis locus in quo consideant a Magistro ipso

[1] Lucidi, *De Visitat. Sacror Limin.* Vol. II, cap. VI, n. 3.

statuendus est, ac etiam interdum immutandus, maxime si non bona cuisvis societas contigerit, ut a S. Congregatione jubetur: *In scholis cuique locus statuetur quem non mutent absque Professoris venia*[1]; alibi vero iterum: *Unicuique in schola, in triclinio, in sacello etc., locus adscribatur, et ad fovendam ac servandam mutuam caritatem interdum immutetur*[2]. Quae omnia, ut optimis paedagogicis praeceptis omnino concordantia, a Magistro ac Praefecto observanda consulimus, qui si suorum discipulorum in classe vel in contubernio locum ita statuet ut quamdam etiam aemulationem inter illos foveat optimum faciet. Boni enim Institutoris est sedulo omnibus uti mediis qui ad nobilissimum magisterii sui finem assequendum adducunt, et saltem ea omnia cavere quae ab illo deducunt: nam hac quoque in re illud pervulgatum effatum *qui spernit modica paulatim decidet* locum obtinet.

CLXXI. — Quot vero horae scholis per diem impendendae sint, aliud S. Congregationis decretum, [quod fere nihil de gymnasio et lycaeo in rem praescribit] de curriculo theologico haec consulit: *Theologia quatuor annis in quatuor classibus tradebit quotidie quatuor scholae horis*[3]. Ex quibus pronum est inferre horas per hebdomadam magisterio tribuendas in ullo curriculo XX pauciores constitui debere. Verum quum potius quod minimum litteris legis moderari, Legislatorum mos sit arguendum, quominus usque ad XXV horarum numerus augeatur nihil obstat. Ceterum mininum videri non debet quod ex XXIV horis quibus dies constat, nomine V scholis tribuantur; etenim re transitus ad aulas et praelectionum singula interstitia huiusmodi numerum sat minuunt. At quidem, quum in inferioribus curriculis Magistri, in superioribus vero alumni opera potior sit [exploratum est enim in his discipulos potius cogitando et reflectendo, quam audiendo proficere] adducimur ut eam rationem suadeamus, ut scilicet quo magis alumni in studiis progrediuntur

[1] Artic. 99.
[2] Artic. 116.
[3] Decret. X Maii 1907, v. *a*.

eo minores scholae horae fiant, ita videlicet ut ab eo quod est maximum [XXV hor.] ad illud quod est minimum [XX hor.] alumni a gymnasio ad theologiam gressum faciant. Neque exinde ordo disciplinaris quidquam detrimenti capit, quum generales Seminarii normas pro singulo curriculo peculiaribus regulis applicandas esse, certum sit.

CLXXII. — De magisterii quotidiana divisione ac duratione haec teneantur. In primis docendi negotium in ante meridianum et postmeridianum dividatur: quorum alterum, [uptote rei aptius] altero maius et longius sit oportet. — Quodvis vero consilium ineatur, cavendum est ne per intervallum duobus horis longius continenter doceatur, sed quamlibet magisterii horam breve otium intercipiat, in quo tamen Moderatores diligentius advigilent. Quare eorum consilium improbandum qui quum semel pro semper in die magisterium instituant, nec opportune operarum distributioni consulunt, ac propterea tum hygienis, tum studii commoda magnam partem disperdunt.

CLXXIII. — Demum quod ad singulas praelectiones pertinet, sunt qui unius disciplinae traditionem per sesquihoram, sunt qui per unam horam, sunt qui per tres horae partes producendam velint. Mediam viam, quae tutissima heic quoque existimandam censemus: profecto sesquihora minimum videlicet, tres horae partes autem minus quam oportet [praesertim si consideres non parvum tempus ingressibus et egressibus disperdi] cuilibet graviori quaestioni pertractandae sunt.

CLXXIV. — Quod vero ad linguam in clericorum institutione adhibendam attinet, paucis ab annis acerrime controvertitur. Traditionalistae [sit venia verbo] fere semper et ubique latino utendum esse sermone putant: reformatores [si ita loqui fas est], e contrario, vernaculum tantum adhibendum censet. Ad rem, ut medium quod est justi modi sedes babeatur, consulimus:

a) In gymnasiali curriculo distinctione opus est, videlicet;

I. — In inferioribus classibus [I, II, III] ad omnes tradendas disciplinas vernaculum adhibendum esse sermonem per se patet, quum [nostra aetate] v. gr. linguam

latinam, quin dicam mathesim, orbis terrarum descriptionem et si quid aliud, latino sermone haud tradi posse censemus.

II. — In superioribus scholis [IV, V] eadem quae in inferioribus leges serventur. Ecquis enim v. gr. vernaculae rethorices praecepta latine nunc tradere sanum putet? Attamen ne latine loquendi sermone consuetudo serius clerici addiscant, practicae ad rem exercitationes bis terve in hebdomada statuantur. At illud maxime quidem dolendum fateri debemus, iam non posse in nostris scholis felicem illam latine usque loquendi consuetudinem denuo excitari, quam [tanto cum commodi et famae emolumento] Maiores nostri fovere. Felices tamen qui huc pervenire possint!

b) In philosophico vel lycaeali curriculo de ratione philosophiae docendae quaestio tantum institui potest, quum caeterae disciplinae [ut per se patet] vernacula lingua tradenda sint. Cuius enim historiam, mathesim et alia huiusmodi latino sermone habere utilitatis est? — Ad philosophiam vero quod refert, quum haud desint qui linguae latinae usum in rem nulla adjumenta, immo, e contrario, plurima graviaque mala attulere putent, magna in re controversia habetur. Quamvis nova vernaculo sermone docendi ratio plurimis argumentis fulciatur[1], attamen haud quoque spernendi sunt qui vetustam tuentur, quibus diuturnae venerabilisque traditionis suffragium et S. Sedis iterata jussa[2] accedunt. Philosophia enim quam scholasticam dicunt et quae [ex Apostolica Auctoritate] in Seminariis excolenda est, vernaculo sermone perdifficillime tradi posse in comperto est. Insuper scholasticorum glossologiam [in theologico curriculo omnino necessariam] hac docendi ratione reddere, omnes qui docendi artem probe calleant

[1] Cfr. *Revue Neo-Scholastique*, Aout 1905.

[2] Ad rem cfr. Epist. *S. C. Acridior* Kal. Iul. 1908, Leo XIII. Encycl. *Depuis lè jour*, die 8 Sept. 1889, Epist. ad *Univ. Lovaniens.* 6 febb. 1896, Id. 8 sep. 1889; Epist. S. C. Stud. *ad Facult. Seminarii Mexicani*, die 14 dec. 1895: Id. Epist. *ad Facult. Hispan.* 30 Iun. 1896; Id. *ad Facult. Sem. Metropolit. Vallisoletan.* die 13 oct. 1897: Id. *Ad Facult. Luxenburg.* 14 sept. 1898; ecc.

fere impossibile esse facile consentient. Quum vero nihil tantam in scientiis confusionem parere consuevit quantum continua artis vocum immutatio [quae, ubi omnia vernacula lingua essent exprimenda, vix caveri potest], et quum peritissimorum nostrorum Doctorum, immo plurimorum SS. Patrum ipsa opera inintelligibilia prorsus evaderent, magnum tum theologicarum, tum juris disciplinarum detrimentum compararetur. Scholasticae philosophiae incunabula latina lingua ita crevit et aucta est ut [maximo et fere dictu incredibili Ecclesiae adjumento] ad quasi immortalitatis fastigium gloriosissime pervenerit. Quod si quis latinum sermonem alumni probe haud callere in contrarium opposuerit, quum ad scholastici sermonis intelligentiam magna profecto peritia opus non sit, vix credibilia proferret. Deinde vero summae necessitatis quae de latino addiscendo sermone in Seminariis viget nonnisi novum argumentum afferret. Quae omnia S. Sedis auctoritate suffragantur quae nuperrime lamentabatur: *Vehementer sane dolemus quod accepimus linguam latinam in quibusdam Seminariis ita negligi ut a disciplinis non solum Philosophiae et Juris Canonici, sed etiam ab ipsa universa Theologia remota esse videatur. Quod discipulis, iis praesertim qui subtiliori et exquisitiori ratione in magnis Lycaeis ad his disciplinas applicaturi sunt, maximum affert detrimentum*[1]. Quibus ex verbis aperto constat neotericam docendi rationem a S. Sede omnino improbari. — At de cetero nihil impedit quominus philosophiae Lector, praesertim quando difficiliora abstrusioraque tradit, vernaculo interdum sermone utatur: sed ut latino idiomate eadem resumat suademus[2]. Quo fiet ut quae utriusque linguae usu practica adjumenta sunt clerici assequantur, et latinam loquendi cogitandique praxim, in theologico curriculo necessariam, sensim sine sensu addiscant.

c) In theologico curriculo [paucas si demas fere secundi ordinis disciplinas ut v. gr. historia ecclesiastica,

[1] Epist. *S. Congregat. Studior.*, Kal. Iul. 1908.

[2] Cfr. Icard, *Traditions des Prêtres de S. Sulpice*, Par. III, Cap. III, § 3.

sacra eloquentia, jus sociale ecc.] fere semper et ubique latino sermone utendum est. Qui secus autument [de cetero laudatissimos viros] haud deesse cognovimus; attamen quid in rem clericali institutioni magis utile nobis videtur libere omnino aperimus.

CLXXV. — Quum nostra praesertim aetate [in qua novitatis studium ut substantiam evertat, modum in primis percellit] quaevis immutatio res plena periculi sit, nova allectantia itinera spectantes, at vetustas et tutas semitas sequentes, S. Sedis monitis et priscis, venerabilibus et utillimis traditionibus fideliter studendum est. Nec nostrae recte tradita aetatis spernere nos lector putet, quum [candide fateamur] an quae ad rem a reformatoribus traduntur revera recta sint diffitemur. Ex his quid in singulis Seminariis statuendum sit ii quorum interest facile coniicient. *Roma locuta est, causa finita est*, et utinam, omnibus contentionibus sublatis, nonnisi prompto obsequio et saluberrimae legis exequutioni locum fiat!

§ II. — Quid, generali ratione, in re praestare Rector debeat.

Summae Rerum. — CLXXVI. Quae in re iura ac debita Rectoris sint. — CLXXVII. De quibusdam generalibus principiis in re prae oculis habendis. — CLXXVIII. De *Ratione Studiorum* in Seminario constituenda. — CLXXIX De ad rem normis. — CLXXX. De Ecclesiae libertate in ibi vindicanda.

CLXXVI. — Quum [ex Legislatoris mente] ad Seminarii Rectorem *pertineat intima directio cum omnibus officiis ac juribus quoad... scientificam... Seminarii agendi rationem* [1], ad studia quod attinet quae eius potestas sit facile evincitur. Quapropter vehementer illi falluntur qui adeo Praefecti studiorum potestatem in Seminariis extollunt ut Praepositi in re auctoritatem imminuere passim videantur: nec minus Rectores errant qui, hac de re incuriosi, adeo

[1] Artic. 25.

Praefecto studiorum habenas remittunt quasi fere nullum de iisdem officii debitum ipsis sit. Rector igitur studiorum curam sedulo gerat, Praefectum studiorum directe in suo munere contineat, advigilet dirigatque, et per ipsum [ut plurimum] indirecte Antecessores omnes, et per Vice-Rectorem Contuberniorum Praefectos ut in re officio rite fungantur suo attendat: quibus si defecerit plurimi officii sui debitum neglexisse sciat. Ut vero pressius ad rem descendamus coetera sapientissima decreti verba recolere juvat. *Quoad studia attinet ut veros alumni in variis disciplinis progressus faciant, Rector inrigilet. Opportune itaque acta in quibus Professores quotidiani progressus in studiis et disciplina singulorum statum adnotent, perpendat: scholas visitandi, alumnos interrogandi ac periculis adstandi jus habeat: absoluto vero quovis bimestri, singulorum adnotationes Episcopo, vel Episcopis consilium constituentibus, mittat* [1]. Quae omnia cum borromianis praeceptis omnino concordant.

CLXXVII. — Hisce praehabitis, sequentia generalia in re principia Seminarii Praepositus prae oculis habeat, nimirum:

a) De doctrinae necessitate persuasus Rector sit. Enimvero qui fieri poterit ut sacerdos Domini, Ecclesiae in se vota effectu compleat ac opere si e Seminarii claustro ingentem non detulerit doctrinae ignem, quo praelucente, rectas semitas et ipse inire et aliis quoque commonstrare valeat? *Omnino in instituendis clericis sunt duae res necessariae doctrina ad culturam mentis, virtus ad perfectionem animi.* [2] Diximus quod remus ac vela naviculae illud esse sacerdoti doctrinae laudem ac morum sanctitatem, adeo ut horum alterutro deficiente optatam numquam maetam attingere, sed per devia passim obrui necesse cuique sit. *Eripiendus est enim error multiplex singula christianae sapientiae fundamenta convellens, luctandum persaepe cum adversariis apparatissimis in disputando pertinacibus qui subsidia sibi ex omni scientiarum genere astute conquirunt.* [3] Nam inimici crucis Christi, et [proh! quan-

[1] Artic. 32. August. 1891.
[2] Leo XIII, Encycl. *Quad multam*, ad Episcop. Hungarae, die 22
[3] *Id. Ibid.*

tum lugendum] quidam quoque contumaces eius filii sanam doctrinam non sustinentes, contra fidem et religionem catholicam teterrimum sane bellum hodie quam maxime excitant, atque contra eam [armis potissimum ex falsi nominis scientia depromptis] pugnant. — Studeat igitur et ultro vehementerque studeat clericus ad doctrinam contendere; etenim *studium unum est ex praecipuis officiis qui instituuntur ut simul fiant sal terrae et lux mundi... Alumni itaque omni cum diligentia operam dent studiis praescriptis..., in illa totum statutum tempus impendant, ab otiositate, animi corporisque veneno, abhorrentes* [1]. Quae omnia a D. quoque Carolo Borromeo enixe commendantur, praesertim quum, postquam studiorum leges perbelle tulerit, optat *ut clerici in his idoneos sacerdotes eradant* [2]. Enimvero *cum duo praecipue in sacerdote et animarum pastore requirantur, probitas, videlicet, ac doctrina, earum utraque in Seminario est comparanda* [3].

b) Ad Seminarii peculiarem studiorum indolem quod attinet peccari potest et per excessum et per defectum, quod utrunque sedulo cavendum.

I) Per excessum tunc peccatur quum scientia prophana vel ut finis ultimus, vel cum sacrae scientiae, detrimento appetitur. Qua in re curandum in primis ut clericus potissimam habeat de doctrinis sacris rationem: qui enim sacrorum iam alumnus ad sacra destinatur, cum sanctissimis usque disciplinis imbui oportet. Est sane et liberalibus nonnullis artibus sua honestas ac utilitas, nec spernenda illa; enimvero litteras prophanas, historiam in primis et scientias naturales, multiplici errorum veneno infectas videmus, quo fidelibus majora saepe quam aliis libris perversis qui de religione ex professo agunt, parantur pericula; oportet igitur ut haec falsi nominis scientia, per verae doctrinae cultum refellatur. Litterae quoque prophanae non raro aditum aperiunt ad refutandos errores illos qui religionem inter et scientiam dissidium intercedere perperam sentiunt. Quapropter etiam litterae et scientiae prophanae non

[1] Decret. S. Congregat., die XVIII Ian. 1908, Cap. II. *in Proemio.*

[2] *Institut.*, Par. I, Cap. 9.

[3] *Id. Ibid.*

praestans solum, sed utilissimum etiam, immo necessarium persaepe clerici sunt ornamentum et subsidium.

II) Per defectum peccatur, quum haud cavetur ne clericis dedecori ac detrimento habeatur si careant cultura generali quae a quocumque exculto requiritur. Scimus equidem gratiam Dei hominumque salutem haud dependere a scientia et cultura prophana hujusmodi [*nec* enim *per dialecticos*, ait Ambrosius, *placuit Deo mundum salvum facere* [1]], nihilominus Gratia non destruit naturam, sed elevat. *Hoc tamen non impedimur*, monet Pius PP. X. *quominus laude dignos existimemus... qui utilia doctrinarum studia in* omni sapientiae genere *persequantur ut inde, ad veritatem tuendam atque osorum fidei calumnias refellandas, instructiores fiant* [2].

III) At sacra maxime sunt quae Dei virum decent. An et usque tenebrarum filios prae filiis lucis prudentia excellere iubeamus? Nam et causidicum quae fori sunt, et medicum quae Galenus docuit, et architectum Varronis placita diligenter exquirere videmus; unum igitur Ecclesiae alumnum huc illuc vagantem omnia frustra exsequi quae sua non sunt, quae vero rerum divinarum ac regiminis animarum attinent contemnere ac despectui habere, monstrum prorsus censebitur. *Vinum scientiae saecularis*, D. ait Bernardus, *inebriat quidem sed curiositate non charitate, implens non nutriens, inflans non aedificans, ingurgitans non confortans* [3]. Quapropter studiorum ratio huc primum intendenda est ut, scilicet, clericalis institutionis indoli, idest pastoralis ministerii apprime respondeat. Idcirco *pergite... nihil unquam intentatum relinquere ut adolescentes Clerici in vestris Seminariis ad omnem virtutem, pietatem et ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ut in humilitate crescant... ac simul humanioribus litteris, severioribus disciplinis potissimum sacris ab omni prorsus cuiusque erroris periculo alieni ita diligenter imbuantur ut non solam germanam dicendi scribendique elegantiam... addiscant, rerum*

[1] *Epistol.* XXIV. die 4 Oct. 1903.
[2] Encycl. *E supremi apostolat.*, [3] Sermo 9 *in Cantic.*

etiam perfectam praecipue solidamque theologicam doctrinam, ecclesiasticae historiae et Sacrorum canonum scientiam, ex auctoribus ab hac Apostolica Sede probatis depromptam, consequi valeant[1].

c) Quoad studiorum spiritum spectat eo continetur ut finis et modus quo studia peragantur indolem ipsam quam praefinivimus foveat promoveatque. Quare:

I) Finis ergo numquam tantum ob oblectamentum aut commodum quod studiis inest obeunda sunt, sed praesertim ob utilitatem quam conferunt ad vocationis sacerdotalis metam assequendam, qua nempe sacerdos, tamquam candelabrum populo Dei illucescere, fallaciarumque mundi tenebras omnes dispellere iubetur. Quidquid igitur ad huius rei felicem successum confert excolendum, quidquid huic proposito alienum aut contrarium quam maxime devitandum. Enimvero *velle scire ut sciamus superbia est: velle scire ut sciamur inanis gloria est: velle scire ut lucremus simonia est; velle scire ut aedificemur prudentis est: velle scire ut aedificemus charitas est*[2].

II) Modi ergo summopere cavendum ne studia, tum superbia, tum indiscretione, in detrimentum pietatis ac intimae clericorum institutionis utcumque vergant; nam praecipuum hoc vocationis sacerdotalis negotium est quod studia promovere, non praepedire expedit. Quapropter cum humilitate et moderatione in studiis incumbendum est.

1) Cum humilitate quidem tamquam filii lucis in lumine ambulantes cum recta intentione, sine invidia aut contentione, sine vanae elationis cupidine, praecipue vero gratia magis ac magis sciendi mysterium Christi et Ecclesiae, quae est corpus Ipsius, caeteraque in ordine ad Christum omnia cognoscendi ardore. Propterea indesinenter et fortiter in studia incumbant clerici, sub auspiciis et ductu Spiritus Sancti, corda purificatis mentibus dantis intelligentiam. Eorum itaque studium semper praeveniat, comitetur

[1] Pius PP. IX, *Inter multiplices*, die 11 Mart. 1855.

[2] S. Bernard. Sermo 26 *in Cantic.*

et subsequatur oratio, qua, non modo de claritate in claritatem, sed etiam ibunt de virtute in virtutem, donec illis appareat Deus in Sion qui illuminans vultum suum super eos, splendoribus implebit et delectabit illos usque in finem.

2) Cum moderatione insuper clerici studiis dent operam, ita ut non omnes in illis vires nervosque adeo insumant ut discretio quid detrimenti persentiat; *sapere* quidem *iuvat*, Apostolus monet, *sed sapere ad sobrietatem* [1]. Quod quidem maxime cum nonnullis iam provectis alumnis invigilandum est egregia mentis acie [etsi non opibus fortunae] praeditis, in quibus [ut usus et experentia docuere] illud vitii crebrius contingere consuevit. Hi etenim, immodico quodam ardore discendi correpti, iam nec pietatis exercitationes, nec suam ipsorum valetudinem spectare videntur: quo fit ut, vera pietate vacui et fallaci scientia tumentes, vineae Domini vix profuturi, quandoque etiam sibi alliisque nocituri evadant. Quod si nihil Rectores proficiant, ut a sacris arceantur septis curent, quum hoc ipso insigne iam deficientis vocationis indicium dederint.

CLXXVIII. — Quaemadmodum vero Seminariis ordo omnis peculiaribus normis regitur ex quibus Moderatores et subditi officia sua cognoscunt et onera, ita etiam studia ipsa peculiari quodam ordine regenda sunt, quo Magistri et alumni quid praestare ad rem debeant aperto discant. Proinde, quod alibi iam questi sumus de defectu scriptae normae disciplinae, heic etiam de incommodis obventuris si scripta *Ratio studiorum* deficiat ingeminandum esset; nam tunc omnia casu regerentur, ac propterea incredibilis exoriretur confusio, qua fere omnis studiorum fructus periret. — Verum inde a limine animadvertere juvabit utrimque incommodum et periculum esse, tum si rationem hanc studiorum veluti immutabilem tradideris, tum si ita mutabilem dixeris ut, quibuscumque deficientibus rerum adiunctis, alia sit suscipienda ratio. Hic etiam *in medio tutissimus ibis:* videlicet substantia ipsa et qualitas disciplinarum, ut plurimum, immutabilis habenda erit: media autem

[1] *Ad Romanos*, XII, 3.

et modi quibus illae sint tradendae pro opportunitate accomodanda. Quare feliciter videtur cessurum si quotannis, antequam scholae patefiant, Magistri et Moderatores, adstante Episcopo, Rectore, Studiorum Praefecto, consilia conferant de practica studiorum ratione ineunda, praesertim decernentes libros ad textum adhibendos, praelectionum distributionem seu, ut aiunt, horarium, et alia omnia quae ad rem opportuniora videbuntur.

CLXXIX. — Certa igitur studiorum ratio in Seminario servanda praescribatur, quae quidem triplici parte constet, idest didascalica, disciplinari et paedagogica. — Prima duplicem normarum ordinem amplectitur, quorum prior, seu *didacticus*, doctrinas ipsas recenset, alter *paedagogicus* modum doctrinas tradendi potius respicit. — Quoad vero doctrinas ipsas Ratio studiorum iterum in duas partes dispescatur, quarum altera disciplinas ab omnibus obeundas complectatur, altera [certo quodam modo] quas obire alumnorum arbitrio integrum sit, de Rectoris tamen consensu. Quod et a S. Congregatione Concistoriali, saltem indirecte, sancitum nuperrime esse videmus, quum Episcopo sciscitet: *Quot amis, qua methodo, quorum auctorum textibus theologiae et philosophiae studia absolvantur: quot et quaenam disciplinae hisce accessoriae tradantur. Quot annis et qua methodo humaniora studia perficiantur, et his praeter linguam latinam, graecam, et propriae nationis, an et quaeman aliae disciplinae tradantur* [1]. Attamen certo quodam modo diximus, quum hae secundi ordinis doctrinae quaedam quoque complectantur quae, quamvis scholàstici curriculi finibus haud contineantur, ecclesiasticae tamen institutionis congruens complementum [consuetis in adiunctis] constituere videntur.

a) Priore parte, quam *necessariam* dicere placet, ea omnia studia continentur quae, ut aiunt, technica vel sacerdotio propria sunt. Attamen haec quoque haud innumera disciplinarum serie conficiatur, quam vix Studiorum Universitates utiliter praestare possint et va-

[1] *De relationibus dioecesanis et Visit. SS. Liminum*, cap. 7. [die 31 dec. 1909].

leant: diocesana enim Seminaria hisce haud exaequanda sunt. — Insuper in istis quoque disciplinis tradendis servetur quidem ordo ille quem cuiusque scientiae dignitas aut momentum demonstraverit, atque huic ordini ipsa horarum scholarum distributio adeo accomodetur ut et apud alumnos ipsarum aestimatio foveatur. Haec cautela, quae ab ipsa studiorum indole praescribi videtur, ad studiorum fructum uberiorem efficiendum maxime confert. Nam si idipsum temporis tribuatur, puta, theologiae morum aut dogmatum, quod hebraico sermoni aut antiquitatum notitiae impenditur, inconveniens profecto erit.

b) Disciplinarum secundi ordinis [veluti complementarium] cultus alumnis nisi constiterit eos, mentis acie ac diligentia, facilius iam pondus coeterorum studiorum, quae maioris sint momenti ferre, ne permittatur. Incautum enim est praestantiora aut exquisitiora persequi si prius necessaria vix comparata habeantur. Ceterum generatim Rectores *quid* alumnorum *valeant humeri, quid ferve recusent* probe prespiciant, et ne quilibet discipulus plura amplectatur quam quae valeat, caveant. *Pluribus* enim *intentus minor fit ad singula sensus,* et sanctissimum illud praeceptum *non nulta, sed multum* heic quoque prae oculis habeatur. — Item huius ordinis disciplinae ex illis potissimum deligantur quae ad sacerdotale ministerium uberius perficiendum conducunt; ex huius namque propositi utilitate hoc totum negotium adeo aestimandum est, ut quidlibet ad rem inutile aut superfluum videatur prorsus resecari promtius debeat. Id maxime quidem spectandum est ubi brevis ecclesiasticorum studiorum aetas ad finem properat, ubi sacrorum susceptio ordinum imminens fit. Quae si v. g. in gymnasii aut lycaei curriculo liberalibus artibus plus tribuere expedit, quum theologiae studium alumni inchoant pressius ad sacra revocentur oportet, quae unice excolere debeant. Haec profecto lex ab illis quoque religiose servatur qui studia sua ad saecularia negotia intendunt, quorum est quo magis ad exitum studiorum cursus appropinquant, magis ea studia quae generalia sunt postponere, ut optatae perfectionis status pe-

culiaribus incumbant, ita ut, v. gr. quae propria ad medicinae artem, rei litterariae vel geometrica praecepta excolant. — Quum consilium huiusmodi omnibus sane pervium, ad praxim deducendum est, non pauca obstant [ut quotidiana experientia docet] tum ex alumnorum, tum ex Magistrorum parte. Illi siquidem [his praesertim diebus in quibus tantus discendi ardor animos occupat] ad perampla distenduntur studia, et ita sacra prophanis perperam confundunt, ut saecularem magis quam clericalem sibi institutionem sectari videantur. Praeceptores vero quam docent disciplinam caeteris longe cedere oportere vix sibi persuadere valent, ac ex naturali quodam instinctu, ut discipulorum catervam augeant [in qua gloriolam suam consistere sentiunt] ad momentum illius sibi ac aliis exaggerandum pertrahuntur. Utramque itaque partem opportune cohibere ne quid nimis sibi arroget, ac strenue curare ut verae clericalis institutionis utilitas et incrementum veluti summa in his omnibus norma habeatur, Rectoris erit. Ad has vero disciplinas eligendas nonnulla principia prae oculis habeantur quae, paucis, his redeunt.

I) Harum disciplinarum numerum et ambitum coarctare magisquam nimis extendere opportunius erit, ut Albiensis Concilii Patres de amoenis artibus decrevere: *Parce tantum excolantur artes amoenae* [arts d'agrement]. *Harum enim effectus plerumque esse solent mentis dissipatio, jactura temporis, mundanarum rerum amor, toedium circa majoris momenti studia*[1]. Hoc plane et aperto constat; nam si contraria incatur ratio, quum quae magis necessaria sunt numero et pondere tanta iam habeantur, difficilius et nonnisi cum gravi incommodo excoli possent. Ceterum idipsum suadet tum alumnorum spirituale bonum [quod quidem ex studiorum satietate nimia non parum capiet detrimenti], quum ipsum rei familiaris seu oeconomiae Seminarii commodum, quod profecto nimiam Antecessorum multitudinem vix convenienter habere potest. Ad rem vero nihil sine Episcopi consensu fiat.

II) In seligendis quae non omnibus imponi

[1] Tit. IV, decret. 4, n. 8.

possunt disciplinis, facilitas et commodum caeterarum disciplinarum, quae sint omnibus *necessariae* prae oculis habeantur. — Quare ad illas condendas, nisi iam opportune his provisum fuerit, manus ne admoveatur. Quis enim agriculturae aut oeconomiae domesticae haberi cathedras laudabit ubi theologia pastoralis nulla doceatur, vel ubi [ob Praeceptorum penuriam] dogmatum, morum theologia, et ius canonicum in una tradantur?

III) Item earum delectus ex illis fiat quae maiori sint sacerdotibus adiumento futurae: neque doctrinae unice prophanae in Sacra Seminaria intrudantur, idque [maxime ubi alumni sacris suscipiendis ordinibus proprius accedant] multum caveatur.

IV) Nec omnes per modum offici obligent, neque omnes alumnorum arbitrio permittantur: nam [diximus] his tantum alumnis eas permittandas aut imponendas esse qui in caeteris sedulam magis ac proficuam navent operam. Ratio autem aperta eadem est, ne, videlicet, accessorium in principalis detrimentum vertat. Id communis hominum ratio palam profitetur, nec in studiis ecclesiasticis unquam, nisi cum gravi eorum detrimento, posthaberetur. Nam si secus, sacrum huiusmodi Seminarii Institutum, cuique laicorum [ut aiunt] polytechnicae scholae simile fieret, nec iam veri nominis sacerdotes, sed laicos quosque homines compararet.

c) In utriusque ordinis disciplinis recta fides perspicua sit semper ac omnibus indubitata. — In quo maxime cavendum est ne tum Antecessores, tum clerici novitatis studio unquam abripi se sinant, neve immoderatae falsique nominis critices quid indulgeant, quo dubii funestissima semina eorum in animis inseruntur. Quare si quis [quod Deus avertat] a recto videatur tramite deflectere, auctoritatis nomita ne expectent Rectores, sed insana zizania fortiter ex agro evellant ac, prae oculis habentes tantum Ecclesiae bonum et incolumitatem, illud unice enitantur ne domus ac sapientiae cathedrae, in pestilentiae latibula et cathedras misere immutentur. *Hoc in negotio.... nimia numquam erit animadversio et constantia.... Quare,*

officii conscentia freti, prudenter hac in re at fortiter agitote [1].

d) Principium generale quo Seminarii ordo studiorum in gymnasio tantum ac in lycaeo praestitui possit illud est ut, nempe, quod ad disciplinarum numerum et speciem spectat ecclesiastica schola neutiquam laicis aliis eiusdem generis scholis cedere debeat. Nam, si secus fieret, plures alumni qui infirmiore utuntur iudicio non alia de caussa ecclesiasticum statum amplecterentur quam eo quod necessariis secus destituti scientiae diplomatibus, magno negocio, laicalem honestam vitae rationem vix inire possent. — Huc accedit quod illa prae laicis inferior condicio etiam bono clericorum nomini ac uberiori ministerio valde officeret; et turpe quidem esset si quod laicis in scholis cum laude docetur, ignoraretur in nostris, et si sacerdos qui aliis praeesse et praelucere debet, ceteris scientia et doctrina longe minor inveniretur. Quapropter cum moderamine utique [quod prudentia et rerum adiuncta suggesserint] adnitendum est ut Seminarium [nihil de sua libertate ac integritate remittens] alumnorum suorum futuris etiam et possibilibus necessitatibus praecaveat, itemque de ministerio olim futurorum sacerdotum quam uberrimo efficiendo consulat, quod utrumque optime fertur punctum si in eo alumni non minora addiscant quam quae exceltus quilibet laicus didicerit. Ad rem pauca:

I) De gymnasio et lycaeo tantum loquimur; nam theologiae curriculus prorsus ab enunciata norma eximendus est; etenim quae huius curriculi propria indoles ecclesiastica est omnino sacra esse debet. In illis etiam regionibus ubi laicales Universitates Studiorum facultatibus non destituuntur theologicis, evidens est nullam, ob disciplinarum tradendarum numerum et singularum peculiarem ambitum, cum dioecesanorum Seminariorum scholis adaequationem fieri posse. Ad rem vero aliud quoque periculum cavendum censemus, minirum, Seminariorum dioecesanorum in Pontificias Facultates vel Ecclesiastica

[1] Encycl. *Pascendi*, die 8 Sept. 1907, II.

Athenea omnino improvida commutatio, quod profecto tum Ecclesiae menti, tum necessitatibus et facultatibus dioeceseos, ut plurimum, contrarium esset.

II) Numerum et indolem disciplinarum unice spectamus; nam quod attinet ad tractationis ambitum haec sane non eodem modo haberi poterit quo in publicis scholis, ubi alia studia clericis peculiaria non excoluntur. Hinc oportet ut omnes et singulae disciplinae utrimque tradantur; at in Seminario peculiaris servetur horarum ambitusque distributio qua clericalis institutionis commodo consulatur. Ceterum si recte res agatur ne clerici laicis in his doctrinis cedere debeant vix pertimescendum. Quae omnia peropportune S. Congregatio prae oculis habuit praesertim decretando: *In gymnasio disciplinae et horae ita servandae sunt ut simul latinae linguae institutio privilegium habeat*[1]. Alibi vero decrevit: *Lycaeum in tres classes triennio accomodatas dividatur..., ita tamen ut alumni sana philosophia magis imbuantur*[2]. Et iterum, paulo post, addit: *In tribus lycaei annis, praeter disciplinas programmatibus vigentibus constutas, saltem binae horae.... addendae sunt ut alumni sacram philosophiae institutionem absolvant in his praesertim quae ad rectam theologiae doctrinam omnino sunt necessaria*[3].

CLXXX. — Principium quod mox attigimus adeo a nonnullis conceditur ut ad extremum connitantur, quorum mens huc redit ut clericalis docendi ratio in omnibus cum laicali conveniat, ita quidem ut alumni eamdem studendi rationem adhibeant quae in publicis scholis, et pericula obire teneantur, quibus superatis, ad Universitates laicales quoque admitti valeant. Quum in hac quaestione gravissima implicentur iuris ecclesiastici principia quod ad libertatem potissimum Ecclesiae spectat in illis quae scholas respiciunt, quanta ad rem prudentia opus sit et iudicii maturitate nemo non videt. Quaedam normae opportunae heic traduntur:

[1] Decret. S. C. Stud'or., die X Maj 1906, II, *b*.

[2] *Ibid.*, III, *b*.

[3] *Ibid.* IV, *c*.

a) Ubi hinc vel inde quaestio haec, Ordinarii aut S. Sedis auctoritate, vel ex immemorabili, Ecclesia probante, consuetudine dirempta sit, omnis disceptatio cessat et promptae legis exequutioni locus fieri debet. — Nam ubi Ecclesia de suis huiusmodi iuribus sententia in peculiari casu tulerit, nihil iam desiderari potest. Cum enim ecclesiastica auctoritas locuta est, causa finita est, et sacrosanta eius iura, potiusquam praesumptuosa disceptatione, prompta obedientia tuenda sunt. Hoc ipsum valet si quid in pactis a S. Sede cum civili potestate concordatis de his statutum sit. Ad rem vero pro Seminariis Italicis [iisque solis] praescribitur: *Gymnasium quinque classium curriculo quinquennio accommodato explebitur: in his vigentia programmata, disciplinas et horas quod spectat ita servanda erunt ut simul latinae linguae institutio privilegium habeat, et alumni ad civilis auctoritatis testimonium seu gymnasialem licentiam rite assequendam parati sint*[1]. Et alibi iterum: *Lycaeum in tres classes triennio accommodatas dividatur: in singulis classibus vigentibus programmatibus institutio conformetur, ita tamen ut alumni sacra philosophia magis imbuantur et licentiam lycaealem assequi omnino valeant*[2]. Nec satis, nam Legislator sic alibi studiorum Praefectum alloquitur: *Praefectus... vigentia programmata aptabit et etiam immutabit horasque ita distribuet ut, salva rerum substantia et adaequata licentiae periculo institutione, maius tempus in disciplinas sacrorum alumnis magis necessarias impendatur*[3]. His autem verbis studiosa elucet sollicitudo consulendi ut applicatio practica quadantenus temperetur; quod quidem aperto constat peculiaribus eiusdem decreti praescriptis, itemque privatis nonnullis normis cum cuiusdam Italiae provinciae ecclesiasticae Episcopis [uti nobis certo constat] ad rem communicatis.

[1] Decret. cit. II, *b*.
[2] *Ibid*. III, *b*.
[3] *Ibid*. VI, *c*.

b) Ubi vero super re nulla sit lata decisio, legibus et proprio institutionis ecclesiasticae bono magis respondere censemus si Seminarii scholae [citra ea quae iam statuimus] omnimodam a Status scholis independentiam servent. Illud quod gravius opponitur contra hanc nostram sententiam [qua abstinendum ducimus ab onere praescribendo ordinis scholaris laici exsequendi et periculi publice faciendi] in eo est quod saepius vocationis deliberandae ex causa deficientis ad alia ministeria tituli occasio praebeatur. Verum [ni fallimur] occasio haec satis caveri potest si in gymnasio et lycaeo eaedem numero et natura doceantur disciplinae quae in scholis publicis, etsi fortasse ordine et tractatione parum diversa, quo fiet ut aliquorum tyronum necessitatibus consulatur, quin coeterorum omnium recta clericalis institutio posthabeatur. Quae et ipsa S. Congregatio perspexisse videtur cum [ut mox recoluimus] Studiorum Praefectum alloquitur: *Vigentia programmata aptabit vel etiam immutabit, horasque ita distribuet ut salva rerum substantia et adaequata licentiae periculo institutione, majus tempus in disciplinas sacrorum alumnis magis necessarias impendatur* [1].

d) Si quis quaesiverit quid Rectori cum illis alumnis agendum sit qui, quamvis nulla auctoritate pericula publica praescribantur, tamen ea ultro subire postulent, consilium maxime cum Ordinario de re conferendum et exsequendum esse respondebimus. Attamen [nostra sententia] optimum erit sedulo explorare qua demum causa, aut ratione alumnus huiusmodi periculum subire exoptet. Nam sunt qui in felici rei successu statim Seminarii septis valedicunt, ad quae, e contrario, quum res haud prospere cesserit, iterum festinanter confugiunt. Quod si de hoc indigno animo constiterit, Rector huiusmodi clericos, quum periculo minores fuerint, in Seminarium redire ne permittat: ecclesiasticum enimvero Institutum hoc quam maxime dedecet.

[1] *Ibid.* VI, *c.*

§ III. — De variis Seminari studiorum curriculi partibus, et ad rem normae peculiares.

Summae rerum. — CLXXXI. De gymnasii indole. — CLXXXII. Quae inibi doceri possint. — CLXXXIII. De litteris ac scientiis inibi edocendis. — CLXXXIV. De curriculo philosophico. — CLXXXV. De scholastica philosophia. — CLXXXVI. De propaedeuticae curriculo et ad rem normae. — CLXXXVII. De peculiari curriculi theologici indole. — CLXXXVIII. Quae inibi principia prae oculis habenda sint. — CLXXXIX. De disciplinis accessoriis, et ad rem regulae.

CLXXXI. — A gymnasio initium ducimus, quum ea quibus pueri prima rerum rudimenta addiscunt vix in sermonem de Seminariis venire possint. Enimvero ut hi in Seminariis cooptentur qui *scribere et legere competenter sciant* [1], Tridentini statuere Patres. — Est autem gymnasium veluti prodromus totius institutionis tum pro clericis, tum pro laicis: quare magni refert ut omnia in eo honeste et cum ordine fiant, maxime quae litterarum artem nobilissimam et perutilem spectant, quum hanc vix addiscere quis possit qui huiusmodi curriculum rite et sedulo emensus non sit. Quanta enim ex deficienti litterarum cultu incommoda sacerdotibus praesertim proveniant vix non superfluum erit ostendere. Accedit vero quod in gymnasio veluti fundamento praestituantur totius institutionis et honestioris cultus seu *humanitatis*, ita quidem ut mentis acies et vires copiosius et firmius inlustrentur, ac bonarum artium fervor maxime foveatur. Quare minime probandos Magistros illos qui classicos Scriptores ad rigidam philologiae criticae quae dicitur analysim exigere in ipsis gymnasiis velint, suavem eorum urbanitatem penitus negligentes, quae maxime ad humaniores lectorum mores efficiendos confert. Habent quidem huiusmodi studia suam quoque utilitatem, nec ea alumnos ignorare prorsus decet; at quod

[1] Loc. cit.

magis intenditur et spectatur est Scriptorum explanatio ad normas aesthetices, qua potissimum fit ut adolescentium mentes veluti suavioris elegantiae radiis adeo foveantur et inlustrentur ut ad admirationem et imitationem facilius alliciantur. Eo tantum consilio excultioris aetatis Scriptores, etsi ethnici fuerint, ad purissimi Evangeli praecepta quid conferre valent, ita sane ut anima nostra, [ut quidam dixit, *naturaliter christiana*] etiam in illis quae elegantioris formae sunt illecebris delectari contigant. — Item in gymnasio adolescens discendi ardorem iam vehementiorem experiri consuevit, qui quidem sensus opportune et quam maxime fovendus est; nam sacerdotis cui maxime sunt omnigena studia pernecessaria, summopere interest his non gravari nec taedio affici, sed, veluti sponte ac ex quodam intimo affectu, in illa libenter ferri. — Hinc permagni refert a prima usque aetate adolescentem huiusmodi studia in deliciis habere, nec a Magistris quidquam omittendum est, patientiam, urbanitatem ac docendi rationem quod attinet, quo tam felix rei successus obtineri possit, cuius quidem intuitu humilis ac tenuis eorum condicio valde nobilis et utilis apparet. Ut autem facilius ad haec pertingant multum confert si alumnos suos quos tenellos et parvulos conspiciunt, praesagis oculis, iam in vinea Domini strenue adlaboraturos Magistri intueantur. Tunc enim, ex tam felicis praesagii laetitia, tenui sed nobilissimo apostolatui quem suscepere alacrem facilemque navabunt operam.

CLXXXII. — Si stricto jure utaris per Tridentinum decretum constituto, tantummodo *grammaticam, cantum et computum ecclesiasticum* [1] in gymnasio tirones adocebis. Attamen ut [omnino sapienter] *aliarumque bonarum artium disciplinas* [clerici] *discant* [2] iidem statuere Patres, et quum [ut cum S. P. Leone XIII mox monemus] ut clerum sum teneat decus, caeteras quoque nunc communiter usitatas disciplinas clerici pollere debeant, ut et in alias incumbant prorsus decet. Quapropter de nimietate in ecclesiasticis disciplinis in Seminario ediscendis quaerentes, potiusquam maternam Ecclesiae discretionem, aetatis nostrae ency-

[1] *Ibid.* [2] *Ibid.*

clopedicam sciendi febrim aptius incusent. Attamen ne huic immoderate clerici consulent Rectores satagant, quum non *multis sed multum* et iis quae magis ecclesiastico ministerio conveniunt a sacrorum alumnis studendum semper sit. Secus arrogantes Doctores multi, at apti Pastores pauci haberentur qui, plus disputationibus quam animabus, plus ephemeridibus quam SS. Libris, plus critice quam obedientiae studentes, verbis, scriptis et forsan operibus quoque, Ecclesiam Sanctam contristarentur. *Scientia* enim *inflat.*

CLXXXIII. — Hisce praehabitis quae in gymnasio et lycaeo tradendae sint disciplinae partim ad litteras, partim ad utiles scientias pertinent, ita quidem ut sensim notiones et elementa copiosiora et profundiora efficiantur.

a) Litterarum studii in Seminariis necessitas quum *permagna doctrinae pars et ad cognitionem jucundam et ad usum urbanitatemque longe fructuosa* [1] in his contineatur, par se patet. *Quod primo loco illuc pertinet ut suum clerus teneat decus: est enim litterarum ars multo nobilissima quam qui adepti sint magnum aliquod existimantur adepti, qui careant praecipua quadam apud homines commendatione carent. Deinde vero quoniam ita sumus natura facti ut ex iis rebus quae sensibus percipiuntur ad eas assurgamus quae sunt supra sensus, nihil est fere ad juvandam intelligentiam majus quam scribendi virtus et urbanitas... Itaque fit ut animos et facilius pervadat et vehementius teneat verborum scientiarumque luminibus illustrata veritas... Isti quidem eruditionis fructus, nominatim a Basilio et Augustino collaudati, sapientissimeque Paulus III decess. nost. scriptores catholicos iubebat stili elegantiam assumere ut haeretici refellerentur, qui doctrinae laudem ac litterarum prudentia conjunctam sibi solis arrogarent... Quarum rerum utilitate perspecta Ecclesia catholica quaemadmodum caetera quae honesta sunt, quae pulcra, quae laudabilia, ita etiam humanarum litterarum studia tanti semper facere consuevit quanti debuit, in eisque praecellendis curarum suarum par-*

tem non mediocrem perpetuo collocaverit..., et in tanto Pontificum ordine vix reperitur cui non debeant litterae plurimi. Quae quidem tam vera tamque illustria, ut et ipsi saepe Apostolicae Sedis vituperatores praeclare Romanos Pontifices de studiis optimis meritos assentiantur. Quapropter, et explorata utilitate et exemplo Decessorum Nostrorum adducti, curare diligenterque providere decrevimus ut huius generis studia apud clericos vigeant et in ipsa gloria coeteris reviviscant [1]. Pergens autem S. Pontifex de altiori litteraturae curriculo in Seminario Romano constituendo sapientes leges edicit.

b) De scientiis vero in Seminariis excolendis earum necessitas idem S. Pontifex pluribus docet: *Scientiae physicae et matematicae sunt scitu necessaria, ne campus earum relinquatur adversariis totus unde oppugnent veritates sive revelatas, sive naturales* [2]. Et alibi iterum: *In rerum naturalium consideratione strenue adlaboretis: quo in genere nostrorum temporum ingeniosa inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude coelebrabunt* [3]. Tandem alibi iterum monet: *Peculiaris nostrorum temporum conditio his praesertim diebus postulare videtur ut sacrorum alumni opportunam adipiscantur de naturali historia aut physica scientia notitiam. Igitur et in earum studium incumbendum* [4]. — His positis ut de scientiarum naturalium prae litteris in clericorum institutione praeminentiae, vel saltem coaequalitatis controversia aliquid attingamus praestat, quum nostris praesertim temporibus malum saepe in modum exagitata et soluta sit. Qua in re nihil melius quam S. P. Leonis XIII documenta afferre possumus qui, scientiarum naturalium studium commendato, statim addit: *Sed ad sobrietatem ac cum debitis cautelis. Non enim expedit in scientiarum praelectionibus quae philosophiae studia comitantur ea omnia comprehendere quae huiusmodi scientiae ad cotidianos usus et vulgaria commoda in dies magis suppedi-*

[1] Leo XIII, *Epist. ad Em. Parochi*, die 20 Maj 1885.
[2] *Ibid.*
[3] Allocut. VII Mart. 1880.
[4] Leo XIII, Encycl. Depuis le jour, die 8 Sept. 1899.

tant, aut suppeditare valent: sed oportet potius apprime clericos summa principia et potissimas tenere conclusiones, quae magis ad hostium christiani nominis audaciam retundendam conferunt, quam quidem his scientiis praesertim iuvari vix est quis ignoret [1]. — Pius autem PP. X., Praedecessoris sui vestigiis inhaerendo, postquam Leonis XIII verba de scientiarum naturalium necessitate et studio iteraverit, statim, omnino sapienter, addit: *Id tamen nullo sacrorum studiorum damno: quod idem Decessor Noster gravissimis hisce verbis prosequutus monuit: Quorum causam errorum si quis diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget quod nostris hisce temporibus quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint: quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt: quaedam remisse leviterque tractantur, et, quod indignum est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate scientiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur* [2]. Idem Pontifex rerum finem imponens aperte sapientissimum edicit praeceptum: *Ad hanc igitur legem naturalium studia in Sacris Seminariis temperare praecipimus* [3]. — Omnino vero inepte quis objieret hanc moderatam tantum scientiarum naturalium cognitionem sacerdoti dedecori esse; quum ut nemo cordatus, ex. gr. a pharmacopola theologiae et juris canonici notitiam exigit, sed tantum quae chemiam spectant, ita a sacerdote nemo tantum chemiae studium postulat, quem contra theologiam ac jus canonicum cognoscere omnino decet. Ut sunt unicuique arti instrumenta propria, ita et unicuique statui peculiaria media ad suum peculiarem finem assequendum conveniunt.

CLXXXIV. — Triennium studiorum quod quinquennium gymnasii insequitur a Maioribus nostris [sacro ac iustissimo vocabulo] a *philosophia* appellabatur, quod aevum nostrum

[1] *Id. Ibid.* 1907, n. 1.
[2] Encycl. *Pascendi*, die 8 Sept. [3] *Ibid.*

non tantum in publicis scholis, sed et in Seminariis quoque aulis cum *lycaei* nomine commutavit. Quamvis primam denominationem fideliorem nobis videri haud diffiteamur, nullam tamen de verbo litem esse volumus; ac tantum solliciti sumus ne, nominis immutatione, ulla principiorum ac rationum eversio contineatur, prout in publicis scholis fieri videmus in quibus quod caput fuerat [ac in Seminariis esse usque debet] vel posthabitum omnino, vel certe neglectum est. — Nobilior quidem at longe gravior gymnasii Praeceptoribus est in hoc altero curriculo condicio. Nam quae illic tantum sunt delibata ad scientias et ad litteras quod attinet, altius perscrutanda et perficienda heic sunt, sed insuper habitus quoque ille peculiaris cogitandi, studendi dicendique efformandum est, quo deinde vir theologus uti debeat. Hinc augentur quae ad scientias pertinent, et litterarum ipse cultus magis fit scientificus et ad provectioris philologiae et critices leges exigitur: inde vero cura intensior elucet circa ea quae ad regimen animarum et ad spiritualia negocia gerenda conducunt, quod maxime in apologesi, in philosophia et in historia tradenda ostenditur.

CLXXXV. — Philosophia Scholastica quae huic curriculo nomen dedit, in eo princeps ac in praecipuo honore haberi debet; id vero iure meritoque, quum in ea totius ecclesiasticae institutionis aedificium solide innitatur. Nec alia quidem a scholastica philosophia in hoc locum habere potest, ut S. Sedes pluries apertoque praescripsit; nam *ut praetiosis suis afferendis fructibus par philosophia inveniatur, omnino oportet ut ab eo tramite nunquam deflectat quem veneranda Patrum antiquitas ingressa est* [1]. Magistri vero intelligant nullos fore in theologia progressus nisi prius philosophicis studiis sedulam operam alumni navaverint, in quibus, ut patet, tantopere hodierni sophistae errant ut in modernismi monstrum devenerint. Quae si physicis rationibus corroborentur, viam aperiunt ad omnem feliciter pertingendam theologicam scientiam. Quae omnia tum rem, tum formam, tum methodum quod attinet servanda sunt.

[1] Leonis XIII, Encycl. *Aeternis Patris.*

a) Quod ad res ipsas quae doceantur spectat, perspicua via est quae encycl. litt. Leonis f. r. XIII commonstratur atque ineunda indicitur [1]. Quare mentem s. Thomae aliorumque scholasticae philosophiae luminarium inquirens ac tradens, Professor caveat ne omnia in eorum littera includat, atque illis uberius tractet quae evoluta ab eorum tempore saecula, necnon praesentis aetatis merita simul ac necessitates, adiicienda uberiusque evolvenda praecipiunt. *Si quid a Doctorum scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi* [2]. Illud ergo in hac opera praestandum assidue, quo videlicet ostendatur scholasticorum doctrinam ad nostrum etiam aevum aptari et accomodari posse, atque validiores utres esse quam qui novo infuso vino [ut quidam [3] perperam dixit] disrumpi debeant. — Hisce praeiactis SS. D. N. Pii PP. X saluberrima praecepta audiantur. *Ad studia quod attinet volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sasacrorum fundamentum ponatur. Quod rei caput est philosophiam scholasticam quam sequendam praescribimus quae praecipue a S. Thoma est tradita, de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est id vigere volumus et qua sit opus instauramus et confirmamus strictequе ab universis servari iubemus. Episcoporum erit sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant: Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse* [4].

b) Quod ad formam vero fere numquam aberret vel aberrare sinat discipulos a sapientissima illa disputandi ratione, atque syllogistico [ut aiunt] habitu, in quo veritas invicta consistit, atque adversarios terret vehementer; lingua quoque latina, ut plurimum, adhibeatur. Attamen haud ita

[1] Encycl. *Aeterni Patris.*
[2] *Id. Ibid.*
[3] Tyrrell. *Mediaevalism.* London, 1900, pag. 152.
[4] Encycl. *Pascendi*, cit. n. 1.

tum forma syllogistica, tum latino idiomate, semper alumni utantur ut vernacula lingua et soluto sermone quaestiones philosophicas pertractandi impares evadant. — Nihil enim intellectuali institutioni magis contrarium est quam una tantum via et ratione semper incedere velle. Ad utriusque rei peritiam assequendam, frequentes repetitiones ac disputationes fiant, quibus praesertim ad adolescentium ingenium dialectico vigore ac luciditate instruendum tanta vis est.

c) Quoad methodum prorsus recedatur a fallaci illa ratione qua in scholis publicis tam praepostero ordine philosophia docetur ut primum metaphysica [si tamen illa], dein ethices, et tertio logica tradatur: ubi evidens omnino est in quonam censu sapientissimi hi viri logicam habeant! Haec omnia e vitiosa profluunt radice: nam qui talia decernunt in lycaeali institutione litteris vel caeteris scientiis palmas tribuunt, quapropter quidquid philosophiae addendum esset in his insumunt. At quidem pluribus opus non est ut ostendamus in Sacris Seminariis contrariam prorsus rationem iniri oportere, atque alumnis ad s. theologiam destinatis uberius prae ceteris philosophiam tradendam esse. Quamvis vero qui in clericali quoque institutione aliam omnino methodum adhibendam censent haud desint, attamen ut clerici philosophiam nativo ordine iam ab Aristotele et antea temporibus comprobato, quo primum logicam, dein veri propriique nominis metaphysicam, tertio demum ethicam ac ius naturae tyrones addiscant consulimus.

CLXXXVI. — Quamquam in S. Congregationis decreto nihil de propaedeutica ad S. Theologiam explicite praescribatur, attamen in alio praecedenti decreto [quod ex praesenti completur et confirmatur] aperte omnino ad rem normae statuuntur. Ceterum huiusmodi curriculum plures apud Gentes iamdiu instauratum vigere omnibus in comperto est. — Quid vero hoc nomine veniat nomen ipsum demonstrat, aliquod, videlicet, tempus in illud *unice* impensum ut clerici theologico curriculo dimetiendo idonei evadant.

a) Huiusmodi curriculum in illis omnibus Seminariis quae [aliqua de causa] vigentia programmata a civili potestate praescripta in gymnasio

et liceo sequuntur prorsus necessarium est. Etenim [prout mox diximus] institutio illa prophana et generalis quae laicis tironibus inibi praescribitur, adeo [fere semper spiritu, nonnumquam vero et littera] ab indole sacra et peculiare clericorum ecclesiasticae institutionis aliena prorsus est ut, quantumvis artificiose clericali proposito coaptetur, numquam tamen sufficientem curriculo theologico praeparationem suppeditat. In comperto enim est programmata studiorum veluti completum corpus paedagogicum constituere ad peculiarem et laicalem praefinitum omnino finem contendens. Quapropter illa ad aliud peculiare et ecclesiasticum propositum in omnibus dirigere, [praeter quam quod negociosa prorsus res est fere] numquam intentam utilitatem assequi permittit.

b) Ut autem propaedeutica ad S. Theologiam huc perveniat quo tendit, adeo disponi oportet ut studiis theologicis vere congruam praeparationem efficiat. Quare illi omnino improbandi qui hoc etiam tempore prophanas disciplinas excolendas indicunt quae etsi, fortasse, intellectus cultui in genere utiles, nihil tamen ad ecclesiasticae institutionis propositum conferunt. Non haec profecto Legislatoris mens fuit, cui omnes qui clericalium studiorum bono intendunt sedulo morem gerant oportet. Porro ad hoc necessarium omnino est ut propaedeuticae curriculus:

I) integro saltem constet anno;

II) ut ad illum hi tantum qui lycaei studia rite emensi fuerint cooptentur;

III) ut primas in docendi rationem religionis demonstratio et philosophia vere scholastica obtineant. — Quoniam vero, ne adolescentium mentes taedio afficiantur, maximi interest ut diversis disciplinis dent operam, et alia, at pauca, studia quae cum theologiae praeparatione arcte connectuntur [quae S. C. decreto praefiniuntur] addere peropportunum erit.

c) His praehabitis patet satius numquam suaderi posse ut huiusmodi curriculus in aliis etiam Seminariis quae vigentia, de quibus diximus, programmata haud sequuntur, oppor-

tunc constituatur. Tanti enim momenti est clericis idoneam ad studia theologica praeparationem suppeditare, tantaque huius medii ad rem utilitas ut, ab illis omnibus qui optatum clericalis incrementum magnificiunt, fere absque incommodo, negligi non possit. Novimus, profecto, tum ex nimia clericorum ad studiorum exitum festinatione, tum ex rei familiaris angustia quam parentes [per fas et nefas] in medium proferre solent, multa huic proposito obstare. Verum si filiorum huius saeculi prudentiam laudare et imitare debeamus, ab illis qui civilibus ministeriis se praeparant [quique in suis Athenaeis etiam per septem annos sedere non renuunt] exemplum sumere licet. Si igitur haec ad prophana negotia nimia non reputantur, clericos profecto, si per quinque studiorum annos ad sancta sancte tractanda exerceantur, pigere non debet. Hac enim ratione Moderatores in primis veram alumnorum vocationem investigare ac discernere melius possunt, clerici vicissim sui status onera [angelicis quoque humeris formidanda] attentius perpenderent, ea quidem aetate qua eorum pondus facilius cognoscere solent, et ideo scite assumerent. Tandem illa quoque nimis importuna super aetatis defectu dispensationem quaerendi imminueretur frequentia, quam tantum ex gratia ac materna benignitate [nunquam vero ex consuetudine] Ecclesia concedere consuevit. — Quare ut ullo in Seminariorum curriculus hic [qui tantae utilitatis demonstratur] deficiat, aut saltem ut in Seminariis omnibus philosophiae studia verae theologici curriculi utilitati necessitatique respondeant, sincerum pandimus votum. Quod profecto ab illis omnibus qui Ecclesiae mentem propositumque in recta clericali institutione assequi in optatis habeant tanquam minimum haberi debet.

CLXXXVII. — Mirum profecto ac sublimitate plenum spectaculum consideranti apparet tyronis in curriculum theologicum ingressus. Qui etenim hucusque utilibus quidem, at adhuc communibus, disciplinis operam navaverat [quibus exculti quique adolescentes etiam si ad sacerdotii magnalia non vocati exercentur], ecce iam in sancta ingreditur, in scientiae omnino spiritualis tabernaculum, a quo longe

procul omnes arcentur prophani, in verum propriumque sacrum Seminarium, ubi nonnisi Dei Levitarum consortio fruitur, qui [uno fidei ac pietatis animo] ad divinarum rerum notitiam animos attollunt. Obticet iam et immutescit humanarum quarumcumque litterarum strepitus, et sacrae tantum insonant auribus Litterae: conticescunt homines, loquitur Deus. Ratio ipsa quae hucusque omnia discernebat iudicabatque ac tamquam meridiana fax praelucebat, coram Fidei iubar, coram omnis luminis auctore Deo, tamquam sole adveniente matutinum sidus pallescit, eique humilis ancilla fit. Humana quoque historia [ignorantiae quidem et multae malitiae haud ignara] historiae Ecclesiae ac spiritus illius divinissimi *quo totum Ecclesiae corpus vibificatur ac regitur* [1] gestis angelico vix celebrandis encomio locum cedit. Morum praecepta quae naturalis ipsa honestas dictat, artium ars, regimen scilicet animarum evangelica praecepta ac consilia divinae gratiae excipiunt. Quidquid, uno verbo, terrenum ac materiale sapit a templo hoc sacratissimo exulat in quo humana ipsa substantia ad spiritus dignitatem attollitur, omnesque illius defectus et vitia, veluti sublimi charitatis holocausto, consumi discunt. Mirandum vere spectaculum quo boni clerici mens et cor timoris, humilitatis, laetitiae sensu percellitur, ac illa Anselmi in similem rem prolata verba sponte veluti sua ad labia occurrunt: *Eia nunc ergo tu Domine Deus meus, doce cor meum ubi et quomodo Te inveniat. Non tento Domine penetrare altitudinem tuam quia nullatenus comparo illi intellectum meum; sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam quam credit et amat cor meum. Neque enim quaero Te intelligere ut credam, sed ut intelligam. Nam et hoc credo, quia nisi credidero non intelligam* [2]. Docet hic quidem Deus, sed divina verba labia usurpant humana: pastores futuros animarum alius in praesenti vir pascit; qui magistri ac patres dominico gregi parantur alius ecce eos magister instruit, ac regendi redimendique animas artem homo hominibus conmonstrat. — Id quidem alte in huiusmodi Praeceptorum animis figendum est, ut nobilitas,

[1] Ex liturg. rom., *Oratione pro omni gradu Ecclesiae.*

[2] *Monolog.* I, cap. I, n. 1.

momentum, gravitas quod suscepere muneris nunquam ab oculis diffugiat. Nam eorum curis concreduntur Apostoli, concreduntur hi qui in salutem Ecclesiae et populo Dei futuri sint, ut quidem idonei Christi sacerdotes et ministri *ad omne opus bonum instructi* efficiantur. Quare si muneri suo uteumque deficiant, si negligentes sese exhibeant, si ipsi solida scientia deficiantur atque principiis nutent, infandum rei christianae exitium imminet, atque gravissimi coram Deo piaculi reos seipsos constituent. Cum timore igitur ac tremore ad hoc ministerium Antecessores accedant, de suis viribus facultatibusque nil praesumentes, sed totam fiduciae speique suae rationem in auxilium Dei collocantes, atque sincero Ecclesiae magisterio unice fideliterque innitentes. Non enim hominis, sed dexterae Excelsi opus ex lapidibus trahere filios Abrahae, et homo quidem ad divina [tamquam vivus lapis] comparatur, quum nova in eo supernaturalis effigies sit insculpenda, ad quam humana ratio nihil valet. Novus animus, novus lucis ingerendus spiritus, novus cogitandi discendique habitus induendus, novus, uno verbo, homo, ex vetustate prioris conversationis, suscitari ac exsurgere heic iubetur. Hic vero alter Christus!

CLXXXVIII. — Quae in theologico curriculo docendae sint disciplinae, generatim, SS. Tridentina Synodus commonstrat quum in decreto de ss. Seminariis condendis haec edicit: *Sacras Scripturas, libros ecclesiasticas, homelias Sanctorum atque Sacramentorum tradendorum, maxime quae spectant ad confessionen et rituum ac caeremoniarum formas ediscant* [1]. Paulo antea vero jam statuerat: *ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur* [2]. Ex quo facile evincitur latissime patere institutionis theologicae ambitum, et ad rem quod, generali ratione, refert haec animadvertenda ducimus:

a) Ad numerum disciplinarum quod spetat, quamvis eam qua hodiedenus discendi febrim laboramus haud omnimode laudandam censemus, attamen eas tantum [ut plurimum] hodie in Seminariis excultas, et a S. Con-

[1] Loc. cit. [2] *Ibid*

gregationis decreto praescriptas, excolendas esse suademus.

b) Singularum disciplinarum programma tum quoad eius partes, tum quoad horarum numerum, haud multum augeatur oportet. Quare illud quod alibi [1] indigitavimus [saltem in singulis capitibus explanandis, potiusquam in singulis partibus eligendis] magis contrahendum, quam dilatandum consulimus. Qui in dioecesanis Seminariis huc studuerit, satis ad rem fecisse existimet.

c) Singularum scientiarum partium studium Antecessores [collatis invicem consiliis] statuant, et quae huic vel illi magis conveniunt Magistro committant. In comperto enim est plures in theologico curriculo habere quaestiones quae tum in dogmatica, tum in morali et pastorali, tum in jure canonico vel civili tradendo pertractari possunt. Qui secus egerint, tum tempus tererent, tum alumnorum mentes nimis defatigarent, tum, forsan, et concordiam inter Magistros ipsos pessumdarent.

CLXXXIX. — Praecipua ac prima principia quibus theologici curriculi Magistrorum opera regi oportet, quae et Rectori memorare praestat, haec sunto:

a) Insanam destruendi ac innovandi libidinem deviteut, quae nefasti illius recentioris erroris ad Ecclesia tam gravi nuper perculsi anathemate, caput est et fons. *Novitas* [nonet Bernardus] *mater est temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis* [2]; *novitatis* vero *affectatores nil aliud demonstrant quam meram stultitiam et arrogantiae ostentationem* [3]. Quamvis, aetate nostra, criminitores temporis acti multi habeantur, attamen si sedulo Vetustatis opera perpenderis, in multis non progredi sed regredi nostra tempora facile comperies. Attamen ne quid nimis, et in clericali institutione *sic adsit de novitate incunditas ut non desit de vetustate auctoritas* [4].

[1] Cfr. *De Ratione studiorum* in S. Seminariis.

[2] Epist. 174 ad Canon. Lugdun.

[3] S. Ioann. Chrysostom., Sermo III, in epist. *ad Roman.*

[4] S. Bernardus, *Sermo ad milites templi.*

b) Praelectiones hodiernis necessitatibus moribusque opportune accommodent, ea quidem prudentia ut nihil antiquae doctrinae repudiantes nihilque in necessariis innovantes, eas tamen noviter inventis communiant confirmentque, atque praesentis aevi necessitatibus et commodis consulant. — Quare recentiorem de sua disciplina litteraturam [ut dici assolet] videlicet libros et ephemerides, nova inventa novasque disceptationes quae ad suam pertinent quaeque disciplinam, Praeceptores probe perspecta habeant. Attamen non omnia coram alumnis afferantur et discutiantur, sed ea dumtaxat quae ad praesentis aevi errores, ad fallacias dissipandas, aut ad sacrae doctrinae studium impensius alendum opportuna videantur, et conclusiones non tam argumentorum numero, quam pondere probare studeant.

c) Non tantum adnitentur ut quarumdarum difficultatum ac quaestionum peramplam alumni notitiam adipiscantur, sed etiam multoque magis, ut integram disciplinam in suis quibusque partibus absolutam assequantur. — Quamobrem enucleatius quidem prima principia ac precipuas doctrinas proponant, sed insimul tum illarum conclusiones et sequelas doceant comonstrantes, aut quae stionis et quibus illae plenius capiant lumen, tum easdem cum novis inventis ac discendi novis propositis rationibus conferentes, de quibus propterea rectius iudicium alumni proferre possint.

d) Huius curriculi [Rector attendat] princeps scopus institutione sacerdotum qui tum sanctitate, tum doctrina conspicui, insigne praebeant gregi dominico columen et subsidium continetur. — Quare oportet ut lectionibus practica semper utilitas quo uberius capi possit intendatur, praesertim quae ad pastoralis ministerii maius incrementum fructumque spectat, his tamen non neglectis quae et vitam sacerdotis sanctam ac Deo acceptam magis reddunt. Quo pacto altum suavioris pietatis ac ecclesiastici spiritus fundamentum praestituetur, ac vere apostolorum altores et Apostoli Praeceptores ipsi constituentur.

§ IV. — De libris in textu usu deducendis deque experimentis ac periculis.

Summae rerum. — CXC. Quae in libris deligendis prae oculis haberi debeant. — CXCI. Eorum qualitates recensentur. — CXCII. Eorum numerus qualis. — CXCIII. Quando comparandi. — CXCIV. De eorum immutatione et usu. — CXCV. De experimentis in genere. — CXCVI. De experimento publico. — CXCVII. De periculis et eorum variis speciebus. — CXCVIII. De alumnis qui periculis impares sint. — CXCIX. De periculorum effectibus.

CXC. — Quae de libris dicenda veniunt, eorum in scholis necessitate, electione, immutatione et usu continentur. — Quoad necessitatem spectat superflum erit de ea dicere; de coetero in alio S. Congregationis decreto legitur: *In sua tradenda disciplina Professor textum opportunum adhibeat*[1]. Quis enim, aetate nostra, necessariis in scholis libris [qui in istitutionis arte instrumenta sunt] negare se posse putet?

CXCI. — De librorum vero delectu pulchra ac magni quoque momenti recolenda sunt, ne librorum utilitas omnis disperiat, neve et noxia quae ex ipsis haberi possunt augeantur. Ad rem *electio librorum quibus alumni ad textum uti debent de Ordinarii nuto, aut saltem explicito consensu facienda est*[2], in eodem S. Congregationis decreto legitur, scilicet:

a) In gymnasio et lycaeo textus necessarii ii qui programmatibus vigentibus praescribuntur in opus deducendi erunt: [Rector animadverat quaeso] *ante omnia, ut par est, indoles et scopus Seminarii prae oculis habeatur*[3]. Hisce verbis S. C. italicorum Seminariorum necessitati prospicit in quibus [uti diximus] civilis studiorum programmati usus, paucis abhinc annis, praecipitur. Attamen et inibi *ut ante omnia, indoles et scopus Seminarii prae oculis habeatur*[4] omnino expedit. Idcirco et

[1] Decret. X maj 1907, VI, *b*.
[2] *Ibid*.
[3] *Ibid*.
[4] *Ibid*. VI, *K*.

in iis omnibus Sacris Institutis ubi programmata a civili potestate statuta adhibentur, si quid in libris in scholis publicis in usum deductis *contra indolem et scopum Seminarii* peccetur, penitus repudiandi sunt. Quod de coetero, quum plures apud Gentes, potiusquam textus, peculiaris tantum disciplinae ordo a guberniis praefiniatur, haud gravi molestiae esse consuevit. Attamen Seminaria a civili auctoritate indipendentia et hac in re meliora obtineri nemo ignorat.

b) *Pro Philosophico ac theologico curriculo textus a Collegio Professorum proponentur, et ab Episcopo approbandi erunt* [1]. Quum vero *pro Seminariis centralibus et interdioecesanis Ordinarii jura, Episcoporum quorum interest Collegio attribuenda sint* [2], librorum electionem ad Episcoporum collegio esse adprobandan prorsus patet. Idcirco libri in philosophico vel theologico curriculo uti textus adhibendi, collegiatim ab Antecessoribus Episcopo [vel Episcoporum Collegio] indigitentur, quorum tantum adprobatione eos eligere et alumni praescribere est.

CXCII. — Ad rectam vero textuum electionem, tum eorum qualitates, prae oculis habeantur, quae recta fides, morum castigatio, exactitudo, perspicuitas et brevitas recensentur.

a) Recta fides in libris a clericis adhibendis maximi momenti habeatur, ne salutis aquae, in marcidum mortis fontem miserrime commutentur. Quod in historicis ac theologicis praesertim disciplinis prae oculis habendum est, in quibus, non tantum libri errores genuinos scatentes, sed et ii qui hodiernae laxitati indulgeant et captiose, vel ambigue doctrinas tradant, a Seminariorum septis funditus respuendi sunt. Enimvero, ut incautorum animos decipiat, fallacitatis veste error indui et [nostra praesertim aetate] sub modernitatis specie, authenticum saepe modernismum condere consuescere omnibus in comperto est.

b) Morum castigatio in textus quam plurimi

[1] *Ibid.* [2] Artic. 2.

facienda, qua deficiente vel claudicante, ingenui clericorum animi, ex tempore, in infandam ruinam pertrahuntur. Quod praesertim in lexicis, classicis auctoribus et naturalis historiae libris eligendis [ne, sub styli elegantiae, vel penitioris scientiae ementita specie, alumnorum virtus miserrime pessumdetur] advigilandum consulimus. Quapropter non auctor in genere, sed et eius quoque editio praescribatur, quod, de cetero, et in rectae institutionis utilitatem vertit.

c) Rerum exactitudo perspicua sit, ne error pro veritate et vicissim tradatur; quod prasertim nunc temporis, in tanta librorum colluvie, facile posthaberi videmus.

d) Perspicuitas quoque in textu quaerenda est, quae tamen in detrimentum caeterarum textus virtutum, praesertim profunditatis et soliditatis, vertere non debet.

e) Brevitas, veri, exactitudini et perspicuitati coniungenda est, quod de cetero haud de facili contingere omnes rei periti norunt. Saepe nimis faciles Scriptores potiusquam veritati, perspicuitati ac tyronum necessitati, loquacitati ac voluminis ponderi inserviunt. Antecessores vero haud quae et quomodo, sed quantum hi doceant tantummodo spectant, quo fit ut, quum in docendo Auctorem electum cognoscant, eum spernant, confutent ac coram alumnis despiciant. At [meminerint omnes] textus qui omnia de re profert, nimis profert, quo fit ut cogitandi ratiocinandique habitum [ulla ratione] haud sibi comparent alumni.

CXCIII. — Librorum numerus tantus quantus sufficit habeatur. — Idcirco qui immodicam eorum copiam clericis suggerunt, vel [eoque peius] ipsis imponunt, haud laudandi sunt; quum tum in rectae institutionis nomentum, tum in oeconomicae rei detrimentum id vertere consueverit, et illam in alumnis immodicam librorum sitim foveat quae utramque pessumdat. His ideo in Seminariis civilia programmata sequentibus numerus textuum a publica studiorum ratione statutorum et, ut plurimum [ut facilius pericula caveantur] eiusdem Auctoris editionisque inibi praestitutis [dummodo clericali institutioni conveniant] habeantur. In ceteris vero Seminariis quae suo marte regun-

tur, potiusquam numeri, clericalis institutionis necessitatis utilitatisque ratio habeatur oportet.

CXCIV. — Tandem, ad plura incommoda praecavenda, ut Seminarii Oeconomus in anni initio textus scholarum a Praefecto studiorum indigitatos comparet, et tironibus omnibus una simul distribuat, consulimus. — Ceterum nulli, nisi Oeconomo, fas sit clericis comparare libros ad consulendum, qui hac in re nil sine Praefecti studiorum venia statuat. Quod si clerici vel eorum Parentes, in anni cursu, id faciant, libros adprobare studiorum Praefecti erit.

CXCV. — De textuum immutatione eadem fere quae de eorum electione mox diximus heic quoque prae oculis habeantur. Quamvis vero meliores interdum textus in lucem prodant, attamen saepe nimis plus novitati et inconstantiae quam idoneitati consulitur, et textuum bonitas ab eorum tantum recentiore aetate statuitur. At persaepe incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim; videlicet, continua mutatione, ineptis electionibus infelix medela paratur. Textuum idcirco immutatio haud de facili concedenda, sed tantum quando maius clericalis institutionis bonum id vere postulaverit; novitas autem ut sufficiens ad rem ratio numquam habeatur.

CXCVI. — Ad textuum usum quod refert liber qui ad hoc eligitur non tantum alumnorum, sed etiam Magistri manibus terendus. Quamvis enim uti textus tantum commentator Antecessor haberi nequeat, attamen [ut plurimum] in diocesanis Seminariis ad illius aptam explanationem operam coerceat suam, et quae tantum in textu continentur ab alumnis ipse exiget. Textus vero ordinem [ut monuimus alibi] perraro Antecessor immutet, et tanta reverentia aestimationeque prosequatur ut numquam eum parvi faciant alumni. Neque id inopportune dictum: quo magis enim res perspicua, eo minus tamen praeceptum observari didicimus. Nam persaepe Praeceptores ipsi se librum ad textum praescripsisse sed non sequi gloriantur, qui nonnumquam publice illum parvipendunt, praelectiones dictant et alumnos eas scribere iubent, quod quidem non modo gravissimum et contra Legislatoris mentem est,

sed etiam in pretiosissimi temporis iacturam vergit. — Si vero haec omnia sedulo Antecessor obiverit, et illam alumnorum omnium per diversos textus peregrinationem opportune coercebit, quae in studiorum detrimentum vertere consuevit. — De cetero neque alumnis indulgeatur ut in ludorum aulis multa at inutilia volumina afferant, quae, per condiscipulos evagando, scholae disciplinam, et insimul studium quoque pessumdant. Ideo necessaria tantum praesertim heic afferantur.

CXCVII. — De experimentis singulis bimestribus habendis nunc Rectori dicendum de quibus in S. Congregationis decreto habetur: *Alumni omnes experimentis... a Praefecto studiorum statutis participent* [1], quibus ex verbis de experimentorum usu in clericali institutione expresse decernitur. Quum vero S. C. ut singulis bimestribus notae alumni recenseantur jubeat [2], nil quam experimentis uti ad illas statuendas utilius. Qua in re non tantum voce, sed ante omnia scripto haec pericula peragi consulimus, adeo quidem ut tum quae primo, tum quae altero modo tirones exhibuerint cum summa in bimestris spatio adepta componatur, et ex illis media [uti aiunt] nota, in singulis disciplinis constituatur. Horum experimentorum utilitatem ad desidiam excutiendam quam maxime valere experientia ac usus docent. Si quis vero in omnibus quatuor anni scholastici bimestribus mediam saltem sufficientem haud assequetur, nec ad periculum in fine anni, sed tantum ad illud reparationis admittetur. Si vero hoc male cesserit ad superiorem classem ne promoveatur, et quid cum illo agendum sit infra indigitabimus. Si, e contrario, hi qui optimam [in eodem temporis spatio] notam assequentur, promotione in singulis disciplinis *honoris causa* donentur, ad aemulationem in clericis fovendam praevalidum adjumentum comparabitur. Attamen, si decreti verba ad litteram accipiantur, italicis pro Seminaiis haud licitum hoc esse patet; inibi enim legimus: *Ut ad scholas promoveantur alumni* omnes *periculis subiiciantur* [3]. Quidquid sit utrisque

[1] Artic. 109.
[2] Artic. 32 e 62.
[3] Artic. 84.

in circumstantiis criteria ad rem statuenda nimietate ne peccent, sed in primo casu adeo mediocra sint ut pro communiter contingentibus satis habeantur; in altero vero adeo clata ut optima [ut diximus] clericorum institutio in tuto sit.

CXCVIII. — Attamen et aliud experimentorum genus in Seminario haberi potest, quum scilicet unius alteriusve classis alumni omnes, extra aulae septa, auditoribus undidique advocatis, studiorum specimina voce praebent. De iis S. Carolus Borromaeus loqui videtur, quum [praesertim in visitatione Seminarii] haec praescribit: *Examen fiat adolescentium ab iis quos idem Reverendissimus Archiepiscopus constituerit... Examinatores ab is qui majoribus disciplinis operam navaverint, primo de materiis quae illis explicatae fuerint sciscitentur: tum rursus datas responsiones novis quaesitis urgeant, ut inde colligatur quos in iis studiis progresus fecerint* [1]. Pergens S. Archiepiscopus plura de in re ratione in rhetorices et gramaticae classibus habenda statuit, quae [uti per se perspicua] haud heic recolimus.

CXCIX. — Triplice et in Seminario periculorum haberi genus per se patet, scilicet, admissionis, promotions ac reparationis.

a) Ad admissionis periculum quod attinet neminem ad scholam superiorem admittendum est nisi praehabito periculo, vel examinis alibi habiti testimonio exhibito. Quod ex praecisis decreti verbis confirmatur in quo legimus; *Nullus scholis superioribus accenseatur quin scholas inferiores atque pericula, demore, superaverit* [2]. *Alumni vero qui absolutis inferioribus scholis in aliquo seminario aliud adeunt... documenta expletorum studiorum... a Rectore dimissa offerant* [3]. Nam si secus Moderatores egerint omne institutionis clericalis aedificium funditus diruerent, quod praesertim habetur quum, candidatorum Seminarii numero tantum prospiciendo, eorum vero prudens electio parvipenditur. Hoc pacto [cum Semi-

[1] *Institut.* Par. I, Cap. 8.
[2] Artic. 86.
[3] Artic. 85.

narii, Antecessorum condiscipulorumque magno detrimento] dum sacri Instituti numerus inepte augetur, eius vero laetitia ac in studiis bona opinio saltem imminuuntur. — E contrario adeo huius periculi criteria opportune Rector prudens statuat ut, tempestive, optimae candidatorum selectioni consulat, qua non tantum idonei ab ineptis separentur, sed inter praecellentes, idoneos tantum assumantur. *Metuenda*, igitur, *declina et quidquid consilio prospici potes, prospice* [1]. — Quum autem, persaepe, antea actorum studiorum testimonia haud vera vel saltem dubia pro veris et certis tradant, vix omnimoda fides praestanda, sed, ut plurimum [in superioribus praesertim curriculis] ut quae scripto docentur periculo comprobentur auctores sumus; quod, de cetero, italicis pro Seminariis ex verbis paulo superius adlatis, Legislatorem haud praecipere videtur. Quum vero tantum ex personarum locorumque circumstantiis quid in hoc negocio tenendum sit decernere liceat, generalem pro caeterarum Gentium Seminariis de re legem constituere nefas. Attamen et hac in re magis privatis et familiaribus quam officialibus notitiis fides adhibeatur, et plus prudentiae quam credulitati serviendum erit. Plura in re experientia docebit.

b) Aliud quoque periculi genus suadendum est, illud scilicet semestrale, ante Paschalia Solemnia [ut plurimum] habendum, quo, non tantum experimenti, sed et veri examinis modo, sacrorum alumnorum in studiis fructus viresque, tum scripto, tum voce, aut voce vel scripto tantum experiuntur. Quamvis enim in decreto de quo agimus nil ad rem statuatur, attamen borromianae traditioni placitis studentes, huius periculi usum enixe suademus, cuius rationem indigitamus. — Experimenta scripto habenda ab Ordinario [plura inter ab Antecessore proposita] eligantur, et obsignata schedula inscripta Magistro tradantur qui in ludo, omnibus adstantibus alumnis eam aperiat et, solemni ratione, praescripta evulget. Congruum ad descriptionem temporis spatium largiatur, et ne quis tum aliena, tum propria opera iniuste

[1] Seneca, *Epist. 98.*

ditetur, advigilandum. Idcirco tum infra, tum extra scholae septa pervigilandum, et si quis, nihilo secius, disciplinae praecepto posthabeat, pensum abrogetur; ingeniosissima hac in re calliditate ubique et semper tirones uti, in comperto omnibus est... — In gymnasio superioris scholae Antecessor inferioris scholae pensa examinet judicetque: in philosophico, propaedeutico et theologico vero curriculo Magister ipse insimul cum alio a Praefecto studiorum assignato, eadem praestent: omnes vero eidem pensa tradent. — Notarum tabulam exemplaria duo fideliter describatur, quorum unum Episcopo deferatur, alterum vero in Seminarii praetorio albo, quindecim per dies, publice edatur, et deinde in Rectoris generale tabularium seponatur. — Ne autem fere omnis huius periculi vis disperdatur, ut veri examinis effectus omnes habeat omnino decet.

c) — Alterum periculorum genus est quod ad promotionem peragitur, quod, videlicet, in uniuscuiusque anni exitu omnibus in disciplinis, ab alumnis omnibus habendum est. Ad rem, plura in S. Congregationis decreto prudenter statuuntur, scilicet:

I) Periculi officium. — *Periculis ut ad scholas superiores promoveantur omnes subjiciantur, juxta dispositiones cap. VI studiorum programmatis* [1], quae his redeunt: *Praefectus studiorum ac Professorum collegio omnia constituent ut singulis expletis annis regularia et idonea pericula fiant in qualibet disciplina, pro provectione ad superiores classes* [2]. Legislator vero hisce haud contentus, pluribus quae hac in re nimis saepe habentur incommodis perbelle prospicit, scribens: *Quicumque a manifesta infirmitate, vel ab alia legitima causa, a Superioribus cognita, non impeditus, periculis non se subiicict, hoc ipso pandet Seminarium deserere velle* [3]. *Si quis alumnorum legitima ex causa periculis non interfuerit.... reparationis pericula sustinere teneatur* [4].

II) Generalis periculi ratio alio eiusdem Congregationis decreto indigitatur: *Praefectus studiorum cum*

[1] Artic. 110.
[2] Decret X Maj 1902, VI, *c*.
[3] Artic. 111.
[4] Artic. 110.

Professorum collegio omnia constituet ut singulis expletis annis regularia et idonea pericula fiant in qualibet disciplina pro provectione ad superiores classes, ipseque suffragiorum nota at idoneitatem praefiniat[1]. Quibus verbis omnia quae ad rem pertinent insimul cum omnibus Antecessoribus a studiorum Praefecto statuenda esse per se patet. Ipsorum vero idoneitatis praesertim gradum praefinire munus est, qua in re quae de experimentis mox diximus, prasertim heic locum obtinent.

CC. — Peculiaris vero huius periculi ratio, plus minusve, a consuetudine [optimae traditionis suffragio roborata] praefinitur, quae his redit:

a) Pericula *scripto* habenda omnibus his normis semestrali pro periculo mox indigitatis, accommodentur. Quum vero, tum in gymnasio, tum in lycaeo aliquibus pro disciplinis civilia programmata [Seminariis italicis praescripta] hoc periculum haud praecipiant, an reapse de disciplinis omnibus examen scriptum habendum sit quaestio exagitari potest. Legislator enim de periculis in genere tantum edicit, et cum odiosa restringenda sint, non inconvenienta tantum, sed et commoda quae ex civilis programmatis usu oriuntur prospexisse videtur. Idcirco in illis tantum disciplinis in quibus civilia programmata leges edicunt periculum scripto habendum voluisse par se patet: quod de cetero et gravibus paedagogicis praeceptis omnino suadetur.

b) Pericula *voce* habenda [juxta S. Congregationis decreto] clericis omnibus et pro omnibus disciplinis praecipiuntur. Idcirco generales vel peculiares in aliquibus disciplinis honoris causa promotiones, [optima notarum in integro curriculi anno assequuta summa cohonestatae] saltem a legis littera improbantur. Attamen quum ad finem a Legislatore sibi propositum assequendum haec quam maxime valeat, et quum iterum atque iterum omnia generatim aemulationis adjumenta [explicitis verbis] Ipse commendet, plus spiritui quam legis litterae heic quoque consulere, forsan, decet.

[1] Artic. 67.

CCI. — Modus quibus pericula *voce* habenda sunt Antecessores spectant, qui tum uti spectatores, tum veluti examinatores considerandi sunt. Si uti primum illos habeas, tunc ut singulorum curriculorum Antecessores omnes eorumdem classium periculis intersint suademus. Si vero sicubi examinatores illos consideres, tunc ut in sua tantum disciplina Antecessor [ut plurimum] alumnum humaniter sciscitet consulimus. Attamen et a Praefecto studiorum et ab alio Antecessore [in eodem genere disciplinam habente] suffragium feratur, et ex tribus media summa statuatur. In quo negocio quamvis examinatorum sententia magni facienda sit, attamen quam alumni Antecessor edicit, primas in re partes obtinere omnino decet. Magister vero, [sine ulla ira, nec partium studio] non tantum periculi, sed et totius scholastici anni exitum prae oculis habeat: quum [ut experientia ac usus docent] et praecellentes, interdum, alumni in periculis minores sese exhibeant, quos ideo reprobare dedecet. Quoniam vero, ut plurimum [tum in praesenti, tum in posterum] notarum consequentiae magni momenti sint, quamvis examinatores omnes maxima hac in re libertate frui debeant, attamen in illis decernendis, ne justitiam ac charitatem [tyronibus quoque debitam] pessumdent et dioecesis bonum labefectent, pari consideratione uti debent. — Notarum summa in generali tabulario describatur et singulis alumnis, vel eorum Parentibus ac tutoribus tradatur. Earum vero exemplar et Episcopo, in annuali saltem Seminarii regiminis relatione, tradetur.

d) Postremum tandem periculorum genus reparationis [uti aiunt] est, de quo in S. Congregationis decreto legimus: *Si quis alumnorum legitima ex causa periculis non interfuerit, vel etiam iis peractis non promotus sit, pericula reparationis sustinere teneatur* [1]. Ad rem vero omnes quae mox indigitavimus normae prae oculis habeantur. Quod *si quis periculis reparationis non interfuerit vel iis peractis non promotus fuerit, si alumnus gymnasii vel lycaei, scholam repetere poterit cum facultate du-*

[1] Artic. 113

plicis experimenti: si vero theologiae alumnus sit, cum fieri non poterit ut eadem schola repetatur..., per alterum annum curriculo obligabitur, cuius ratio habebitur in eius admissione ad SS. Ordines.[1]

CCII. — Quid vero agendum sit cum illis qui semel atque iterum periculis impares sunt, ex supracitatis S. Congregationis verbis omnino aperte patet, scilicet:

a) Pro gymnasii vel licaei curriculo, tyro *scholam repetere poterit cum facultate duplicis experimenti*[2].

b) Pro theologiae curriculo *per alterum annum eidem obligabitur*[3].

Si quis vero per binos haud intermissos annos periculis ad promotionem in sequenti classe deficeret, intellectus vi ad sacerdotalia ministeria rite obeunda carere, aperte demonstraret. Idcirco ne, procrastinatione, tum Seminarium, tum clericus detrimentum persentiant, paterno modo at tempestive, a Sacro Instituto eum arcere oportet; dura lex, sed justa lex. S. autem Carolus ad rem aperte edicit: Clerici *idonei sacerdotes ad animarum curationem evadere posse aliqua ratione ostendant..., secus e Seminario dimittantur*[4]. Alibi vero S. Archiepiscopus suadet considerandum *an propter nullam, aut exiguam in litteris progressionem* [clerici]... *e Seminario expelli debeant*[5]. Quamvis enim eadem ingenii vis ac scientiae gradus haud ab omnibus requirendum sit, attamen illum pro communiter contingentibus necessarium clericos omnes habere decet, quod si defecerit media ad finem deessent, et Seminarii propositum pessumdaretur. Attamen de Ordinarii potestate tantum quid agendum sit decernatur; non enim de ordinaria Rectoris facultate est clericos dimittere.

CCIII. — Periculorum annualium effectus, si haud tantum ad superiorem classem promotionem coarctentur, magnum aemulationis adiumentum addunt. Adsunt enim qui et alios effectus periculum prodere velint, videlicet:

a) Praemiorum collatio, quae tamen meliori

[1] Artic. 112.
[2] *Ibid.*
[3] *Instilut.* Par. I, Cap. 2.
[4] *Ibid.* cap. 8.
[5] *Ibid.*

forsan consilio [uti diximus] tum a notarum summa in toto scholastico anno, tum ex scriptis certaminibus ad hoc specialiter constitutis [*concours*] triumphatoribus decernentur. Si vero quae sentimus libere aperire licet, quamvis postrema agendi ratio ad sacrum aemulationis ignem in clericorum animos fovendum quam maxime valeat, attamen justius alteram, qua per totum annum in studiis incitamenta adjumentaque tyronibus suppeditantur, seligendam esse suademus. Modi vero ceteri, quum ex peculiaribus tum corporis, tum mentis conditionibus, necnon ex aliis variis circumstantiis dependeant, aleatorii quam maxime sunt, ea quidem alea qua fit ut non meritis, sed casui, saepe, usurpata merces rependatur. Quidquid sit ne de facili traditiones postbabeantur et ex omnibus nuper memoratis in praemiorum collatione criteriis ut maximum quod licet aemulationis adiumentum assequantur sedulo Antecessores satagant contendantque. — Si vero ad rem certaminibus utantur ut plurimi saltem alumni honoris serta sibi ad invicem contendant, immo [quantum fieri potest] clerici omnes uni saltem certamini intersint adigantur, decet. Novimus tamen alumnos praesertim penitioris scientiae assequendae causa [dispendio interdum maximo] extra dioecesis fines missos, nil quam has studiorum industrias parvipendere ac frustrari antiquius habere. Sed eo consilio fit ut tum Sacrum Seminarium Collegiumve quos eos recipiunt erudiuntque, tum propriam dioecesim dehonestent.

b) Pecuniarii subsidii assignatio, conservatio, accessio, imminutio vel ablatio ad rem alumnibus omnibus maxime interest. Enimvero ut et in studiis merita ac demerita magnum heic pondus habeant dignum ac iustum est. Quamvis enim [uti Stagiritae monitum extat] *quisquis vel potentiae, vel auri, vel famae et honoris cura fatigetur* [1], attamen quos pecuniae vis haud pellit paucissimos invenies.

c) Penitioris scientiae assequendae causa extra dioecesim missio, magnum in re aemolumentum afferre consuevit. Quamvis enim, ut adjumenta dio-

[1] Ethicor. Lib. IV.

cesi comparentur nullumque detrimentum sentiat, cautissime hoc in negocio agendum sit, attamen non tantum utilitas, sed et canonica statuta hanc missionem interdum, ad peculiares quosdam effectus obtinendos, suadent imperantque. Quibus perbelle consulitur si hii qui [ut Pii PP. X monitum est], ingenio suo *praeclarum dioecesi adjumentum oblaturi sint tantummodo eligantur* [1].

d) SS. Ordinum dilatio pro theologici curriculi alumnis expressis S. Congregationis decreti verbis ad rem decerni iubetur. *Si vero theologiae alumnus sit* [inibi legitur] *per alterum annum curriculo obligabitur, cuius ratio habebitur in eius admissione ad SS. Ordines prius non permittenda* [2]. Et recte omnino, quum per quatuor theologiae annos, ordinate ad Sacros ordines accedendum sit, ac tantum in postremi exitu ad presbyteratum | romoveri oporteat. Ingratam vero hanc legis sanctionem negligentibus alumnis evasuram fore in comperto est, quo fit ut et saluberrima censenda sit. Quae omnia ad studia quod attinet, eo magis pro clericorum pietate ac disciplina ingeninenda sunt, pro quibus stictiores esse decet.

e) Beneficiorum tandem nunc et suo tempore facienda collatio [qua non tantum pecuniae, sed et potentiae, honorique consulitur] haud parvum in re de qua agimus adiumentum affert. *Cognita per examen cuiusque peritia* [D. monet Carolus] *Reverendissimus Archiepiscopus... deliberet si quis alicui... beneficio ecclesiastico... addici possit* [3].

f) E Seminario a postremis matutinis horis ad primas vespertinas in unoquoque mense exitus, quamvis ad aemulationem fovendam plures apud Gentes in consuetis sit, attamen Italicis pro Seminariis [jure meritoque] vetitum. *Nemini ordinariis in adjunctis, et cum Parentibus qui eo invisent, e Seminario exire licebit* [4]. Quae enim ex hac gendi ratione certa detrimenta habentur, incerta aemulationis adjumenta valde superant.

[1] *Motu proprio*, die 5 August. 1904.
[2] Artic. 113.
[3] *Instit.* Par. II, Cap. II.
[4] Artic. 162.

Articulus V.

De Rectoris quoad rem oeconomicam ac hygienem officia.

§ I. — Quae circa rem oeconomicam praestare ipse debeat.

Summae rerum. — CCIV. De fidelis et prudentis oeconomiae gestionis necessitate. — CCV. Rei familiaris fontes in Seminario quae sint. — CCVI. Ad eas augendas quaedam media recoluntur. — CCVII. Quomodo in re se gerere Rector debeat.

CCIV. — Fidelis et prudentis rei familiaris gestionis necessitas quum de societate agimus per se intelligitur. Intima etenim illa quae corporis cum animo necessitudo est, prout in singulis hominibus pulcherrima ac validissimam animam vigere, elucescere, nec fortasse vivere in corpore deformi, haud sano ac in necessariis quoque deficienti non sinit, ita quoque in hominum societate spiritualem quamlibet utilitatem percipere, si congruis commodis ac sibi sufficienti facultate non fruatur, nec permittit. Quod si aperto constat de quocumque Societatis genere dummodo humanum sit, magis ac magis in ecclesiasticis Sodalitatibus apparet quae quum finem supra ipsas naturae vires positum spectent, prout maiorem longe difficultatem prae ceteris in fine ipso prosequendo experiuntur, praecipua etiam media et adiumenta postulant. Nam si huiusmodi media non habeantur quae omnem de terrenis rebus importunam sollicitudinem superflam iam faciunt, in his quaerendis [sine quibus nec vita, nec actio datur] magna earum virium pars erit collocanda quae in finis prosecutionem impendi utilius potuisset; vel heroicam sane patientiam et abstinentiam, quam profecto ab hominibus exigere imprudens est res, postulabit. Quare iure Bernardus monere non destitit *ubi non est abundantia, ibi non esse observantiam*[1], quum jam experientia

[1] Epist. I.

constet non posse Rectores materialia commoda subditis parce praebere quin horum sincera virtus, alacritas ac fidelitas in officiis obeundis periclitetur. Ut plurimum subditi tantum affectus obsequii ac obedientiae Praeposito suo rependunt quantum commodi ac prosperitatis sibi praeberi videant; *egentis etenim mentem doctrinae sermo non penetrat si hunc apud eius animum manus misericordiae non commendat*[1]. Quae cum ita sint ut Rector ipsi spirituali bono clericorum utiliter consulat, summopere studere debet ut bono etiam materiali diligenter prospiciat; idque tum ut ipse, debita fruens tranquillitate, de altioribus rebus gerere curam valeat, tum ut illi extrinsecas eas molestias ne sentiant quibus maxime a bono proposito sanctisque operibus impediuntur. Concedimus sane nihil pecunia vilius aut sordidum magis esse; attamen si ea non per se, sed intuitu altioris boni aestimetur, nihil utilius aut opportunum magis ad ipsam vitam spiritualem suppeditari posse, consentiant omnes.

CCV. — Rei familiaris fontes in Seminario duplicis sunt differentiae: certi, videlicet, et incerti.

A) Fontes certi sunt:

a) Fundationes seu legata quae Benefactores pii constituere, vel dioecesim ipsa Seminario praestituit. Ad primum genus ex. gr. pertinent legata Episcopo relicta Seminario, quae idcirco nec ad alias pias causas distrahi possunt.

b) Taxae super beneficiis impositae ad sanctorum Canonum normam: de re autem libri qui de iure canonico agunt consulendi sunt, nec nobis heic aliud recolendum venit praeter quam quod, [iuxta recentiores S. C. Concil. decisiones], huiusmodi taxae constitui non possunt nisi favore Seminariorum quae ad praescripta Synodus Tridentinae reguntur.

B) Incerti fontes sunt:

a) Menstrua stipendia seu summae illae quae, [ex praescritione Episcopi et de Deputatorum intelligentia] solvendae sunt pro alimentorum parte ab alumnorum paren-

[1] S. Gregorius Magnus, *Regul. Pastoral.*, Par. II, cap. 7.

tibus, vel ab illis qui de alumnis curam gerunt. Est hic fons valde quidem incertus, quum, iuxta Tridentina decreta, id onus adolescentibus qui congrua rerum copia non gaudeant, imponi non possit, quorum adolescentium nostris temporibus, numerus valde crevisse videtur. Adde quod summa huiusmodi diversa pro diversis dioecesibus, immo pro diversis Seminariis iuxta alumnorum numerum constituitur; quod non semper facilis res sit eam repetere, et alia quibus plane constat non admodum ea fidere oportere.

b) Eleemosynae quarum profecto pietas fidelium numquam Ecclesiae permittit inopiam. Verum hisce nostris temporibus, [quibus pagana quaedam, ut aiunt, philantropia, prae christiana charitate invalescere videtur] oportet christifideles docere ubi maxime cum aeternae mercedis spe quae a Deo acceperint dona uberius collocare possit, in quibus potissimum sunt sacra Seminaria quorum vigore ecclesiastica omnia Instituta sustineri et augescere solent [1]. Id vero in primis sacerdotibus in mentem revocandum, qui quum [saltem veluti in radice et virtute] a Seminario omnia repetant quae utcumque possideant, profecto ubi cum maiore aequitate et fructu bona sua impendant, quam in Seminarii ipsius bonum et incrementum, non habent, cui liberalitates praecipuas absque ullo, ut plurimum, onere conferre oportet.

CCVI. — Ut vero prospere magis et maiore cum spiritualis boni fructu huiusmodi rerum copia habeatur, haec summa principia Rectori recolenda sunt:

I) Iuvandus in primis divinus cultus, ac extrinsecum etiam decus domus Dei diligendum, quum dubium non sit neminem Deum ipsum summa liberalitate superare umquam posse.

II) In aegrotis benefacere, qui cum a Deo magis exerceantur, ab eo etiam vicissim magis diligi videntur, qui propterea eorum tribulationes lenientibus propitius magis et amicus efficitur.

III) In pauperes liberales esse veluti texera christianae religionis iure habitum est, Domino ipso dicente:

[1] Cfr. Leo XIII, *Epist. ad Episcop. Nicaenus.* die 5 Ian. 1889.

quamdiu uni ex his minimis fecistis, mihi fecisti [1]; qui etiam haud semel profecto dilectionis amplissimae viscera in illos et in eorum benefactores ostendit. Quare vix dignus Rector in Seminario existimabitur qui [cum cautelis utique quas prudentia suadet] huic electissimae Dominici gregis portioni, curas et subsidium in necessitatibus denegaret, quae et illi benedictionibus et Deus remuneratione amplissima prosequitur.

CCVII. — Hisce praehabitis quomodo in re oeconomica sese gerere Seminarii Rector debeat paucis recolemus. Idcirco:

a) Rei oeconomicae gestionem, ut plurimum, Oeconomo, cui [ex Legislatoris praescripto demandata est] Rector committtat; profecto magis opportunum est ut gestionem de qua agimus alii probae et peritae personae, sub eius tamen vigilantia et moderatione, concedat. Etenim ea omnia rationum momenta quae pro pietati, studii, disciplinae peculiari moderatore constituendo attulimus, huic quoque proposito aperto faciunt, quin etiam et gravius admodum in administrationis negotio momentum est, quod videlicet familiaris rei gestio, suapte natura, mentem ad terrena intenta postulet, cordis affectus quadantenus obtundere extrinsecus saltem videatur, nimium temporis et laboris sibi vindicet, ac propterea maioris momenti rebus gerendis quae Rectori propriae sunt, gravissime officit. Quem si utraque directe et per se moderari et spiritualia et temporalia velit [ut plurimum], utraque pessumdare contingit: quod quidem sedulo attendendum et considerandum ducimus. Advigilent igitur Seminarii Praepositi rerum temporalium bonorum fortunae administrationem, de ea vehementer solliciti immo sint; verum, ut plurimum, eidem consulant non per se, sed per idoneas personas, quibus communius Oeconomi, seu Procuratoris nomen est.

b) Normae Seminarii administrationis, magni quidem faciendae, huc redeunt:

I) Meminerit Rector pecuniam bonave sibi administranda ab Ecclesia concredita, bona esse

[1] Matth., XXV, 40.

ad Ecclesiam spectantia. — Quare si in ipsa pecuniae propriae contrectatione cautum, fidelem et prudentem esse debet, multo magis ad id tenetur quum de alienis, maxime quum de ecclesiasticis opibus, sanctis illis ac religiosissimis, quid disponit. Prout enim ad districtam reddendam rationem coram Deo et hominibus obligatur, ita etiam gravi conscientiae officio tenetur ut ad normam SS. Canonum ac Ordinarii eas administret.

II) Pecuniam tanquam rationem medii, non quidem finis habentem consideret. — Igitur numquam ea quasi muneris sui scopus ac propositum, quaerenda, adhibenda, retinenda est, sed tantum ad opportunam finis adsequutionem Seminarii propositum. Ergo regiminis finem assequendum etiam pecunia libenter impendatur, quae quidem nullibi melius collocari poterit quam ubi, iuxta facultatis ac prudentiae limites, ad finis assequutionem conducere potest. Media enim ex fine et ad finem. — Insuper sordidam pecuniae aviditatem Rector sedulo devitet; nam dum Seminarii Praepositus labentia, instanter nimis, quaerere cernitur, hinc inde, tum infra, tum extra Seminarii septas, recte omnino, dicitur: *Non sic olim loquebatur in Israel* [1].

III) Devitentur pariter tenacitas ac prodigalitas, sed iusta semper mediocritas teneatur, prouti Seminarii condicio sinit. Excessus quidem semper in iustae rationis detrimentum vergunt, nec minus qui nimis tenax quam qui prodigus omnino est administrator nocet, qui et contra aequitatem, iustitiam et charitatem insimul agit.

IV) Ne maius pondus suscipiatur quam quod humeri ferre valeant. Haec est practica norma cuiusvis rectae administrationis tum privatae tum publicae, tum ex officii debito gerendae. Illa enim in omnibus moderatio quae prospera cuncta parere solet, in his etiam dominari oportet, ne, ea neglecta, anxietates, aegritudines, ac gravia damna exoriantur. Quin etiam ut libentius minus quam quod ferri potest onus suscipiatur prudentia iubet, ac ut intuitu futurae necessitatis detineamur a leviori illa prodigalitate,

[1] S. Gregorius Magnus, in *I, Reg.* Lib. IV, cap. 4.

quam quidem omnes in praesenti gratam acceptamque habent, sed postquam illam expilaverint, libentissime derident vituperantque.

V) Nihil mutuo detur vel accipiatur, seu nec debita nec credita ineantur. — Quae norma si cuique administrationi gerendae utilis ac opportuna, multo magis Seminarii gestioni contingit. Aes alienum enimvero dedecet nocetque quam maxime; pecunia mutuo, ut plurimum, parvo cum fructu creditur, nec facile repeti potest. Si autem commodatio petitur [si res fieri potest] donare praestat; nam donatio semper amicum comparat, commodatum vero certius inimicum debitorem reddet, ut nihil dicam de eo quod Sapiens monet: *Si faeneraveris quasi perditum habe*[1].

VI) In pecunia investienda attendendum magis ad depositi securitatem quam ad usurarum copiam, nam quo maior haec, eo minor illa. Seminarii pecunia de Episcopi consilio collocetur: numquam vero alea periculosa cuiusvis tandem generis tractanda, quae semper incertam ac precariam utilitatem; grave, e contra, tum pecuniae, tum maxime sacerdotalis famae et honoris detrimentum parere solet.

VII) Etiam minuti impensi ratio habeatur: nam huius cumulus in annum supra modum excrescit, atque ubi rationis reddendae officium urget, iam nec opinatum pondus [haud semel importabile] efficit; hic quoque qui in modico infidelis est, in maiore quoque erit. Ad rem Legislatoris praescripta Rectori recolenda sunt: *Quod ad Seminarii administrationem attinet, iure gaudeat urgentes impensas ordinandi, quas necessarias, vel utiles ad rectam Seminarii gerendi rationem existimet, consulto prius Episcopo cum de gravioribus agatur expensis, ne statui oeconomico Instituti ullum praeiudicium afferatur*[2]. Si quid vero in re ab Ordinario peculiari modo jubeatur, ut non voce tantum, sed et scripto fiat, enixe Rectori consulimus: verba enim saepe volant, scripta vero manent, et prudentia haud obedientiae obstat.

[1] *Eccles.* VIII, 15. [2] Artic. 34.

VIII) Obsistendum est cupiditati nova aedificandi, quae ad certam, ut plurimum, ruinam cito res adducit. Quod si ad huiusmodi aedificationis manus admovenda sit [ne quod unus condit, destruat alter] curetur ut prius aliena coepta compleantur.

IX) Secreti custodia negotiorum veluti robur et nervum consistit; quamobrem religiose illud servetur, ne secus et opera omnis disperdatur, et in prudentiam aut charitatem graviter offendatur. Ad rem vero magis sub secreto cadit si qui alumni Seminarii impensis alantur, vel si menstrua stipendia favore unius imminuantur, si parentes in alimentis solvendis solliciti sint necne, immo ipsa omnia regesta quae ad administrationem pertinent.

X) Tandem meminerit Rector rem esse periculi plenam pecuniam, ac multo etiam magis aes contrectare alienum; adeo enim [ut Chrysostomus monet] *omne negotium inter ementes et vendentes conficit mendacium*[1], ut ubi circumspectissimae cautelae non adhibeantur, magnum adsit fraudis patiendae periculum. Alia periculi ratio in eo est quod ubi qui pecuniam negotiantur sedula diligentia rei non consulant, facilis fit dissipationi; quum etiam et foedae praevaricationi aditus: quibus, non modo animi pax et unio cum Deo dissolvitur, sed et magna boni nominis iactura, deterrima Sanctuario macula, gravis coram Deo et hominibus culpa paratur. Non Deo tantum, sed et hominibus coram diximus, quum si [Rector attendat quaeso] hi omnibus parcant, pecuniae vero nullomodo parcunt, in qua administranda [etsi in coeteris optime se gerat] si imprudentem se exhibuerit, suae temeritatis gravissimam poenam ipse luet. Oeconomicam rem vigilet igitur Rector, impense vigilet; at meminerit semper [iterum iterumque admonemus] *saecularia negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, numquam vero ex amore requirenda*[2].

[1] Homel., XI, *supr. Genes.* *Reg.*, Lib. IV, cap. 4.
[2] S. Gregorius Magnus, in *I.*

§ II. — Quae circa hygienem praestare Rector debeat.

Summae rerum. — CCVIII. De hygienis in Seminarii necessitate. — CCIX. Quae in re Legislator praecipiat. — CCX. De mediis ad rem indirectis. — CCXI. De valetudinario constituendo ac regendo. — CCXII. Peculiaria hygienis media directa inlustrantur, seu de horario, cibo, indumentis ac corporis munditia.

CCVIII. — Quae et quanta sit hygienis necessitas ex humani compositi consideratione evincitur. Quamvis complures eo virium vigore et fortitudine sint ut valetudinem veluti suapte natura servent, attamen longe plurimi, nonnisi ubi prudenter et constanter praecepta hygienis observent, hanc sibi spem repromittere possunt: haec porro praecepta [ut notum] tum personas, tum res spectant, tum omnium communia, tum quorumdam propria sunt. — At vero, quum nihil tam optimum ac integrum sit quod utroque excessu non corrumpatur, mediam semper tutissimam viam Rector quisque teneat, ac summopere caveat ab illis qui tum nimiarum pauciora quam quae oportent consulere videantur. Nam et diebus nostris sunt qui corporum commoda prae spiritualibus adeo nimis extollant ut contrariam partem iniuste deprimant. Hi [quos materialistas vocant] nihil curant nobilitatem illam quae ratione tum originis, tum finis assequendi, animo ac spiritui convenit, ac propterea, corpus prae animo valere iubentes, finem medio subiiciunt, omnemque iustum naturae ordinis pessumdant. Alii vero [quos spiritualistas dicere placet] nimis a corpore praescindunt animumque tanti faciunt ut nulla fere consideratio corporis supersit: quare necessariis mediis deficientibus, nec animus vigere, neque ad ardua extendi potest. Equidem nec inficiamur certum qui de omnibus gentibus, aetatibus personisque valeat modum rei praefiniri non posse: attamen id saltem omnibus commune erit, aliquem dari modum citra quem vitium aut defectus, et fortasse damnum emerget. Hunc vero modum [quem in concreto

communis experientia docet] religiose servari, omnium scilicet, tum personarum tum Seminarii interest, idque tum si materiale, tum etiam si spirituale commodum spectes vel consideres. Omnes etenim physiologiae cultores uno ore censent affirmantque haec communia hygienis praecepta servata, validissimum praesidium, non modo valetudinis, sed et honestatis conferre; violata vero, grave periculum in morum etiam negotium inducere. Quamobrem quos valetudinis detrimentum non movet, movere equidem debet honestatis animique ipsum bonum quod exinde magnam partem dependet, ut excessus utrimque caveantur, tum qui nimis, tum qui minus in rem sunt, ac mediam e regione viam ineant, quae bonum corporis [non suipsius gratia, sed boni spiritualis causa] prosequitur. Hanc etenim viam non modo sana rerum doctrina, sed ipsa Ecclesiae auctoritas aperto commonstrat, quae in Seminariorum regimine saniore efficiendo, sedulam de hygienis praeceptis curam usque gerere consuevit; immo tam sedulam ut imperitis exquisitior etiam videatur. Quam si attente reputaverimus, novum ac validissimum rei argumentum suppeditatur, obsequium videlicet ac studium, cuius officium omnibus Ecclesiae alumnis sanctissimum esse debet. Quare tum rerum natura, tum iustitiae charitatisque officium, tum ipsa sacra obedientiae virtus antiquum illud graecae sapientiae effatum commendant, [quod utique tamquam tutissima norma prae oculis habendum est] *Mens sana in corpore sano.*

CCIX. — Quae in re Legislator praecipiat huc redeunt:

Art. 33. — *Paternarum Rectoris sollicitudinum obiectum quidem esto alumnorum valetudo: certior eum se faciens sive per se, sive per vice-rectorem de victus integritate et ut hygenica praecepta serventur, ac infirmis apte consulatur illisque quidem quorum valetudo peculiares deposcat curas* [1].

Art. 49. — [Praefecti] *singulariter sint solliciti alumnorum sanitatem, cautiones contra infirmitates adhibentes, atque statim Superiores doceant si quis infirma valetudine afficiatur* [2].

[1] Par. I, Cap. I. [2] Ibid. Cap. II, § 1.

Art. 74. — [Oeconomiae gestor] *peculiari cum diligentia culinae invigilet ut alumni congruenter deserviantur.*

Art. 76. — [Oeconomiae praefectus] *curabit ut in Seminario regulae decentiae observentur et hygienica subsidia adhibeantur* [1].

In appendice autem haec peculiaria traduntur monita:

Art. 1. — *Sacellum, triclinium, loca ad studium designata eorundem adnexa etc. ampla, satis illuminata aerique exposita sunto, et si fieri potest, electrica illuminatione praedita.*

Art. 2. — *Auditoria purgata serventur, commoda habeantur scamna iuxta typum hygienicum et aptum diversae alumnorum aetati.*

Art. 3. — *Curetur ut ubique, saepe, quocumque anni tempore, aer renovetur.*

Art. 4. — *Cubicula conturberniaque ea sunto amplitudine ut quisque alumnorum saltem habeat 14 m. aeris.*

Art. 5. — *Aqua potabilis ab alia quae usibus communibus inservit separetur.*

Art. 6. — *Foricae numero alumnorum accomodatae sunto, aeri expositae et constructae iuxta hodierna hygienica praecepta.*

Art. 7. — *Ubique vasa ad expuendum metallica malthaque obducta habeantur.*

Art. 8. — *Quotidie cubicula, auditoria, triclinia cunctaque domus loca poliantur madida scopa, vel etiam scopis mappis involutis.*

Art. 9. — *Si auditoria extra seminarium sint, oportet ut prope ea vestibulum habeatur amplum ventoque commodum, in quo umbellae, pilea humidaque pallia deponantur.*

Art. 10. — *Quisquis alumnus quam maxime curet corporis munditiem, faciem collumque quotidie, manus saepius praesertim ante refectiones abluat; horis opportunis os et dentes quidem colluat.*

Art. 11. — *Oportet ut, interdum, totum corpus balneis lavetur; ad hoc destinentur dies in quibus scholae vacant. Balnea ingrediantur alumni turnatim, servato temporis spatio a refectionibus; succedant autem exercitationes physicae quibus balnearum salubritas fovetur.*

[1] Ibid. § 7.

Art. 12. — *Res lintearia tum corpori, tum saepius lectuli mutentur; vestes quotidie peniculo mundentur. Strophia gummi confecta omnino prohibeantur utpote, sanitati perniciosa.*

Art. 13. — *Deambulatum eant extra urbem per horam saltem quotidie, et diebus in quibus scholae vacant per binas horas.*

Art. 14. — *Loca ad recreandum destinata, si fieri potest, aperta sunto, et sub portico si pluat. Alumni nec sedeant, nec consistant ad conversandum, sed deambulent ac partem habeant ludis collectivis in quibus vires corporis exerceantur.*

CCX. — Media hygienica ad maiorem et perspicuitatem et brevitatem veluti in duas classes dispescimus, quarum prima indirecta, altera vero directa complectitur: illa Seminarium ut talem [nempe collective sumptum] spectant, haec vero alumnos ut singulos potissimum considerat. — Media indirecta quae Seminarium respiciunt [ni fallimur] complecti possumus in requisita quibus loca ad hygienis rationem praedita esse oportet; quae si desint, loca ipsa non minus valetudini nocent quam ipsorum ordo praeposterus disciplinae nocet. Quare:

a) Extructa non tantum ad disciplinae et ad aesthetices ipsa precepta et commoda, sed [multoque magis] ad hygienis praescripta et consilia sint. Non expedit plane proposito nostro ut haec singula ipsi recenseamus heic quae melius praestare possunt [et communiter reapse praestant] libri qui de recte aedificandis pertractant. Hos igitur adeat in genere rei cupidus Rector qui etiam in concreto ad leges quas sua Natio de re tulerit sedulo attendat. Sed saltem haec communia in mentem revocare praestat:

b) Locorum amplitudo et volumen [praesertim ubi dormitur] ita statui debet ut nemini habitantium minus quam 15 m^3 suppleditentur. [1]

c) Apte sunt separanda, aut saltem bene secernenda, ea loca [ut culina, foricae, stabulum, cavea, horrea, officinae, etc.] quae non bene oleant, a locis ubi clerici consueto degerint.

[1] Cfr. Artic. 4 *appendic.*

d) **Subterraneum amplum aerique patens condatur**, ac toto ambitu in gyrum subterraneo, ita ut domus humiditatem non capiat.

e) **Infima domus** numquam ad accubitoria destinentur; sed haec constituantur in superioribus, ita tamen ut domus partes ad meridiem versae, quantum fieri potest, pro cubiculis ad hunc finem praeligantur. — Ceterum in hisce singularis aestimanda ea lex generalis quae iubet: loca ubi maior alumnorum numerus, aut per maius tempus degere debeant, prae ceteris quam maxime aptissima et commoda ad normam hygienae sint, et disciplinae praeceptis simul opportune prospiciatur.

f) **Aula numquam satis erit**, ita quidem ut ingentes amplae constituantur, maxime in locis studiis et quieti designatis, et in accubitoriis praesertim, in quibus etiam cavendum est, per idonea media et argumenta, aer frequenter innovari possit. Nam nec verus principe hygienis praeceptis, maxime si de locis agatur ubi complures degant, habendus est.

g) **Munditiae sedulo et frequenter procurentur**: quum haec non ad superflua commoda, sed ad **primas** pertineat **necessitates**, et quidem illis quibus pertinere non oportet. Illae curae tum in hebdomadas, tum in menses distribui possunt, atque famulis maxime committendae, sub sedula tamen vigilantia, et officio suo in hoc non desint. Quo maior vero incolarum in loco numerus est, quo maior eorum in eodem mora, quo minus locum apertum et bene dispositum, eo magis illud nitere oportet. Ideo v. g. ob incolarum multitudinem curandum in accubitoriis, scholis, aulis studiorum: ratione vero facilis infectionis in latrinis, culina, cenaculo, officinis, vestiario.

h) **Disinfectio adhibenda** tantummodo est in quibusdam locis quae facilis experientia commonstrat, et in valetudinario [ut infra dicetur]; ea vero de medici iussu et consilio aggredienda erit [1].

i) **Illuminatio** quae non habeatur a natura, ex artificio copiosa etiam procuranda erit, quum secus non

[1] Cfr. Artic. I in appendice. [2] Cfr. Artic. XI infra.

modo valetudo, sed et disciplina ipsa grave detrimentum capere consuescat. Quoad hygienem maxime commendatur luminis genus electricum, ac illud adhibendum ubi oeconomicus status id permittat [1].

l) Aquae genus sit sanum et copiosum: quod potui destinatur, ab alio genere quod ceteris usibus inservit bene secernatur. [2]

CCXI. — De valetudinario peculiaris dicendi seges est; illud est enim ex locis omnibus quod maiores hygienis curas postulet, tum quoad situm, tum quoad ordinem et munditiem, tum qucad regimen.

a) Quod ad situm pertinet *versus meridiem, si fieri potest, ponatur.* [3] Ceterum ut a reliquis aedificiis [saltem ab illis quae magis frequentantur] singulariter separatum sit, tum aegrotatium quies, tum contagii periculum consulunt.

b) Ordo valetudinarii summopere postulat ut illud distinctis cellis constet, et quidem ita ut saltem una ex cellis *remota et bene separata sit pro illis qui aliquo fortasse contagio corripiantur.* [4] Alia cella morbis inspiciendis et pharmacis asservandis constituatur, ubi etiam dentium curator et chirurgus sua operari poterint. Pharmaca vero, quamvis non sine numero, *ea tamen copia sint ut urgenti curationi satisfacere possit.* [5]

c) Mundities valetudinarii egregia omnino sit, ad quod multum conferet *si parietes e coctilibus lateribus struantur.* [6] Nonnumquam etiam de medici iussu oportebit disinfectionis opera in cellis peragere, ac propterea expedit ut illae ita sint extructae ut, nullo negotio, id opus fieri possit. Semper vero necessarium erit ut aer facile innovari queat.

d) Valetudinarii regimen tum moderationem disciplinarem, tum practicum huius loci usum spectare potest.

I) Moderatio disciplinaris tum mediata, tum immediata consideratur.

[1] Cfr. Artic. 1 *in appendic.*
[2] Artic. 5 *ibid.*
[3] Artic. 23 *ibid.*
[4] Artic. 24 *ibid.*
[5] *Ibid.*
[6] Artic. 23 *ibid.*

1) Mediata procul dubio ad medicum spectat, cuius est opportuna tum aegrotis curandis, tum locis recte servandis documenta praescribere. Nec de his aliud addendum, quum officium hoc integrum illius prudentiae committatur, penes quem omnium quae ad valetudinem spectant iudicium et arbitrium est.

2) Immediata moderatio Infirmarii munus est, qui tum sibi praescripta sedulo serbabit, tum aegrotantibus suam regulam, quantum fieri poterit, adeo observandam indicet, ut valetudinis incommodum dissipationis vel insubordinationis occasione ne fiat, ac valetudinarii ordo et quies nullum detrimentum patiatur.

II) Valetudinarii usus certis regulis et normis coarctandus est, quarum nonnullae a Vice–Rectore, nonnullae ab infirmis servandae erunt: utrisque vero et observantiae consulere Rectoris est. Ad rem in S. Congregationis decreto, legitur:

1) *Nullus aegrotum invisere poterit absque peculiari Rectoris, vel Vice-Rectoris licentia.*[1] Ab hac norma nec ipsi Institutores excipiendi sunt: illis tantummodo qui immediatam alumnorum curam gerere debeant [Magistris videlicet et Praefectis] concedi poterit ut alumnos *suos* invisent. — Ceterum si quilibet, officii vel charitatis causa, ad aegrotum [contagio affectum] accesserit, cautelae omnes praescribendae sunt quibus omne infectionis periculum arceatur.

2) *Quisquis alumnus in infirmam incidens valetudinem, illico Praefectum doceat, his autem Rectorem, ut infirmus omni cum diligentia in valetudinarium transferatur, et statim medicus de re doceatur.*[2] Etenim tum aegrotantis et ceterorum alumnorum valetudo, tum disciplinae vigilantiae non parum periclitarentur si aegrotus in communi accubitorio degere permitteretur. — Si vero morbus gravior fiat, S. Congregatio praescribit ut *infirmus in familiam, vel in aliquam valetudinariam domum transferatur* [3].

3) *Vice-Rector studebit ut infirmis cum diligentia ac caritate fida persona adsistito* [4].

[1] Artic. 29 *in appendic.*
[2] Artic. 25 *ibid.*
[3] Artic. 28 *ibid.*
[4] Artic. 26 *ibid.*

4) *Infirmus medico adsistentique in omnibus qui sibi ordinentur pareat*[1].

5) In valetudinario degere tantum alumnis peculiaribus curis indigentibus concedatur; saepe nimis enim desidiosi tyrones, ut studiorum labores effugiant, longiores quo fieri possit moras in valetudinario protraere contendunt.

CCXII. — Hygienis media directa tribus constant, videlicet, ordine in agendis, alimentis, in vestibus, in corporis curis et solatiis, de quibus singula pauca.

a) Horarium ex potissimis est mediis ad ordinem in Sodalitatibus omnibus servandum, maxime vero in Seminariis ubi adolescentium insueta experientia, rigorosa disciplinae observantia, a periculis custodienda est. At de hoc alibi diximus.[2]

b) De cibis advigilandis quodlibet verbum plane superfluum erit; magis igitur ad practica convertimur:

1) Cibus tum quantitate, tum maxime qualitate et praeparatione illi vitae generi quod clerici profitentur aptandus — At generatim recolendum, illos qui in studia incumbunt utilioribus cibis egere qui multum alimenti in parvo volumine, parvoque stomachi labore suppeditent.

2) Omnibus vero cibus varius, sanus et copiosus, magisquam exquisitus, provideatur; immo quidquid exquisitum nimis genus redolet a Seminario omnino arceatur. Quantitas et qualitas vero opportune augeantur pro solemnibus anni festis, praesertim cum adolescentibus, quibus grave esse consuevit si [prout ipsi iocose dictitant] *in Ecclesia magna festa, in culina feria sexta* sit. Ceterum generatim adolescentes quantitatem magis quam qualitatem spectare videntur, ac propterea, ad quaerimonias cavendas [saltem quantum vires sinunt] magis abundare quam deficere consultius est.

3) Curetur etiam, quo magis fieri possit, ut omnes alumni eadem ciborum qualitate utan-

[1] Artic. 27 *in appendic.* [2] Cfr. pag. 215.

tur: nec exceptio detur ex cuiusvis arbitrio, sed tantum caute et prudenter ex valetudinis vera necessitate.

4) Locum cibis sumendis statum unum sit refectorium, ex quo nemini liceat quid alias auferre, et in quo nec permittatur quidquam mutuo dare vel accipere. Neutiquam igitur ferendum, quod clerici extra refectorium cibos et potiones, pro suo arbitrio, sibi parent sumantque.

5) Rectores omnes magnam boni spiritus partem quem in Seminario vigere oportet ex ratione cibi dependere menimerint. Quamobrem Rector qui illius virtutem et utilitatem ferre velit, summopere eum advigilare oportet, ne Oeconomus [ut saepe evenit] magis de oeconomia quam de cibi qualitate et opportunitate sollicitus sit. Rector ipse hinc potest et debet, nonnumquam, de re certior fieri, et ex facti ratione providere.

6) Num expediat ut in Seminariis praesertim Moderatores et alumni una simul cibum capiant quaestio habetur. Nihil quidem alterius opinionis libertati et auctoritati, si qua gaudet, demptum seu detractum volumus; attamen tum auctoritati, tum libertati Institutorum, si illi coenaculum habeant a communi alumnorum refectorio seiunctum, magis congruere existimamus, quod etiam cum magno Moderatorum incremento traditio borromiana tulit fovetque. Nam, quum dignitas, curae, aetas, condicio Superiorum diversae sint, diversae quoque eorum necessitates sunt, quibus quidem morem gerere oportet, idque absque ulla alumnorum admiratione ac quaerimonia, quae facilis ex visu exoriri posset. Nec regulam hanc ita urgemus ut nihil omnino peculiaribus rerum adiunctis concedendum censeamus, praesertim si de Institutis Superioribus sermo est, aut de Gentibus apud quas alumni maiore iudicii maturitate utantur. Sed in his quoque attendendum [quum contraria ratio ineatur] ut Institutores omnes optimum alumnis exemplum in re imitandum praebeant. — At haec de ipsa quaestiuncula in se: nec singillatim heic recensendum putamus quid de ciborum quantitate, qualitate, et de lectione, colloquutione relate ad Superiores statuendum sit: facillime iudicium suum in haec ferre prudens Rector poterit.

c) Et indumenta quoque multum ad hygienem conferunt, de quibus Legislator edicit: *Res lintearia tum corporis, tum lecti saepius immutetur: vestes quotidie peniculo mundentur. Strophia gummica omnino prohibeantur, utpote sanitati perniciosa*[1]. In Seminariis alumnis haec cura conceditur, quod, ut plurimum, [adolescentioribus praesertim] haud convenit.

d) Corporis mundities ad hygienicas leges servandas summi momenti est, quae si defecerit incassum industriae ceterae observarentur. Idcirco in S. Congregationis decreto apte legimus:

Artic. 10. *Quisquis alumnus quam maxime curet corporis munditiem, faciem collumque quotidie, manus saepius, praesertim ante refectiones, abluat: horis opportunis os et dentes quidem colluat*[2]. Ad rem D. Hyeronimi nomita dilecto Nepotiano habita, et clerici prae oculis habeant: *Vestes pullas aeque devita ut candidas. Ornatus ut sordes pari modo fugiendae sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet*[3]. Idcirco excessus devitentur, et in medio, quod est virtutis sedes, hac in re sistendum.

Artic. 11. *Oportet ut interdum totum corpus balneis lavetur... Balnea ingrediantur alumni turnatim, servato temporis spatio a refectionibus: post balnea opportuna exercitia corporis quisque in aprico peragat*[4]. Curae vero a Moderatoribus praestandae, ne dum hygieni consulitur, virtus labefactetur, per se patent. Attamen hoc unum recolere praestat, scilicet, balneorum obligationem a S. Congregatione recognitam, quod de cetero non tantum in hygienis, sed et morum bonum [ut ex physiologicis constat praeceptis] vertere consuevit.

[1] Artic. 12 *in appendic.*
[2] Artic. 10 *ibid.*
[3] Epist. *Ad Nepotian.*
[4] Artic. 11 *ib'd.*

§ III. — De Solatiis.

Summae rerum. — CCXIII. De solatii in Seminario necessitate utilitateque. — CCXIV. De recreationibus. — CCXV. Leges et rationes ad rem recoluntur. — CCXVI. Quae culpae inibi admittantur. — CCXVII. De recreationibus extra ordinem. CCXVIII. De aliis extra Seminarium habendis. — CCXIX De ludorum necessitate — CCXX. Quaedam ad rem normae recoluntur. — CCXXI. Qui ludi clericis indulgendi sint. — CCXXII. Quae ad rem Institutores praestare debeant. — CCXXIII. De extra Seminarium deambulatione. — CCXXIV. Ad rem normae. — CCXXV. De ludicris itineribus. — CCXXVI. De Seminarii villa. — CCXXVI. De Theatris et Academiis in Sacris Institutis.

CCXIII. — Tum corporis, tum animi recreatio, ad iuvenum animos sublevandos et recreandos, necessaria est quam maxime; quamobrem non tam ad remedium praebendum corpori, sed ad animi quoque aemulationem fovendam ea maxime servit, quae negligenda non est absque gravi culpa Rectorum. Neque tamen infrequens est Moderatores videre qui, totius rei incuriosi, adeo quasi pensum et laborem recreationes alumnis imponunt ut forte poena sit. Clerici itaque ad recreationem non secus atque ad scholam, aut ad castigationem sese conferunt; palaestrae quasi tristia coemeteria fiunt; deambulationes vero quasi in sacrae pompae speciem ducuntur. At hoc modo iuventutis omnis vita supprimitur; neque enim illi stimuli adduntur, sed tot legibus et iuribus comprimitur ea passim et constringitur qui iansenistico plane modo, satis numquam quid recreatio sit, quid re nomine ferat aut requirat Moderatores cognovisse ostendunt. Conversis hoc modo in poenam solatiis, nihil iam superest quam ea quantocius liquere ut rursus ad studia convolet animus, quod tamen, nisi vires iuventutis aequo frangantur labore, tum corporibus, tum animis maleficum maxime evadit. Enimvero:

a) Corporibus necessaria recreatio est: ut quis nimis arcum tendit hic facile frangitur, ita clerico cum pueris ac iuvenis vires, maxime quas studium vel me-

ditatio infirmaverit, reficiendae sunt. Hanc refectionem si negaveris, aut male concesseris, aut ex parte abstuleris, neque iam ulla studendi voluntas, aut pietatis exercitium possibile supererit, et adolescentis vires facile pessumdabuntur. Anglorum consuetudo et traditio est ut pueri vel tirones Ecclesiae ad studia et pietatem recreatione adducantur; ut prius nimirum corporis, mox spiritus ac mentis valetudo firmetur; ludus itaque lex et consuetudo est, et non secus ac de reliquis institutionis partibus ludorum cura suscipitur; primum enim corporis valetudini prospicitur, mox animi et spiritus, ut mens et voluntas vi plena et forti fruantur. In latinorum vero consuetudine fere nulla de paranda recreatione est sollicitudo, nisi ea forte quae lusus in ingratam poenam convertit. Inter utrumque autem extremum, media via interest nostris quoque Gentibus apta, qua, nimirum, recreatio [qua praecipua ad rectam institutionem auxilia adhibentur] non sane tamquam finis, sed quasi aptissimum medium ad eam perficiendum iubetur. Fugit enim alias valetudo; medicus vero si vincit, Institutor vertitur in fugam.

b) Ad morum utilitatem necessariae recreationes sunt. Aequa enim deficiente refectione mentis, labor inde exoritur gravis, atque inde, obmurmuratio, contumacia, negligentia, vitium forte et corruptio sequuntur, quo ita animus vulneratur ut corruptionis habitum [quo aeternae ei poenae tandem parentur] per vitam omnem exuere nequeat. Quae sane omnia, ut cuicuque institutioni adversantur, ita maxime ecclesiasticae noxia sunt, cuius praecipua pars est virtutis et sanctitatis parare triumphos. Cum igitur quaesiverit quis utrum hoc vel illo in Seminario recta disciplina vigeat et observantia, ludentes clericos perscrutet videatque an forte ii libenter et laeti ludant iocenturque; an contra [taedio victi] heic vel illic considant, vel seorsim per manipulos fere coniurent. Si vero plerosque ludentes et laetantes viderit, gaudeat plane et exultet Moderator; ubi enim laetitia regnat nihil adversarius potest, atque alumni tempus in saltus et ludos terentes neque vitia cogitant.

Solatii itaque necessitatem perspectam habere

omnes Institutores velimus, quo plane fiet ut nihil illi negligant quo recreatio talis revera sit qualem ad tuendam corporum animorumque salutem recta institutio requirit. Si quis enim vult tironem recte orare recteque studere litteris, serena mente, integris viribus et ita sanus ut quietem et meditationem et mentis exercitium requirat [quo tandem suam ipsius eruditionem perficiat] lusus ei aequos rectosque paret. Omnino itaque quaedam institutionis ratio improbanda est quae clericum veluti in marmoreum signum, aut in cadaver frigidum immutare contendit. Quem forte si libero nimis pede saltantem vel deambulantem viderit, aut nimiam vocem efferentem audiverit, quasi modestiae et decoris osorem redarguat. Tunc viderentur recreationis campi in heremum immutati [ubi medidantes monachi deambulant], aut perpetua ibi esse Spiritualia Exercitia credidisses, quo, nimirum, tempore sodalibus vetitum est silentium ullo laedere verbo. Ad summum autem terni vel quaterni procedentes de studiorum re una conversatio est; cum vero aes campanum tinnierit tantae erit tandem tristitiae finis, atque pallescentes et iam senescentes alumni ad sua negotia, nihil refecti, redibunt. Haec plane scribentes et enarrantes vera enarrare nos Rector sciat, quae tamen, ad rectam clericorum institutionem, ut numquam hodie iterum fiant auspicare iuvat. Iuventuti enim vis, vita corporisque labor quoque necessarium est; non vero minia gravitas, quae senum tantum decet.

CCIV. — Recreationes genere pro spatio, diebus, locis salubritate et anni tempestatibus variae:

a) Pro spatio variae sunt: nam pro variis in die integra studiis et laboribus tirones implicantur ut recreatio vario tempore producatur oportet; alia ad horae quadrantem vel dimidiam, alia vero ad unam, vel [ad maximum] duas horas. Communibus autem diebus saltem unius horae recreationes quae aut mensam, aut scholam sequuntur; inter scholam vero atque scholam breviores fiant.

b) Vacationis diebus recreationem diuturnam magis quam studia sit oportet; secus enim si omne scholae tempus in studium conversum fuerit, vacationis omnis utilitatis plane exsulabit. Ex integra igitur

feriata die, septem horae cum dimidia sommo dandae sunt, sex studiis, una cum dimidia mensae, duae cum dimidio orationi, media sit transitus data ex una re in aliam, sex vero recreationi concedantur, quarum tres saltem deambulationi tribui oportet. Neque nimia haec videantur; ipse enim Divus Carolus feriam quintam dandam ex integro recreationi volebat, aut saltem mediam, ut hyemis tempore, quo pomeridianae horae omnes recreationis horae essent servari iusserat[1]. Quae sane iniuria esse dicta nemo putet; cum enim non aequo semper modo nitcat sol, sive studiis, sive solatiis, pro varia anni tempestate et aeris amoenitate et salubritate coeli, varium tempus tribuendum videtur.

c) Dies non feriatus variam non facit recreationem; ille enim et certos ludos haud esse sinit quos feriatus exigit.

d) Locus recreationis saluberrimus puro atque libero aere in horto aut in campo eligatur; male enim in contuberniis aut in ambulacris, pessime vero in decubitoriis corpus viresque reficiuntur.[2]

e) Pro salubritate oportet ut illae praesertim recreationes quae mensam sequuntur plane saluberrimae sint. Has enim non modo aequitas, sed et valetudo praecipit; deficientibus enim illis nulla digestio fit, unde infirmitates gravissimae plane sequuntur.

f) Varia anni tempestate variam recreationem requirit; aliae enim hae erunt consueto anni tempore, aliae cum vacationis parvae dies, vel feriarum autumnalium redierint; nam certis hisce temporibus certae leges et necessitates variae passim respondunt.

CCXV. — Rationes et leges recreationis alia omnibus communia, alia pecularia singulis sunt.

A) Communia sunt quae initium, progressum et exitum recreationis spectant.

a) De modo recreationis incipiendae. — In ecclesiasticae institutionis domo illud est in primis necessarium ut a Domino recreatio principium ducat, cui, dum de beneficio aguntur grates, mens in coelum effertur et in-

[1] *Institut.* Par. I, Cap. 6. [2] Cfr. Artic 14 *in appendic.*

tentio [orando] renovatur. Antequam igitur tirones in recreationem adducti silentium solvant, christiana illa salutatione *Deo gratias*, invicem sese et Praefectum salutent, quo plane principio nullum esse melius potest.

b) De modo producendae recreationes. — In ipsa numquam suae condicionis ac status oblivisci clericum sodalemque decet. Nulli itaque clamores inconditi, nulli rudes ioci, vel motus incompositi, vel inhonesti sermones, vel inurbana conversatio heic sint. Haec enim omnia ecclesiasticam non decent vestem, neque animis aut corporis prodesse possunt, neque benedictiones Dei merentur; gravitas enim non Superiores tantum quam cuiusque sacerdotis propria virtus est. Verumtamen eius habitus non extemplo adquiritur, sed multos atque iteratos actus exigit, quorum itaque consuetudinem ex ipso tirocinii limine decet clerico sensim discat, in ea ad sacerdotium progressurus. Quamobrem plane advigilandum est ne ipse heic illa deficiat ita ut omnis vitetur excessus, sed numquam oris corporisque gravitas a clerico discedat.

c) Quomodo sit recreationi faciendus finis. — Tinniente campanula recreatio intermittitur, iterumque illud iterantes *Deo gratias*, grates agere Deo, bonorum Datori alumnos decet. Optimum quidem sacerdotalis institutoris momentum qui alumnos mox laetantes et expullantes, dato signo, satim compositos in ordine et disciplina demiratur; quam obedientiae vim multi saepe laudarunt, et omnibus in Seminariis optamus futuram.

B) De peculiari quarundarum recreationum modo. — Sunt quaedam recreationes in cavaediis vel in cryptoporticis, aliae quae in aulis ducuntur.

a) In cavaediis vel in hortis ducta recreatio omnium optima est, eoque ducendi sunt tirones ut ibi [pro variis adiunctis] discurrant, deambulent, ludisque intendant. Verum non omnis coeli tempestas id tolerat; nimium id frigus, nimiumve aestus, vel infirma tironum valetudo impedit; quae iubent quidem potius in cryptoporticis vel in aulis haberi solatium.

b) In cryptoporticis et maxime in aulis recreatio ex vera tantum necessitate agenda est.

— Non raro plane expetunt alumni recreationis tempus in contubernio potiusquam in hortulo ducere: idque praesertim nonnulli petunt qui, ut sunt aetate maiores, ita coeteros facile post se trahunt; alias vero Praefectus ipse, suae ut voluptati satisfaciat vel commodo serviat, id exoptat. Haec vero venia perraro concedatur, idque eo magis quia Praefecti arbitrium et potestatem excedit omnino; Rectoris enim aut eius Vicarii eam concedere vel negare tantum est.

CCXVI. — Multae autem culpae sunt quas forte clerici in recreationibus committunt quae, ut vitari possint, cognovisse bonum est, videlicet:

1) Ludis non intenditur, sed philosophiae, aut murmurationi opera datur. — Hoc plane in parvis Seminariis perraro magis contingit; in magnis vero, quia gravior et ad sacerdotium proppinqua magis aetas, frequentius est; dum enim augetur prudentia, ludendi voluntas exsulat. Veruntamen matura magis ratione utendum clericis maioribus esset ut, quantum pro aetate licet sua et sua necessitate, ludis et recreationibus fruantur. Non tamen idem ab eis expeti potest quod ab aliis requiritur: attamen maiores quoque clerici aliquid facere possunt, quibusdam praesertim ludis eorum aetati magis accomodatis sese recreantes. Quamobrem *Deo gratias* illud quo fit recreationis initium, omnibus idem contuberniis ludi principium esse oportet.

2) Studio tempus datur. — Verumtamen tempus est studendi ac tempus iocandi; *omnia* enim *tempus habeant* [1]. Hoc vero recreationis tempus non ad id datum est ut moralis, sive theologiae libri evolvantur: igitur, cum vix tempus permiserit, in atrio vel hortum descensus fiat, quo plane et valetudo et virtus melius proficient.

3) Conventicula et circula fiunt. — At S. Carolus Borromaeus monet: *Numquam separatim ab aliis inter in se colloqui aut esse liceat, nisi tres saltem aut quatuor fuerint, praesertim autem relaxationis tempore* [2]. Tristis enim quotidiana experientia docet haec conventicula [multo magis si duobus tantum clericis constent] murmurationes, peculiares amicitias [charitatis pestem] fovere.

[1] *Eccles.*, III, 1. — Cfr. artic. 55. [2] *Institut.* Par. III, Cap. 3.

Huiusmodi recreationum defectus aut culpae graviora passim fiunt aut esse possunt quum in studiis, in aulis, vel totius in decubitoriis recreatio ducitur, ubi et mores ipsi praesertim non raro periclitantur. Vigilantia enim perardua ibi est magis, praepeditur quies suppellectili, ipsa subsellia vero, lectuli, tabulae immodestiae occasionem facile praebent: quae plane non modo in clericali institutione, sed in laicali quoque excusari nequeunt. Idcirco [iterum atque iterum admonemus] in decubitoriis ubi tirones dormiunt, orant, student, numquam recreationes habeantur.

CCXVII. — Sunt quoque [pro re nata] recreationes nonnumquam extra ordinem concedendae praeter illas quae horarium, prudenter et sapienter, in dies singulos distribuerit. Haec immo passim ad alumnos [de insolito forte labore. aut studio, aut merito] praemio cumulandos, vel ad eos laetificandos si insolitus advenerit eventus optimum modum praebebunt. Rectori vero hoc erit arbitrium [praecipuis hisce adiunctis advenientibus] ita plane recreandi animos ut e studio in saltus et iocos hora exeat. [1] Institutoribus antiquis frequens hic mos erat, cuius laeta imperia memoria grata eorum qui eius sub umbra fuerunt instituti recolit. Quo fiebat ut, audito ludendi improvviso iussu, e Ciceronis aut Vergilii libris, ad saltus et iocos [incredibili laetitia] alacres pueri convolarent, benedicentes Rectori qui inopina otia dedisset. Quantum huiusmodi extraordinaria praemia ad virium augmentum contulerint semper, atque ad aemulationem stimulos addiderint haud facile dixeris. Quamobrem illud est in votis ut Institutores multi hanc artem experti, ea utantur plane libentius, regulaeque indulgeant diurnae licentiam aliquam, raram eam quidem et inopinatam, ne forte putent tirones sese ad eas iura adquisivisse, quod, ut huiusmodi modus aemulationis plurimum prosit, vehementer interest. Sive igitur sacri ordinationum dies advenerint, sive triumphus contubernalis in schola fuerint eximius, sive Episcopus Seminarium visitaverit, tum tironibus, tum Magistris [qui nimio saepe labore fessi, aliquantulum

[1] Cfr. Artic. 163

requietis libenter et ipsi accipient] huiusmodi indulgere gratiam optimum erit.

CCXVIII. — Quonam modo clerici sese gerere valeant in recreationibus qui forte extra Seminarium occurrant nostrum dicere est. Patet vero Superiores qui intra Seminarii septa ne ludi scandali vel peccati occasionem fiant, eo magis omnem gerere curam tenentur id debeant cum clerici extra Seminarium ludunt. Igitur:

a) Huiusmodi agendi modus necessitate tantum inducantur, quando scilicet in Seminario omne atrium vel cavaedium deficiunt; cui plane deficientiae supplere oportet aut amplificando Seminarii fines, aut locatione conducendo hortulos Instituto finitimos, ubi clerici, nimirum, libere discurrere valeant.

b) Cum vero, veterem ob consuetudinem vel aliam necessitatem, vitari id non possit, magis magisque oportet Institutoris modos paulo ante commemoratos vehementer immutata cohibere. — Id enim logica ars atque educatio optima quaerunt. Quoadusque clerici in Seminariorum atriis, extra peregrinorum oculos ludunt, nihil fere grave est; at cum id in laicorum conspectu faciunt omni nisu se in ludo et agendi modo oportet cohibere. Planum est eos qui omnibus curis uti in Seminario decet ne quidem ludus eis aliis noceat, id magis extra Seminarium cavere eos oportet, ne secus scandalum laicis praebeant, qui clericalem vestem a puero, saepe, non aequo animo distinguunt, eiusque culpas tum Institutoribus, tum Seminario facillime tribuunt.

CCXIX. — Ut vero mala quae hactenus recoluimus e sacrorum tironum recreationibus absint, aptos in illis eligi ludos necessarium plane est; quod etsi humile argumentum sit, ut aliquantulum explanetur susceptus autem ordo iubet; quotidiana enim experientia docet quanta ex ipso ludorum usu vel neglectu recreationis utilitas pendeant. Breviter igitur de ludorum utilitate dicere est, ut de ludis qui clericis magis apti videantur, et de modo quo ludendi sint dicendi locus adsit.

a) Ludorum utilitas iam de recreationibus bene gestis scribentes demonstravimus, eamque complecti licet

sive physica, sive morali utilitate quam hisce verbis De Maistre auctor enucleabat: *Optimus modus* [scribebat ille] *ad impediendum quominus pessimi tirones alios corrumpant est plane ut omnes simul colludant* [1]. *Recreationum ars*, [Dupanloup vero scribit] *est ludos et iocos promovere, incitare et agitare. Hoc modo probatur utrum illi deceant alumnos necne, atque utrum optimae menti servandae serviant. Ludi enim peculiares conversationes, pericula saepe plenas, opportune exturbant, coniurationes contra Moderatores enervant, offendicula virtutum a semita depellunt, alacritatem, laetitiam incitant, taedium tollunt, spiritum laetificant, cor vero non turbant neque conscientiam, atque subsequendi labori vim reddunt et utilitatem* [2]. Quibus praemissis, optimum erit quaedam ad rem generalia de clericorum ludis principia recoluisse, ut ad ea deinde quae ipsos potissime dedecent, vel deceant veniamus.

b) Quaedam de clericorum ludis generatim habeantur:

I) Ludos varia aetate, varios esse decet. — Quod planum est: non enim omni aetati eaedem vires eaedemque corporis necessitates utilitatesque sunt.

II) Libera vero ludi electio sit. — Oportet equidem tirones certa electione ludorum frui; nemo enim vi cogitur ad ludendum. Possunt tamen Praefecti eos ad electionem adducere, et ut hunc vel illum [ignotum forte] ludum eligant atque faciant suum sensim incitare.

III) Sit autem ludus alacris; si enim tardus, haud corpus satis exercet, animum taedet, conversationibus indulget vanis. Contra vero rumor et laetitia quae ipsius pueritis aetatis propria sunt, eiusque animum optimum occupant.

IV) Ludus tandem modestus sit. — *Pueris* enim [Cicero inquit] *non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quae ab honestatis actionibus non est aliena* [3]. Haec plane ludi condicio maxime clericos decet, quae quum defecerit, omnis ludi utilitas evanescit. Non tamen manu

[1] Epistol. 24.
[2] *De Education*, Vol. I, Cap. 3.
[3] *De Arte Rhetoric.*, Lib. IV.

ludendum est, ut Divus Carolus vetat: *Nullus, sive ioco, sive quovis alio praetextu, alium tangere praesumat; quique se ab alio tactum senserit Rectorem admoneat; alioquin eamdem poenam subibit quae ei qui tetigerit, arbitrio Rectoris, graviter puniri* [1]. Ludi igitur modesti sint. *Porro* [monet insuper Mapheus Vegius] *non aliena ab his videntur in otio etiam per ludis permittere pueris laborum suorum respirationem, modo nihil in se turpitudinis habeant: quare iocos et sales, cum ad obscoenitatem transgrediuntur, longo arcere oportebit* [2].

V) Hi vero ludi optimi sunt quibus maximus udentium numerus interest, non multi vero, veluti spectatores, otiantur: tunc contubernio universo ludente, magis magisque ordini consulitur [3].

VI) Melius est cruribus quam mente ludere. — Cruribus enim ludere mentis corporisque valetudini prodest, neque crumenae nocet. Cursu igitur ludere optimum; et certare saltu peropportunum est. *Ludi* [Philosophus monet] *qui remissionis animorum... causa sunt instituti..., expetendi sunt* [4].

CCXX. — Qui ludi clericis indulgendi sint si quis quaesierit, omnes licitos eis esse ludos qui clericalem militiam haud dedeceant respondemus; numquam enim, vel in ipso ludo, vocationis sacerdotalis exuenda gravitas est. Ad rem vero, propius descendentes, quinam ludi clericali more inepti videantur dicemus.

A) Ludi clericis inepti sunt:

1) Saltationes quas memorare nos miretur nemo, cum viri qui eas, quae indignae forte iuvenibus omnibus sunt, et in Seminariis inire voluerint haud desint! De iis Maphaeus iam citatus: *Saltationes autem nullo... modo probamus, quod multorum malorum fomes et origo sint, proterviores que efficiant adolescentes et corruptiores* [5].

2) Digladiatio [*escrime*] atque gymnicus chor-

[1] *Institut.* Par. III, Cap. 3. — Cfr. artic. 156.
[2] *De Educat. Liberor.*, Lib. III, cap. 7.
[3] Cfr. Artic. 122, *in appendic.*, artic. 14.
[4] *Moral.*, X, 6.
[5] Loc. cit.

dis vel fixis fulcris ludus. — Digladiatio enim, quamvis saluberrima, clericos omnino dedecet; gymnicus vero ludus in chordis aut trabibus talari veste exerceri haud decet, nec illam ad hoc exuere licet; sed si gymnice liberis ludatur manubriis, id sane optimum omnibus est.

3) Ludicrae tesserae [*cartes a jouer*] quae tabernam potius decent, ne in clericorum manibus umquam sint D. Carolus [cum sensu communi] praecipit [1].

4) Aleatorii ac foeneratorii ludi [qui avaritiae stimulos addunt] numquam inter clericos accipiantur. De illis Vegius: *Alea et calculis nihil peius, nihil omnino perniciosius dici potest: quod ad quaeque dictu ac factu foeda provocent qui curiosius eis vacant, generetur que ex eius consuetudine illiberalis quaedam et detestanda, quae omnium est malorum causa, cupiditas... Eadem ratio habenda est de coeteris ludis, licet levioribus, qui speciem habent etiam aleae, qui et eorum quae postea grandiores serio facturi sunt, imitationis causam videntur praestare* [2].

5) Latrunculorum [*échecs*] ludus. — His bene ludere gravissimum laboriosumque plane ut philosophicis studere subtilitatibus est; non itaque lusus, sed studium ac labor gravis est, quamobrem iuvenibus passim ineptus omnino. *Latrunculorum quoque ludum* [monet Vegius] *licet ingenio constet, non multum tamen iuvenibus convenire arbitramur, quum mentem, iam litterarum studio fatigatam, recreare magis cessatione et requiete, quam novo meditationis labore gravare oporteat* [3].

B) Qui ludi clericos deceant. — Reliqui ludi vero omnes qui passim varias per Gentes utuntur clericos non dedecent, ut pylis est quae pedibus, vel brachiis, vel tympano, vel malleo pulsantur, ut sunt saltus, discus, pylares ludi omnes, certamina cursus atque similia [4].

CCXXI. — Quid facere ad rem Institutores debeant aperimus paucis, scilicet:

1) Ludos in clericali institutione permagni

[1] *Institut.* Par. III, Cap. 3.
[2] Loc. cit.
[3] *Ibid.*
[4] Cfr. S. Carol., *Institut.*, Par. I, Cap. 7.

ponderis esse persuasum Institutores habeant, quod, e contra, plerumque illi negligunt, et quasi de minimis non curaturos, sese indignum putant. Quod vero ipsi negligunt et alios cavere ne sinunt; quamobrem aut ludus non est, aut malus ludus est, fitque arduum dicere quaenam huiusmodi ex negligentia detrimenta consequi possint. Etsi enim ludus per se humilis et puerilis sit, ad mala vitanda sine numero atque ad maximum bonum capessendum perutilis tamen est. Itaque de ludis suscipere curam ad sui ministerii finem Institutore indignum non est. Hoc Divus Carolus sensit; Philippus Nerius vero, dummodo iuvenes innocentiam servarent, alacres esse ludos volebat. Veteres Institutores [quorum imitari exempla neminem dedecet] ad docendum et erudiendum ludis utebantur. Quinimmo nihil inutile esse bono assequendo quod aliquid commodi in fructus apostolatus conferre valet sciunt omnes. Quod si Institutores mature consideraverint, tunc ut sancte laeteque ludatur omnem lapidem movent.

2) Ludentes autem incitent, quod eorum muneris est atque variis industriis exercendum, nempe hortando, stimulos addendo et praemia tribuentes, et sua ipsa praesentia excitantes. Haec plane contubernii Praefectum decent: verum ille quoque qui Rectoris vices tenet si, recreationis tempore, huc illucque advigilans, incitamenta vel praemia ludentibus addiderit, bonum plane faciet. De Retore autem Divus Carolus haec vult: *Interdum ex improviso in locum recreationis clericorum eat, illorum mores observet* [1]; quae plane verba, dum illi hortandi vel incitandi commodum suadent, gravi sapientia redundant; cum enim in ipso ludi loco pueri omnes suam naturam aperte et libere aperiant et veluti effundant, nullum est tempus quo liceat eos noscere melius. Tunc enim, quamvis cautus callidusque puer fuerit, suas tamen qualitates vel defectus [quos forte suspicatus est nemo] abdere nescit, quod ad eum recte moderandum optimum cognovisse erit. Illo enim tempore [Institutores meminerint] maxime adolescentes spectare oportet cum sese a nemine videri putant.

[1] *Instilut.*, Par. II, Cap. 2.

3) Ludos autem regant advigilentque, at ultra nihil. — Certamen et metam constituere, factiones dividere, iudicem agere Praefecti forte erunt; at hisce satis. Ipso enim in certamine diabolum saepe zizaniam serere, et quibusdam in ludis facile peculiaria studia, vel amicitias foveri, oblivisci nequit: quosdam vero lusores obmurmurandi vel contendendi tunc maxime tempus nancisci, omnibus perspectum est. Ipso igitur in ludo advigilandum quam maxime, neque probe illi agunt qui ludentes tirones omnino linquunt; eoque magis illi errant qui quam si una cum tironibus ipsi colludant nihil melius sese facturos arbitrantur. Bonum quaerere, at vitare malum quoque prudentia iubet; Praefectus enim [quamvis iuvenis] auctoritatis personam gerit; quam igitur exuere et cum alumnis saltare et cantare, vel irasci aut contendere nequit. Haec enim omnia facere quin suum plane munus libere et sedulo advigilandi negligat, vel quin iustitiam laedat nefas; in ludis enim quibus et ipse adest, iuste et aequo animo decernere haud potest. Haec cum Praefectus fecerit, suo plane munere videtur ineptus, ac quamvis suorum effimera studia lucretur, quum sibi et alumnis simul detrimentum afferat, improbandus est. Quamvis hanc praxim ut optimam nonnullos suadere novimus, attamen ut ab hac collusione Praefecctus abstineat melius esse putamus. Falso enim alumnos, qui adhuc instituendi sunt, optimo iam more praeditos esse multi putant; at hac in re non praeiudicio, sed ratione diiudicandum est. Hoc plane si esset, ludere cum eis Praefectus forsan posset; at quia [plerumque] res alias omnino sese habet, auctoritatem eius qui advigilat, inepta collusione, haud minuere praestat.

CCXXII. — Ordinaria at indirecta recreatio, supremo loco, deambulatio collectiva est, ea quidem clericorum omnium, vel eorum qui in uno eodemque contubernio vivunt. Huiusmodi vero necessitatem primum, deinde tempus, postremo modum recolemus.

a) Etsi recreationes et ludi ad clericorum corpora exercenda optime fiant, attamen ad sublevandas mentes satis non sunt. Corporis enim educationem una cum institutione animi progredi decet; corpus enim et ani-

mam duos veluti esse equos qui, uno eodemque nisu, humanae vitae curriculum dimetiuntur monet Plato. Clericus autem, quamvis recreationibus et ludis vehementer delectetur, in iisdem exercendis eadem semper spectat intueturque, eosdemque sensus experitur: nihil est igitur quod eius mentem innovet, nihil quod nova in animum inducat. Corpus itaque dum movetur, quiescit spiritus, quod, etsi fuerit, immutari ludum et aliqua nova forma moveri semper necessarium est. Deambulatio itaque recreationis complementum est; qua de re Aristotelem deambulando docuisse discipulos suasque praelectiones tum matutinas, tum vespertinas deambulationes appellasse, paedagogi peritissimi iure memorant. Cicero vero de se ipso scripsit: *Quidquid conficio aut cogito in ambulationis fere tempore facio* [1]. Non haec vero dicimus ut Seminaria in totidem Peripatcia immutanda esse suademus; verum saluberrimam valetudini deambulationem esse atque sanguinis circuitum innovare scimus. Male itaque iuvenes in urbanis aedibus [tantum per fenestras solem demirari coacti] quasi in carceribus concluduntur.

b) Deambulationis tempus tantum sit quantum reliqua tironum ecclesiasticorum vita exigit; ut domesticis pariter atque externorum ludorum laboribus iuste respondeat prudentia iubet. Varias itaque deambulationes quae aut ordinariae, aut extraordinariae sunt distinguemus, atque de singulis [brevi sermone] dicemus.

I) Ordinariae deambulationes sunt quas, in communibus tironum adiunctis, quasque aut quotidianas, aut hebdomadarias horarium iubet. At prouti quotidianus labor est, et quotidianam esse deambulationem decet; hoc quod singuli faciunt, sodales quoque Seminariorum facere iuvat. Sit igitur breve, ad horam saltem [2], at quod ei datur tempus quotidianum sit. Sit vero magis producta deambulatio hebdomadaria, eaque maxime quae pro aestiviis feriis conceditur. Sint vero semper hae deambulationes duarum saltem horarum aut trium, vespertinae, et plerumque

[1] Lib. II, *Epist. 28.* [2] Cfr. Artic. 13 *in appendic.*

ante solis occasum, vario modo [pro variis tempestatibus] protrahendae.

II) Deambulationes extra ordinem illae sunt quae in variis anni feriis, aut in certis solemnitatibus a Superioribus [pro opportunitate] indulgentur, in quibus pro maiori harum diversa solemnitate, maius tempus requiritur. Sint itaque quatuor horae vel quinque, sintque matutinae aut vespertinae, aut pro utraque diei parte statutae. Quum vero Superiores extraordinem alias deambulationes indulgent, sint iuxta tempora et uberi largitate indulta; secus enim Superiori exigua et avara manu concedere praemia imprudens est; melius est nihil dare quam parum.

CCXXIII. — Ut perutilis clericorum deambulatio sit atque externis exemplo cedat, eam rite haberi necesse est; qua de re, nimirum, nonnulla praecepta tradere iuvat:

1) De iis qui deambulatum ire tenentur. — Clerici omnes [iis exceptis qui legitimo impedimento obligantur] deambulatum ire tenentur. *Nulli liceat doni manere ambulationis tempore sine gravi de causa et licentia identidem a Superioribus obtinenda* [1]. At quosdam alumnos ut, plerumque, ludos vitare nituntur, ita et deambulationem fugiunt, quod ut assequantur, interdum, nec vafritiae parcunt, atque se morbis variis obnoxios, aut pensis obligatos dictitant. Rector vero, plerumque, omnem ipsis deneget fidem neque secundas facile praestat aures, sed de eorum veracitate passim suspicetur. Paterno igitur modo alumnum hortetur eique optimam deambulationem suadeat remedium unum esse praesertim morbis medendis, in qua purum aer adspiratur, et tandem expetitam veniam deneget. Neque secus, plerumque, utendum Rectori est, qui hisce negativis mediis usus, id quoque facile obtinebit, ut sit perspectum alumnis se non ita planum ad eas concessiones haberi, nisi tironis vera necessitas spectata fuerit, quo tantum in casu id quod alumno prosit ille decernat — Venia haec enim insolita domi manendi, non clericorum valetudini tantum,

[1] Artic. 158.

sed et Seminarii ordini plerumque maxime nocet: inde enim abusus oriuntur plurimi, ut per domum vagatio, ad indebitas curas intentio, locorum sibi vetitorum perscrutatio, quibus disciplina omnis offensas sine numero patitur. Quid enim de hisce alumnis qui domi manent cavendum erit? Non quidem consolidali sive contubernali ad vigilantiam committendi; dereliquendi se in solitudine non est danda eis venia; libertas vagandi per domum minime concedenda; non custos eis dandus quod grave et odiosum est; non in cubiculo vel in schola obserandi, quod [quum sit carcere dignum] clericali institutioni quam maxime incongruum est. Quid igitur reliquum? Unum hoc plane: nempe quod si tirones sani sint deambulatum eant, si vero infirmi in valetudinarium mittantur.

2). Quae meta deceat. — Metae *a Vice Rectore Praefectis constituantur* [1]; vitandae vero sunt illae ubi nimius fit populi concursus, vel ubi sacra aut prophana feria habetur, viaeque quas multitudo frequentet; potius, recto tramite, extra urbem clerici per campos et per apertum deducantur. [2] Haud vero privatorum ingredi domus, neve eorum agros aut villas eis invisere liceat, quo si invitentur, urbane, Praefectus recuset. Neque concedendum est tironibus cibos sibi sumere in agro ad epulandum, ut docet S. Carolus: *Extra aedes Seminarii cibum ne capiant inscio Rectore* [3], quod et a S. Congregatione confirmatur: *deambulantes omnino a quacumque refectione prohibeantur, nisi expressam obtinuerint Rectoris licentiam* [4].

3). Quomodo alumni in deambulatione se habere debeant aptius indigitemus infra.

CCXXIV. — Laicali in institutioni ludicra quoque itinera in usu sunt quae ab omnibus simul alumnis, aut ab uno tantum contubernio sive a mane ad vesperam, sive plures per dies, recreationis aut eruditionis causa, habentur. Ad rem:

a) De durationе sequentia habeantur:

[1] Artic. 159.
[2] Cfr. Artic. 13, *in appendic.*
[3] *Institut.* Par. III, Cap. 6.
[4] Artic. 159.

I) Unius diei iter in consuetudinem fere omnium Collegiorum maxime invaluit. Ut vero utile et salutare evadat, ut rite recteque eius adiuncta parentur instruanturque oportet, idque tunc praesertim cum Institutum omne ad talem recreationem proficiscitur. Oportet itaque et metam eligere aequam, et tutum locum reficiendi vires, et tempus ad rem aptum, et omnia prudenter, tum pro discessu [ne nimius sit matutinus], tum pro reditu [ne vespertinus sit nimis] constituere.

II) De plurium dierum itinere. — Quod vero de breviori itinere dictum est, de hoc sane longiori magis magisque locum obtinet. Difficultates enim quae eius utilitati obsunt pergraves multiplicesque sunt, quae sedulam igitur operam diligentiamque requirunt; secus enim neque aedificationem sane, neque eruditionem iter pariet, nihilque nisi dissipationem obtinebitur.

b) Pro modo itinera sive collectiva, sive peculiaria habentur:

I) Peculiaria sunt ea quae singulis pro contuberniis habentur, quorum directio Praefecto commissa est qui eam moderatur.

II) Collectiva itinera ea sunt ad quae omnis simul Communitas convenit, quaeque simul per unum, vel per plures dies, sub Rectoris moderatione, ineuntur.

c) In Seminariis vero an huiusmodi itinera usui esse possint vel non, distinguentes, respondimus:

a) Itinera collectiva, vel peculiaria *ad diem*, sive ad institutionem clericorum, sive ad recreationem virium fore semper utillima et in institutionem omnium adolescentium ea uberes peperisse fructus, quotidiana experientia docet.

b) Itinera peculiaria vero, vel collectiva, *plurium dierum* non in Seminariis tantum, sed in Collegiis omnibus vitanda esse videntur. Talia enim eorum pericula sunt quae futuram forte utilitatem fere ad nihilum redigant; huiusmodi discriminis causa sive unius contubernii, sive totius Seminarii itinera generalia devitanda sunt. In re autem multum insistendum non est, quia ad haec itinera suscipienda pecunia gravis, ut plurimum, necesse est, quae,

plerumque, haud ita in Seminariis abundat ut ipsam inutiliter dissipare liceat.

CCXXV. — De Seminarii villa. — Extra civitatem, amoeno in loco, Seminarii villam comparare ubi die saltem Iovis ad reficiendas vires, a mane usque ad vesperas clerici mitterentur, paternae Vetustatis traditioni in mos fuit. Ibi enim clericis libere currere atque exercere corpus fas erat; quod, uti diximus, tum ad valetudinem tuendam, tum ad spiritum sublevandum quam maxime confert.[1] Hi vero qui Maiorum traditiones uti sacras habent, nunc quoque sedulo eas imitantur, ut in Urbe fieri videmus ubi, quum licet, maiora ecclesiastica Instituta hoc praevalido solaminis adiumento sedulo utuntur: quod ut ubicumque in coeteris omnibus locum habeat enixe suadendum. Quamvis enim obstacula rei obesse multa fateamur, attamen haud ita magna videntur quae ab egregia voluntate superari nequeant. Nam multae dioeceses sunt quae forte, ad urbis portas domum plerumque desertam, ad Spiritualia sacerdotum Exercitia habent, quae igitur per annum a clericis adhiberi legitime potest. Neque pecuniaria hoc in casu obstat causa; quod enim in urbe cibis statuunt pretium, illud extra moenia imminutum est. Neque causa disciplinae obsat, quia Exercitiorum domus ita, plerumque, disposita est ut clericorum regulis apta videatur. Quod si non ita fuerit, quum ubi domus inepta est perardua observantia fiat [qua deficiente, multo conato, fere nihil proficitur] diversimode consulendum: secus enim quod intra Seminarii septa, labore multo, struitur, ruri destruitur.

CCXXVI. — Quae de theatris quoad Seminarium tenendum sit aperimus paucis. Igitur:

a) Quid vetandum — Utilitates plurimas quae scenico exercitio parantur negare nec possumus, nec volumus. Iuvenes enim in eo populo coram loqui, atque sermones habere addiscunt; hisce quoque spectaculis fit ut vehementer a subiectis rebus animus commoveatur, et quae fuerint repraesentata penitus menti inhaereant. Hae tamen utilitates nec mala sane, nec incommoda quibus tum ante

[1] Cfr. Artic. 9

scenae tempus, tum in ipsa actione, tum postea alumni obnoxii fiunt rependunt. Nam profecto binis saltem ante mensibus studium omnino negligitur quia scenicam personam addiscere opus est; pietatis exercitia sine ulla utilitate diffugiunt, quia de versibus cura est et totus animus in dramatis experimenta intendit. Dum vero haec experimenta ducuntur, omnia neglectui habentur, pessumdantur omnia: fitque scena culpis occasio [eheu! frequens nimis] quae Institutores vehementer angent. Dum vero drama agitur alumni omnibus imperant: quidquid volunt iubent, nec licet alicui contradicere, nam ira immanis operam agentis repraesentationem everrere potest. Peculiares amicitiae aliaquae huismodi quae, multas post vicissitudines, ingratas reliquias relinquunt, fructus dramatum passim sunt. — Quam vero sit indecorum clericos muliebres vestes assumere meno non videt, neque sacras exuendi vestes sufficiens haec causa est. Huiusmodi vero actionibus mulieres quoque et matronas una cum Seminarii Praesulibus adesse non minus dedecet. Quinimmo illud quoque dolendum audivimus eas esse comoedias ab alumnis sacrorum, interdum, actas quae prophanum animum redolent et, eas scenicas habitas fuisse actiones quae ecclesiasticam professionem haud decent, quae omnia a Seminariis omnino arceantur. Cunclusionis instar, paucis verbis, vitandum est in Seminariis ne ipsi clerici in scenam prodeant.

b) Quid indulgendum. — Heic quoque viae iustae inter utrumque estremum insistendum est: etsi enim omnia quae supra memoravimus clericis vitanda sint, attamen [baccanalium praesertim tempore] honesti recreationem solaminis eis denegare non decet. Dies sane illi sunt sacerdoti et clerico tristes magis quam laeti, [qui eo praesertim tempore ad reparandas offensas quae Deum tunc maxime laedunt tenentur]: at iuniores esse clericos, iisque extra ordinem, interdum, oblectamenta concedenda esse, meminisse quoque iuvabit. Hoc autem tribus modis praestare licet, scilicet;

I) Clericos ad dramata mittere quae in hac vel illa Communitate agentur. Theatra enim publica

quae non licet sacerdotes adire, multo minus clericis apta videntur; si itaque aliquid scenicum oblectamentum clericis concedendum est, id perfici nisi modo quod supra recoluimus non licet; sed tamen nec illud indulgendum antequam de dramatis subiecto, et de loci, et adsistentium qualitate certiorem sese Rector fecerit. Haud enim quod in scena repraesentatur semper conveniens est, ut puta quum contigit clericos coeleberrimo musices dramati adstitisse quod ab Hispalensi Tonsori [*Barbier de Seville*] aut a Boccaccio, aut a Carmela [*Carmen*], aut si quid id genus aliud nuncupatur, quod profecto nemo cordatus consentiet.

II) Ioculatorias agilitates vel phonographi auditiones, aut phothographica citissima spectacula [*cinematographe*] in Seminariis constituere non dedecet. Desit tamen ioculatoribus scurrilitas, adspectus rerum forte minus decorus, vel clericis non dignus coeteris spectaculis absit; sed, hisce adhibitis, cautelis nihil obstat quominus huiusmodi recreationes et in Seminario habeantur, dummodo tamen nec clerici iis inserviant, nec inter spectatores externi cives [multoque minus mulieres] adsint. Unum tamen heic quoque maxime commendandum, ut nimirum [ne quid inopinatum incidat] ipse Rector aut vices eius qui gerit ante spectaculum eius partes et modos et ritum peroptime noscant. Seminariorum enim praecipuus finis praetermittendus numquam est, omniaque media ad eum assequendum utilia adhibenda semper erunt.

III) Accademiae quae musices ac poeseos vocantur perutiles ad hoc sunt, quae sane haud clericis indecora extant, eisque immo occasionem palam alloquendi et poeticum, vel oratorium ingenium revelandi praebent; in his porro timiditas exuitur [quae eos in multis apostolatus muneribus praepedire solet] triumphi vero et laudes quas tunc merentur, studiorum aemulationi inserviunt, quae omnia clericalem statum haud dedecent, sed imno opportunissime iuvant. Binae institutoriae scholae circa haec omnia viguere: quidam enim huiusmodi quoque oblectamenta clericis vetita esse voluere; has enim academias non aemulationem, sed

ambitionem fovere, disciplinae autem nocere ipsi existimati sunt; quamobrem alumnos sacrorum haud omnino decere edixerunt; neque Seminaria desunt ubi ea [post hominum memoriam] numquam habita sunt. — Fuerunt, e contrario, plures qui huiusmodi accademias quasi religiosas solemnitates celebrabant. Humanitati enim servientes, opinati sunt christianae institutionis omnem vim in poeseos exercitio atque in academicis feriis tantum esse repositam, in quibus plane selecti alumni, iidemque fere semper, aliena carmina recitarent. Quinimmo litteraria fere omnis eruditio inutilis alumnis videbatur si diu in scholis iis carminibus elaborandis tirones operam haud darent, qui eos ad conficienda, vel ad recitanda academica poemata pararent. Tamdem ipsa studiorum praemia, potiusquam iuxta litterariam peritiam, pro recitandi sapientia et arte declamatoria distribuebantur. Aetas illa humanisticae paedagogiae [de coetero aurea] velociter diffluxit, nec flendum profecto est eam artem periisse quae edere tantum carmina docebat. — Utraque schola equidem ars falsa erat, quae nunc merito decidit: Christus enim non id docuit ut humanae societatis salus versibus tantum procuraretur, nec verum est quod Titiri vel Menalcae versibus assequi Arcades contendebant. — Attamen nec minus adversa schola, quae adhuc viget, passim peccat. Veterum enim illarum academiarum venerandae vix supersunt reliquiae, et nova ars instituendi hoc solatium clericis denegat, atque ut extra Seminarii moenia sua oblectamenta, quae infra desunt, eos requirant, compellit. Huiusmodi igitur Institutores [qui tot iam tantaque in clericorum bonum perfecere], temporum necessitati servire quoque modo sciant rigiditatisque suae aliquantulum remittant. — Accademicae recreationes haud multae sint; ipsum secus studium atque exterior Seminarii communis ordo vehementer eam ob rem pessumdabuntur. Bis igitur terve in anno ea fecisse satis sit, atque ad illas parandas industriis omnibus uti quas iam alias, de solemni praemiorum distributione dicentes, recoluimus, optimum erit.

Quae de hygienicis curis dicenda venerant, his [prouti propositi nostri ratio fert] redeunt. Brevitati

studentes, prima tantum ad rem principia recoluimus heic, et quamvis, prima fronte, nimis humilia videantur, attamen nobilissimo institutionis ecclesiasticae proposito fini ad altiorem spiritualemque ordinem adeo Rectores extollant, ut per subditorum sanitatem corporis, eorum spiritus virtutisque valetudo assequantur tuenturque; quod si fecerint, sui muneris plurimum assequutos esse putent.

Caput II.

DE RECTORIS ERGA PERSONAS RELATIONE.

Quamquam in his quae hucusque recensuimus, Rectoris Seminarii Auctoritates ac Officiales erga relationes [certo quodam modo] jam delibavimus, attamen ob rei praestantiam ac utilitatem de iisdem enucleatius dicere peropportuum ducimus; eo magis quum quae recoluimus cum personis praesertim in praxi deducenda sint, de quibus agendo nonnulla documenta practica sua magis in luce clarescent. Perspicuitatis concinnitatisque caussa Seminarii Personas prouti sequitur dispescimus:

a) Personae externae, nimirum:

I) Loci Episcopus vel Episcoporum Collegium,

II) Deputati Tridentini,

III) Saecularis ac regularis clerus,

IV) Status ac Civitatis laicales Potestates,

V) Alumnorum Parentes, eorum ac Seminarii Benefactores et amici.

b) Personae internae, nimirum:

I) Officiales ac famuli,

II) Alumni.

De his igitur omnibus, quantum nostra ratio sinit, concinne, sermonem instituere est, quo qualicumque tractationi huic finem imponemus.

A) De Personis Externis.

Articulus I.

De Rectore Episcopum, Deputatos Tridentinos ac loci Parochum erga relatione.

§ I. — Episcopum erga quomodo Rector se gerere oporteat.

Summae Rerum. — CCXXVII. Quae in re canonica Rectoris generalis condicio sit. — CCXXVIII. De huius relationis assiduitate. — CCXXIX. De eius obiecto. — CCXXX. Eius momentum recolitur. — CCXXXI. Harum relationum praxim quae esse possit. — CCXXXII. De relationibus scripto habendis, et primum de annua canonica relatione Seminarii conficienda. — CCXXXIII. Quomodo haec postrema exaranda. — CCXXXIV. Qua ratione cum Episcoporum Collegio Seminarii interdioecesani Rector se habere oporteat. — CCXXXV. De Episcopi auctoritate a Rectore sedulo tuenda.

CCXXVII. — Quae in Seminarii regimine Rectoris Ordinarium erga relationes *ex iure* esse debeant S. Congregatio aperte ac omnino sapienter edicit: *Rector ab Episcopo dependeat, cui continuo cuncta quae ad Seminarium attinet referat, nihilque gravioris momenti eiusdem absque consensu statuet* [1]. Quae omnia fere ad litteram cum borromianis concordant praeceptis [2], et quam prudenter statuta sint, tum ex se, tum ex Legislatoris verborum inlustratione facile evincitur; in qua peragenda [ut nostrum est] tum harum relationum assiduitatem, tum extensionis obiectum, ac momentum [canonicas ac paedagogicas iuxta leges] considerabimus.

CCXXVIII. — Quod assiduitatem spectat hae relationes *continuae* a Legislatore edicuntur. Attamen ne pru-

[1] Artic. 26.

[2] Cfr. *Institut.* Par. II, Cap. 2.

dentiae pracepta [heic quoque observanda] posthabeantur, hanc Rectoris cum Episcopo assiduitatem in illa ex officio, ac in altera extra ordinem [peculiaribus a necessitatibus suasa] contineri autumamus. Idcirco:

a) Quoad relationem ex officio ut bis saltem in mense habeatur enixe suademus; ut vero ex ea genuinae capessentur utilitates, diem horamque ad rem prestituere consulimus, quo tantum conventui certe locum erit, ac quae inibi pertractanda sunt tum Episcopus, tum Rector adeo, ordinato modo ac ex tempore, disponent, ut quae Seminarium attingunt negocia reapse fructuose exagitare ipsi possint.

b) Quod relationes extra ordinem spectat toties quoties necessitas, vel evidens saltem utilitas suaserint habeantur, ut et D. iubet Carolus edicendo: *Reverendissimum Archiepiscopum Rector saepe accedat, etiam non vocatus, ut ab eo si quid ad Seminarium partinens constituere velit cognoscat* [1]. Saepe enim Ordinarius plura a Rectore sciscitanda, quam Praepositus ipse ei significanda vel efflagitanda habet. Quidquid sit quum Seminarii regimen tanti sit momenti, et Episcopo praesertim a Sacris committatur canonibus, ut excessu potius quam defectu in re Rector peccet suademus, ac si unaquaque in hebdomada ad Ordinarium accesserit [sicut D. Carolus suadet] enixe laudandum.

CCXXIX. — Harum relationum extensionis obiectum a S. Congregatione verbo *omnia* indigitatur. Idcirco de personis ac rebus, de actis, agendis vel omittendis, uno verbo, *quaecumque Episcopus scire voluerit, Rector fideliter adaperiat.* [2] Quamvis vero et heic quoque prudentiae caritatisque leges haud posthabendae sint, attamen strictioris sententiae praxis consulenda semper, qua tantum Episcopi sacrosancta in re iura, ac Rectoris quoque gravissima officia sarta tectaque fient. Quamvis enim Seminarii Praepositus ex iure canonico auctoritatem repetat suam, attamen primum ac primario modo Sacrum Institutum ab Ecclesia Ordinario commissum est, quae et

[1] *Instit.* Par. II, Cap. 2. [2] S. Carolus, *Ibid.*

Episcopo obedientiam subiectionemque omnimodam conceptis verbis Rectori iubet.

CCXXX. — Harum relationum momentum Legislator aperte statuit, edicendo: *nil gravioris momenti Rector statuet absque Episcopi consensu* [1]. Quae autem in Seminarii regimine gravioris momenti negotia sint, tum sacris ex canonibus, tum ex approbata consuetudine eruitur. Cuncta quae ex novo Sacro in Instituto constituenda immutandaque sunt, et quae [Tridentinis inauditis Deputatis] nec Episcopus constituere potest, eoque minus Rectori licebunt. Idcirco generales Seminarii praescriptiones ordinationesque omnes, quoad omnia ac in omnibus, ab Ordinario statutas, vel [Ipso approbante] a consuetudine firmatas, substantialiter evertere haud Rectori concessum. Ita, ex. gr., horarium immutare, vacationum seriem ac dies augere vel imminuere, clericorum contubernia vel scholasticas aulas hinc inde transferre, libros in clericorum usu deductos submutare, clericorum Moderatorumque victum augere, tironum pensiones immutare, tridentinas condonare taxas ac, eo minus, Antecessores [et ad tempus] supplere, eorum officia permutare, vel tum ipsos, tum clericos e Seminario dimittere, Praeposito nefas. *Si* igitur *aliquid alicuius momenti aut exequi, aut innovare necesse est, nonnisi re cum Reverendissimo Archiepiscopo communicata id faciet; quod idem servet si contingat aliquid cui ipse solus occurrere non possit* [2]. Hisce S. Archiepiscopi postrema verba Rector attendat quaeso, quum inibi et aliam in re contingentiam ipse peropportune spectet, in qua [ut ordinis auctoritatisque iura sarta tectaque sint] ad Ordinarium Rector confugere debet; secus omnis Seminarii ordo dirueretur. Attamen [iterum iterumque admonemus] ne dum auctoritatem suam apud subditos fulciri ab Episcopo satagit, paene Ordinarium ipsum suam, ac apud subditos utramque pessundet, ut Rector [in quantum fieri potest] inter Seminarii septa, tranquilla ratione, omnia componat, quam maxime suadendum. Ceterum heic quoque experientia plura docebit.

[1] Artic. 26. Cap. 2.
[2] S. Carol., *Instilut.* Par. II,

CCXXXI. — Ad harum relationum peculiarem quod refert praxim adeo sincere, humiliter, fidenterque in omnibus et quoad omnia Rector cum Episcopo se gerat ut filium patrem matremque erga decet. Ab his igitur congressibus quodvis fallaciae genus, quaevis arrogantiae, contumaciae diffidentiaeque species arcenda semper, qua ratione tantum genuinum Seminarii statum adeo Episcopus sibi comparabit, ut ne a ceteris, nimis frequenter, eum sciscitet [quod, ut plurimum, in Rectoris auctoritatis detrimentum vertere consuevit] haud tentatione pulsabitur.

CCXXXII. — Omnes quas hucusque recoluimus normas etin relationibusa Rectore cum Episcoposcripto habendis prae oculis habere oportet: si enim eum verbo fallere turpe, scripto vero turpius, ac Rectori perniciosius erit, qui suae versutiae scriptis documentum praebet. — Has vero inter relationes scriptas, annualem illam canonicam a Rectore Ordinario exhibendam primas obtinere partes decet, de qua Legislator peritissimus iubet: *In unoquoque anni exitu exactam de morali scientifica, hygienica Seminarii condicione rationem Rector Episcopo offerat.*[1] Quod vero interdioecesana Seminaria spectat Idem praecipit: *Episcopi quibus suprema huius Instituti directio pertinent, una saltem vice in anno conveniant, ut de morali, scientifica, hygienica ac oeconomica relatione a Rectore exhibita iudicare valeant.*[2] Quae omnia quum maximi momenti habenda sint, ac cum novum omnino sint in iure, brevi commentario ea enucleare haud inutile censemus, quo huius relationis praescriptio, ambitus, tempus, exhibitio, ac modus practicus indigitetur.

a) Huius relationis annua praescriptio ex legis verbis clare evincitur, qua non historicum tantum, sed et canonicum perutile documentum Episcopo praebetur, ex quo [ex S. C. Concistoriali praecisa, ac in re copiosa instructione] quid in Sacrorum Liminum visitatione Seminarium quod attinet exponere debet, veritatis iuxta normas, ipse haurire potest. Quod sane et rei congruentia suadet, quum et Episcopus [ut boni patris familiae ad instar qui

[1] Artic. 36. [2] Artic. 5.

in unoquoque anni exitu sedens sumptus computat], Seminarii moralem ac oeconomicam gestionem considerare debeat, quod omnes concedent libenter.

b) Huius relationis ambitus vero [ut ex his quae statim dicturi sumus evincietur] latissimus ac nulla restrictione coarctatus praescribitur.

c) Et huius relationis tempus a Legislatore statuitur, nimirum, *in anni exitu;* quod ad praxim quod attinet haud parum interest, quum, ut plurimum, si secus, vel ex uno in alium diem amandaretur, vel et omnino omitteretur, et, festinatione potiusquam ponderatione duce, inepta, vel falsa narrarentur, quod sane in quantum Seminarii detrimentum vertat nemo est qui non videat.

d) Tandem et huius relationis exhibitio a quo facienda sit, nimirum, a Rectore omnino prudenter Legislator praecipit; quod sane ad rectam regiminis normam tutandam, ac ad Praepositi auctoritatem tuendam quam maxime interest. Peculiarem cuiusque muneris relationem privatim exarare, ac Rectori privatim exibere ex qua generalem ac officialem ipse eruere possit, coeteri Officiales primarii possunt, immo [ut ex. gr. Praefecto studiorum [1], ac Oeconomo [2] expresse jubetur] debent; at canonicam, generalem exarare, ac Ordinario vel Episcoporum Collegio offerre nemini nisi Rectori licet. Ex igitur peculiaribus tum quoad disciplinam, tum quoad studia ac rem oeconomicam relationibus [de alia enim quae pietatem spectat nec verbum esse volumus] generalem ac canonicam adeo Rector conflet ut debitae aequipollentiae veritatisque partes in tuto ponantur.

CCXXXIII. — Ad modum in re servandum quod attinet S. C. Concistorialis in *De Visitatione Sacrorum Liminum ac dioecesi relatione* instructione [nuperrime edita [3]] omnino aperte indigitat, perplura eaque maximi momenti ab Episcopo efflagitando, ad quorum normam elenchum quaestionum [vix non ipsis *Instructionis* verbis conceptarum] exhibemus. Ad rem igitur:

Introductio generalis praecedat in qua de tum

[1] Artic. 65.
[2] Artic. 72.
[3] Die 31 dec. 1909, cap. VIII.

quoad pietatem, tum quoad studia, disciplinam ac rem oeconomicam actu Sacri Instituti condicio generali ratione sit, generalis idea praebeatur. Deinde, sobrie, sincere ac ulla absque iactantia singulis sequentibus quaestionibus responsio sequatur.

I) De Officialibus:

I) Quinam Rector sit, a quo tempore, et quomodo muneris sui partes ipse adimpleat. [1]

II) Utrum Pietatis Magister [vulgo *Director Spiritus*] qui, nullo alio numere implicatus, in Seminario die noctuque resideat inibi adsit.

III) An ipsum praeter, sufficiens aliorum confessariorum copia clericis praebeatur, et, si regulares, cuius Ordinis seu Congregationis sint.

IV) Quot alii primi ordinis Officiales [Vice-rector, Praefectus Studiorum ac Oeconomus] Rectorem coadiuvent, et utrum hi [et quidem omnes] commisso muneri digne satisfaciant.

V) An quae Seminario consulenda sunt collatis consiliis constituantur.

VI) Quid de Contuberniorum Praefectis dicendum.

VII) Quot Magistri in Seminario habeantur; an singuli singulas primi ordinis disciplinas tradant, ac qua assiduitate, idoneitate, ortodoxia ac profectu ipsi faciant. An omnes in Seminario convivant, et qua fama, tum infra, tum extra ipsi gaudeant.

VIII) An laici Antecessores inibi habeantur; quot, pro quibus disciplinis ac quomodo eorum muneri satisfaciant. Qua tum infra, tum extra Sacri Instituti septis, fama gaudeant, et an familiam laudabiliter compositam ipsi habeant.

IX) Quid de famulis dicendum.

X) An Religiosae Sorores Seminarii servitio addictae habeantur; qua auctoritate inibi sint, cuius Congrega-

[1] Huic quaestioni responsionem ab Episcopo praebendam esse tantum per se patet.

tionis, quot et qua aetate. An quae in re in concessione obtenta statutae sunt normae fideliter observentur.

II) De Alumnis:

a) Quoad eorum susceptionem ac dimissionem:

XI) Quot ex novo alumni in anno suscepti fuerint, ac quibus pro curriculis.

XII) An tum canonicae, tum paedagogicae susceptionis condiciones observatae sint. Praesertim vero an alumnos inter qui sacro haud inhiant servitio admissi fuerint, quot, et quibus de causis.

XIII) An et quot alumni externi elapso in anno recepti sint, et qua de causa. An ut et ipsi quamprimum Seminarium ingrediantur fieri possit: interdum quomodo tum infra, tum [praesertim] extra Seminarium invigilentur.

XIV) An clerici extradioecesani ac ex-religiosi recepti fuerint, quorum dioeceseon ac Congregationis, quot et quibusnam de caussis. An in re S. Sedis praescriptiones observatae fuerint.

XV) Quot et quibusnam de caussis e Seminario egressi sint.

b) Quoad eorum regimen:

1) Quoad spiritualem institutionem:

XVI) Quomodo pietas in Seminario excolatur, et quo fructu.

XVII) Quomodo pietatis exercitationes, a S. Sede praescriptae, fideliter ac ex ordine inibi habeantur.

XVIII) Sacramentorum frequentia quaenam sit; an Communio frequens in honore sit.

XIX) An, quando, quomodo in anno Spiritualia Exercitia peracta sint.

XX) An Ecclesiae Cathedrali clerici inserviant.

XXI) Quot tum minores, tum maiores Sacras susceperint Ordinationes.

2) Quoad disciplinam:

XXII) Quomodo, qua methodo, ac quo fructu disciplina inibi excolatur.

XXIII) Quid de mediis ad eam tutandam ac augendam dicendum.

XXIV) An debitae cautelae adhibeantur ut iuniores clerici seorsim a provectioribus et cum disciplina uniuscuiusque aetatis necessitatibus accommodata instituantur.

XXV) Quae de obedientiae spiritu ac observantiae generalis praxi observari possint.

XXVI) Quid de alumnorum consuetudine cum Superioribus, Parentibus ac cum externis dicendum.

XXVII) An ad diarios ephemeridesque quod attinet S. Sedis praescriptiones fideliter observentur.

XXVIII) Quae curae de clericis, rusticationis caussa, apud suos degentibus, adhibeantur.

XXIX) An tum huius, vel alterius dioecesis clericis militiam agentes Seminarium frequentaverint, et quae eorum agendi ratio fuerit.

3) Quoad studia:

XXX) Quot annis, qua methodo et fructu humaniora perficiantur studia.

XXXI) In his, praeter linguam latinam, graecam ac propriae Nationis, an et quaenam aliae disciplinae tradantur.

XXXII) Quot annis, qua lingua, qua methodo et quorum auctorum textibus theologiae et philosophiae studia absolvantur: quot et quaenam disciplinae hisce accessoriae tradantur.

XXXIII) An clerici sacris in caeremoniis et cantu liturgico rite probeque instituantur.

XXXIV) Quid de mediorum usu ad clericos inter studiorum ardorem excitandum dicendum.

XXXV) An, quot et quo effectu ad Status scholasticas licentias assequendas clerici accesserint.

XXXVI) An prohibeantur alumni a lectione librorum quae, quamvis in se innoxi, attamen eos a suis studiis distrahere possunt.

XXXVII) Quot elapso in anno periculis impares evaserint, et quarum classium.

XXXVIII) An et quae ad studia fovenda in posterum statuenda sint, ab Antecessoribus utilia censeantur.

4) Quoad rem oeconomican ac hygienem:

XXXIX) Quinam certi vel probabiles Seminari redditus sint, et an ac quomodo et quali aere graventur alieno. Si legata fideliter adimpleantur, ac taxae tridentinae sedulo solvantur.

XL) An pensio ab alumnis solvatur, et quomodo ac quantum pauperibus subveniatur clericis.

XLI) Quae praediorum Seminarii condicio generalis sit.

XLII) Quale anni in exitu capsae statum, et an praestituta pecuniae ratio [*projet de budget*] necessitati respondisset.

XLIII) An pro sequenti anno in aedibus vel supellectilibus aliquid instaurandum, vel innovendum sit.

XLIV) Quae annui inventarii condicio sit.

XLV) An hygienicae a S. Sede statutae leges in Seminario observentur, et quae alumnorum in anno generalis sanitatis condicio fuerit.

Ad Rectoris responsiones obfirmandas allegata [uti aiunt] documenta relationi adiungere opportunum erit, nimirum:

a) Officialium omnium elenchum uniuscuiusque nomen, cognomen, ortum, aetatem, morationis in Seminario tempus, et muneris rationem exhibentem.

b) Alumnorum omnium elenchum ad instar paradigmi ad calcem voluminis indigitati, ac iuxta S. Congregationis praescripta exaratum. [1]

[1] Cfr. paradygma.

c) De actuali studiorum statu relationem, ab eorum Praefecto [ut S. Congregatio jubet [1]] breviter ac perspicue exaratam, ac a Rectore obsignatam.

d) Oeconomicae gestionis summula ab Oeconomo [ut S. jubet Congregatio [2]] exarata, et a Rectore obsignata.

e) Annui inventarii exemplar.

Huius relationis, conclusionis ad instar, quae in omni Seminarii regimine emendanda, vel providenda Rectori visum fuerit, humiliter indicet, et media ad rem sciscitet. Lingua in re utenda vernacula vel latina sit; at ut veritas magis magisque elucescat, historicus tantum stylus adhibeatur. Canonicae huius relationis bina exarentur exemplaria, quorum unum Episcopo ac Deputatis Tridentinis tradatur, alterum vero [ab ipsis omnibus obsignatum] in Seminarii archivo fideliter adservetur.

CCXXXIV. — De relationibus a Seminarii interdioecesani Rectore Episcoporum erga Collegium constituentium nunc pauca: quae enim de alia cum Episcopo loci eiusdem relatione diximus, et heic quoque in praxi deducenda sunt. Idcirco, quamvis quae in re peculiares habentur difficultates haud diffitemur, attamen ut omnes erga Episcopos in Seminario potestatem habentes, Praepositus uti addictissimus se gerat filius quam maxime adhortandum. Frequenter igitur ac sincere cum ipsis relationes Rector habeat, eorum optatis [quantum fieri potest] libenter humaniterque satisfacere contendat, ac inter diversas sententias adeo Rector se gerat ut pacis sequester humiliter habeatur; earum vera practicam solutionem, potiusquam sibi, Episcopo loci demandet, cuius totam rem componere est.

CCXXXV. — Conclusionis instar ut Episcopi auctoritatem in Seminario cum omnibus et quoad omnia tueatur semper, Rectorem monemus. Nil igitur, quoquomodo omittat, vel dicat, quod quomodocunque in Episcopi detrimentum vertere possit: immo tum eius personam, tum eius opera, prudenter utique, at et sincere semper dilaudet. Si vero in dioecesi discordia flagraret, partium studio ne Rector inserviat; sed quae Episcopi sunt ratio-

[1] Artic. 65. [2] Vrtic. 72.

nes [occasione data] tum infra, tum extra Seminarii septa semper ac cum omnibus adeo tueatur ut anima una ac cor unum cum ipso eum esse persuasum omnes habeant. — Clericis praesertim erga Episcopum omnimodam reverentiam obendientiamque suadeat Rector: contumaciae adversum Ipsum mala semina destruere, ac eorum indicia sedulo punire Rector ne renuat. Vae! enim Seminario in quo haec quoquomodo invalescerent, quum non in plebis christianae salutem, sed in eius perniciem evasura sint. Ad quod immane exitium devitandum, tum verbis, tum exemplo enixe contendat Rector; qui [ut sermoni nostro in re finem imponamus] tantum sui muneri rite satisfaciet si Episcopo addictissimus uti filius in omnibus ac quoad omnia pareat, et quo fidelior, constantior ac extensior eius obedientia fuerit, eo melius erit. *Vir obediens loquetur victorias*[1].

§ II. — Cum Deputatis Tridentinis ac loci Parocho quomodo Rector se gerere debeat.

Summae rerum. — CCXXXVI. Quomodo tum ex lege, tum ex paedagogicis praeceptis, Deputatos Tridentinos erga Rector se habere oporteat. — CCXXXVII. Quid de coeterorum Officialium ac clericorum cum ipsis relatione dicendum. — CCXXXVIII. Quae ratio cum loci Parocho servanda sit.

CCXXXVI. — Ad alterum nunc [ad praxim quod attinet] haud parvi momenti argumentum gradientes, quomodo Rector Tridentinos erga Deputatos ac loci Parochum se gerere debeat indigitabimus. Qua in re quaestionem canonicam a paedagogica sedulo distinguere oportet. Idcirco:

a) Ad quaestionem canonicam quod attinet, quum Tridentini Deputati Episcopo tantum ac nemini quam ipsi constituti sint, nullam directe ac ex officio relationem cum ipsis habere, ex lege, Rector debet. Seminarii enim

[1] *Prov.*, XXI, 28.

Praepositus suo in regimine ab Ordinario tantum dependere debet, qui [aliqua saltem ratione] a Tridentinis Deputatis est. Ad rectum igitur gubernationis ordo servandum, dum Deputati in Rectorem directe influere haud possunt, nec Praepositus [neglecto Episcopo] directe ipsos adire [ordinariis in adiunctis] licet, et eo minus a quolibet adigi potest. Quidquid sit, publicas [si ita loqui fas est] relationes quod attinet, sequentia principia prae oculis habeantur:

I° Apostolica absque dispensatione Tridentinarum Deputationum conventui [Episcopi loco] praesidere haud Rector potest: secus index et pars in iudicandis esset, quod plane absurdum. Enimvero Deputatorum Tridentinorum munus recte considerantibus, praecipuam eius partem in Rectoris opera inquirenda facile comperiet, quod sane, ipso adstante, nullo modo coeteri, recta ratione agent. Quum autem [de apostolica dispensatione] Seminarii Rector his canonicis Seminarii conventibus praesideat, ut statutis temporibus eos revera convocet, ac tunc ut media omnia quibus Deputatorum libertatem in tuto ponatur, provideat consulendum; sic, uno verbo, ipse se gerat ut potiusquam de propria, de aliena opera agi videatur.

II° Communibus in contingentiis canonicis hisce conventibus, ex lege haud interesse debet Rector, eoque minus in Deputatorum numerum cooptandus, quod ex S. R. Congregationum responsis, et ex dictis aperto prohibetur.

III° Attamen, ut plurimum, e contrario ac in praxi, hisce conventibus Rector adest, quod et D. cavit Carolus iubendo: *Praeter alios Rector Seminarii, tum etiam qui Ministri aliquando vocandi erunt pro negotiis tractandis* [1]. Quibus ex verbis non tantum Rector, sed et coeteri primi ordinis Officiales [numquam vero Moderator Spiritus] hisce conventibus advocandos interdum esse [praesertim quum de peculiaribus negotiis eorum munera spectantibus agendum sit] clare evincitur.

b Ad quaestionem paedagogicam quod attinet aliquantulum diversimode a Rectore agendum est.

[1] *Instit.*, Par. I, Cap. 3.

Quamvis enim cum Tridentinis Deputatis nulla relatio a lege Rectori prestituatur, attamen quum [indirecta saltem ratione] Praepositi Moderatores semper ipsi extent, ut prudentiae leges in tuto ponantur, perhumaniter cum ipsis a Rectore agendum est. Igitur Praepositus ille qui [praesertim iuvenis ac extradioecesanus cum sit] privatam cum Deputatis Tridentinis relationem iniret, ac, interdum, privatim ac quasi per transennam de actis ac de agendis eorum sententiam sciscitaret a prudentioribus laudabitur.

CCXXXVII. — Quoad coeteros Officiales et eoque minus clericos omnes erga Deputatorum Tridentinorum relationem attinet nullum de re dubium esse potest; quae enim Rectori haud [ut plurimum] consulenda, multo minus Officialibus clericisque permittenda sunt, ab his omnibus qui recte regere intendunt. Eis igitur Episcopum adire licitum sit, at numquam Deputatos Tridentinos, quibus, de coetero, ne in interno Seminarii regimine directe se immisceant D. vetat Carolus, et ne coeteri ad hoc occasionem prestent, iubet. *Nulli omnino* [S. Archiepiscopi verba sunt] *qui extra Seminarium vivat cum clericis in Seminario degentibus versari aut etiam colloqui, sine Rectoris facultate liceat; quod idem ipsis Officialibus Deputatis ad regimen Seminarii interdictum esse volumus, nisi* [restrictiori normae legis Rector attendat] *id de mandato Reverendissimi Archiepiscopi faciant* [1]. Quae omnino recte; nam [ut vetus est effatum] ubi multi galli canunt, numquam dies illucescit; quod praesertim iuvenili in institutione prae oculis habendum, ne discordiae mala exempla [graviora in tempore paratura damna] ipsis praebeantur.

CCXXXVIII. — De Rectoris cum loci Parocho relatione nunc pauca addemus, qua in re canonicas quoque leges a paedagogicis sedulo distinguere oportet. Idcirco:

a) Quod ad canonicas leges pertinet, quum Seminarium uti episcopalis domi pars habendum sit, [consuetis in adiunctis] omnes qui, cum de familia sint, infra Semi-

[1] *Institut,*, Par. I, Cap. 5.

narii septa commorant a Parochi iurisdictione eximuntur. Rector igitur quoad ipsos, etiam in spiritualibus, uti saltem Episcopi vices gerens, haberi potest.

b) Quoad paedagogicas vero relationes quae de Rectore cum Deputatis Tridentinis mox recoluimus, heic quoque ingeminanda sunt. Adeo igitur perhumaniter cum Parocho Rector se habeat ut, quamvis ex iure haud subditum, attamen uti ex potioribus amicis ipse Seminarium habeat. Igitur tum in religiosis, tum in scholasticis solemnitatibus Parochus advocetur; eum erga nulla urbanitatis significatio omittenda qua, non tantum malae aemulationis semina dispellantur, sed et concordiae bonum exemplum clericis Officialibusque omnibus praebebitur. Quantum enim haec agendi ratio ad plurima [numquam sane dolenda] devitanda dicteria juvent, nemo dixerit.

Articulus II.

Quomodo Rector erga clerum ac laicales Potestates se habere oportet.

§ I. — De Rectoris tum saecularem, tum regularem erga clerum ac Status et Civitatis Potestatibus relatione.

Summae rerum. — CCXXXIX. Animadversiones praeviae. — CCXL. Cum saeculari dioecesis clero quomodo se habere Rector possit. — CCXLI. Regulari cum clero quomodo — CCXLII. Qua ratione cum Studiorum Status Praefecto ac caeteris laicalibus Potestatibus.

CCXXXIX. — Ut quod attigimus argumentum [in quantum ratio nostra sinit] perfectius proponamus, ut de caeteris Rectoris relationibus dicamus rectus tractationis ordo requirit; in quibus sane plurimas sui officii partes consistere omnes concedent, et si in illis defecerit, aliquod saltem suo muneri ac Seminario detrimentum ipse comparabit. Dicendum igitur in praesenti de relationibus a Rectore

cum clero tum saeculari, tum regulari, cum laicis Magistratibus, cum parentibus ac benefactoribus habendis.

CCXL. — Saecularem erga clerum [praesertim si Rector ex regulari sit agmine, ac extradioecesanus] tam amice Seminarii Praepositus se habeat, ut vere primus inter pares appareat. Fratres enim sacerdotes sunt, immo in Christi proelio dilectissimi commilitones ipsi extant, qui quum Christi passionis et certaminis socii sint, ita et in caritate vere fratres esse debent. Seminarium vero uti totius dioecesis cor, ex quo vitae spiritualis alimentum coeteris partibus pulsatur, habendum est; periucunda oasis ubi in sacerdotio fratres a labore itineris quiescunt ut novos labores capessere valeant; Arca Sancta levitica circumdata turba, novi Israelis Tentoria in quibus [peritis sub ducibus] ad apostolatum clerici parantur. At si Rector dioeceseos erga clerum dure se habeat, si Parochi quoad proprios subditos optata facile nimis spernat, si qui in animarum regimine eorum coadiutores sunt [et quos forsan, quum iam habuerit discipulos, uti dilectissimos filios nunc habere debet] eos alloqui, exhortari, consilio et opera adiuvare ipse renuat, quomodo Sacri Instituti statui ac exigentiis ipse satisfaciet? Ex hac enim agendi ratione, diffidentia primum, inimicitiae mox, contentionesque deinde Rectorem ac Clerum inter facile oriuntur, quibus dum una ex sui status virtutibus Rector caret, omnibus malum discordiae exemplum praebebit. Tunc, quamvis in dioecesi, attamen uti a dioecesi extraneus a Clero habebitur, et peculiares dioecesis ignorando necessitates, his in clericorum institutione haud consulere potest. — Nec hoc dicimus quasi legum prudentiae despectum suadentes, quum interdum [iuniori praesertim inter Clero] quidam qui novis ideis aliquantulum inservientes, et nova [at numquam satis deploranda] et in agendi ratione suadere clericis contendant haud desint: qui, profecto, a clericorum consortio prorsus arcendi, ne scabiosum pecus Seminarium omnem inficiat. Quamvis enim *omnes sacerdotes sint sodales quantum ad speciem, quantum vero ad vitam multi non sodales, sed adversarii*

sunt [1], et ne iuvenilibus in animis contumaciae rebellionisque mala semina inserantur quam maxime semperque advigilandum. Inimicus enim homo *circuit semper quaerens quem devoret.* [2]

CCXLI. — Regulari vero cum Clero adeo Rector se gerat ut omnes amicos, nullos vero inimicos tum ipse, tum Seminarium habeat. Ad quod assequendum omnes eodem modo in Christo diligere, omnibus aequipollenter benefacere, ac in Seminarium omnes pariter advocare valde iuvabit. Quod praesertim de clericorum confessionibus audiendis dicendum, in quo [uti et in reliquis omnibus muneribus in Seminario exercendis] nil Rector absque explicito Episcopi consensu statuet. — Quum vero aliquot religiosi inibi advocandi sunt, ut reapse muneri apti sint sedulo Rector attendat; religiosa enim vocatio quamvis ad clericorum institutionem quaedam validissima adiumenta praebeat, attamen non omnia; quum ad hanc rite exercendam non sanctitas tantum ac scientia theoretica, sed et pastoralis ministerii praxis, quam haud semper hi qui saeculo feliciter valedixere habere possunt, requiritur.

CCXLII. — Quum autem *quando regnum et sacerdotium inter se conveniunt floreat et fructificet Ecclesia* [3], ut Rector cum Status laicalibus Potestatibus relationes, et quidem optimas, habeat clare evincitur. Attamen, praesertim nunc, adeo, fere ubique, statolatria invalescit, ut hanc concordiam facile in discrimine adducat. Qua in re ut Rectoris Seminarii officia clarescant, distinctione opus est. Idcirco:

a) Ad Rectoris *ex lege* cum Statu relationes quod attinet, iis quae [quamvis illegitime] a iure civili statutae sunt legibus [ne persecutionum praetextus Ecclesiae hostibus praebeatur] omnino parendum. Quod multo magis de Nationibus illis in quibus explicitae de re pactiones cum S. Sede initae fuere ingeminandum; ubi enim Ecclesia de suis iuribus cessit, ne quis [ut dicitur] plusquam Papa catholicus videatur, parendum est. Ad Italica quod in re

[1] S. Gregorius Magnus, *In Cantic. Canticor.* Proemium, Cap. I, n. 27.

[2] I Petr., V, 8.

[3] Ivus Carnutens. Epist.278 *ad Paschalem II. Pontific.*

spectat Seminaria [consuetis in adiunctis] duplex contingentia consideranda, nimirum:

I) Si in Seminario ad Sanctuarium tantum clerici adparantur, scilicet, dummodo externi alumni saecularia appetentes Sacro in Instituto ne adsciscantur, fere omnimoda ac in omnibus libertate Episcopi gaudent. Restrictiones vero in re, tum quoad hygienem, publicam securitatem, ac tum Officialium, alumnorum ac clericorum elenchum [initio anni tum Civitatis curionibus, tum Provinciae Studiorum Praefecto exhibendum] praescriptis continetur. [1]

II) Si, e contrario, inibi et laici cooptentur, tunc, quamvis Sacrum Institutum Seminarium compelletur ac revera uti tale ab Ecclesia habeatur, attamen privatum uti Institutum a lege tenetur, quod propterea caeteris omnibus legibus quibus laicalis institutio regitur, [iuxta quae omnino regendum] subiacet. Et ex hac parte [per transennam monemus] quantum [communibus in contingentiis] clericorum Seminaria specifico suo in fine [a Sacrosancta Tridentina Synodo sapienter praestituto] servare, et laicos ab illo sedulo arcere intersit clare evincitur. Diximus enim, at numquam satis dictum, dum cum laicis et laicalis spiritus Sacro in Instituto invehitur, et Seminarii fere omnis et in substantialibus libertas [numquam aestimanda satis] adimitur, qua deficiente fere omne sacrae institutionis bonum in discrimine, miserrime, adducitur.

b) Ad caeteras omnes cum laicalibus Potestatibus Rectoris relationes quod refert, Episcopi iussis consiliisque [cuius locorum, ac rerum circumstantias spectare est] et hac in re omnino fideliter obsequi decet. Ordinarii vero accedente consensu, ut et laicales Potestates, Seminario amicae reddantur conserventurque, prudenter Rectori satagendum est; quod non tantum in bonum omnium exemplum cedit, sed et in Seminarii adiumentum vertere consuevit. *Cum* enim *regnum et sacerdotium inter se discordant, non tantum parvae res non rescunt, sed et magnae misere dilabuntur.* [2]

[1] Cfr. legem italic. Casati [30 nov. 1859] et decret. die 18 dec. 1872.

[2] Ivus Carnutens., *loc. cit.*

§ II. — Quomodo erga Alumnorum Parentes ac eorum et Seminarii benefactores atque amicos se habere Rector possit.

Summae rerum. — CCXLIII. Alumnorum Parentum diversae species. — CCXLIV. Quomodo cum ipsis habendum. — CCXLV. Cum alumnorum familiis quomodo — CCXLVI. Benefactores erga qua ratione utendum. — CCXLVII. Erga Seminarii amicos quomodo.

CCXLIII. — Erga alumnorum Parentes quae relationes a Rectore ineundae conservandaeque sint, ab ipsa institutionis origine ac fine indigitatur. Inibi enim Institutores eorum vices se gerere persuasum habeant, ac eorum absque adiumento fere nil, vel saltem difficulter assequi posse pro certo ipsi habeant. — At, ad maiorem in re afferendam utilitatem diversas clericorum Parentum species recolere est, quae cum sese inter valde differant, et variam regiminis rationem exigunt, quae in primis recolendis, et alteris recensendis opportunam occasionem praestabit. Idcirco:

a) Parentes ignorantes et obcaecati multi sunt, qui [ordinaria ratione] id unum intelligunt sibique omnino persuasum habent, eorum filium quam primum sacerdotio initiari debere, ut factis sumptibus resarciantur. Hi quidem de filiorum sacerdotali vocatione minime dubitant, nec studia rite expleri, sacrorum ordinum interstitia servari, Seminarii consuetudines legesque sarta tectaque iri quidquam putant; immo ut studia tantum quam primum per fas et nefas [etiam plures disciplinas plurosque cursus conglomerando in uno] perficiant, ut quam plurimis dispensationibus longum iter decurtent omne ope nituntur; consentiat obstetve regula flocci faciunt. Huiusmodi agendi ratione, non modo creberrimis epistolis, sed viva etiam voce [in colloquutorio] in Rectoris aut Vice-Rectoris officio opportune, importune utuntur, ac, ut perfruantur optatis, omnia moliuntur. A parvis itaque incipiunt, sed si Rector consenserit, mirum quantum animi exinde capiant et ad quae

quantaque desideria protendant! Si vero ille bene cautus abnuerit, nec lacrymis, nec gemitibus parcunt, ac animi crudelitatem, durum iudicium, immo et adversa sidera incusant! Hi a Rectore instruendi sunt, et si aliquid saltem obtinuerit, satis obtinuisse sciat.

b) Parentes versuti adsunt qui, quo callidiores, eoque magis perniciosi, quum quamvis ad idem contendant propositum, fictis tamen artibus sua consilia tegant. Hi sese obtestantur a festinatione nimia in re tam gravi [ut sacerdotalis vocatio est] abhorrere...; filio libera voluntas ac optio libera sit...; cetera omnia prudentiae, bonitati, sanctitatique Rectoris [quem ad sidera extollunt] fidentissime committunt... Interim filius studiis [de pietate ac disciplina nulla mentio] intendat, sedulamque det operam... Verumtamen si regula obstet hi nesciunt, neque regulam violare praesumunt; at quidem, si licitum, ut ad studia vires filio promptiores sint, per aliquot horas eum domum deducere, vel ad firmandam valetudinem per ferias, nativo aere, per montes, per littora reficere vellent..., et ita porro; nec, quin iterum Rectoris prudentiam, bonitatem, sanctitatem commendent, finem faciunt... — Ab his omnibus prudentissime fortiterque Rector caveat. Clericum, quam nummulariam syngrapham suo tempore luendam longe aliud esse his suadeat; sacerdotium et altare neutiquam ut parentum cornucopia habendum; non studia solum, sed et in primis animi sanctitatem in sacrorum alumno requiri: nequidquam licitum nisi quod Seminarii regula consuetudinesque permittant, huiusmodi parentibus in mentem Rector revocet. Hac ratione, eórum ipsis argumentis usus, larvatam istorum impudentiam perfringet.

c) Parentes recti [rarae quidem aves!] denique sunt qui tum suorum, tum filii officia probe noscentes, ut Superiorum voluntas in omnibus impleatur, scriptis et voce, sincere instant; immo si filius contra nitatur, aut insolitas, aut vetitas dispensationes quaerat, eius audaciam cohibent, eumque Rectoris auctoritatem, necessitatem ordinis, obedientiae officium revereri et implere cogunt. — Cum his bene se ha-

bebit Rector; qui immo nonnumquam [humanitatis caussa] quae ipsi [reverentia detenti] exquirere ac postulare non audent, ultro concedere potest. Ac utinam horum, qui non tam affectus animi, quam mentis prudentiam sequuntur, Parentum genus adaugeretur! Quanta inde in Rectoris quietem, quanta in Seminarii bonum emolumenta!

CCXLIV. — Seminarii Rector, quantacumque procacitate alumni ac parentes fuerint, cum omnes perhumana cum charitate agat. Quae concedere licitum, ne deneget; quae prohibentur, ut non minus denegatis quam concessis gaudeant, humanissima ratione ea denegare noverit. Ad rem in plurimis rusticitate, in aliis ignorantia, in coeteris obstinatione, in omnibus vero nimia affectione ne offendatur. Hoc vero, non modo viva voce, sed etiam in epistolis aut litteris datis, quarum, ut plurimum, intelligentiam huiusmodi Parentes aliena o[illegible]e [Parochi praesertim] assequuntur, servet. — Ceterum ars et ratio omnium excellentissima qua Parentum fiduciam, obedientiam, reverentiam, Rector mancipatur in eo est ut sinceram paternamque dilectionem in eorum filios [qui eius concrediti sunt curis] verbo et opera ille ostendat. Quum enim non modo prudentibus, sed maxime studiosis diligentibusque educatoribus carissimos concredisse filios Parentes probe noverint, aequo sunt animo, ac eorum absentiam [gravem sane illam ac egre ferendam] fere laetanter sustinent. Vicissim, ubi paterni Rectoris studii testimonia sincere proferre, de iisque Parentes edocere filii possint, ea existimationis gratitudinisque vincula quibus illi Rectori devinciuntur, magis magisque confirmant. Luculentum sane testimonium est si Rector suorum alumnorum Parentibus ea sincero possit ingeminare corde quae de Gaudrifrido quodam oblato et D. Bernardus: *Quotquot sumus in Claravalle vel de Claravalle ipsum in fratrem vel in parentes suscipimus. Confidite, consolamini, ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium... Nolite ergo lugere, nolite flere, quia Gaudifridus vester festinat ad gaudium, non ad luctum. Ego ero illi in pater et ego mater, ego frater et soror: ei omnia sic temperabo et sic dispensabo ut et spiritus proficiat, et caro non deficiat. Denique serviet Domino in laetitia et exultatione, et cantabit in viis Domini quoniam*

magna est gloria Domini! [1] Si enim Seminaria extarent coelico huiusmodi paterno orbata spiritu, quam maxime dolendum; quin immo, si et hac in re unus alterve e clericorum Institutoribus paedagogis laicis inveniretur minor lugendum!

CCXLV. — Quomodo cum alumnorum familiis quae in loco ubi Seminarium sit commorentur, Rector se habere debeat indigitamus paucis, nimirum:

a) Alumnos apud suos aegrotantes Rector interdum visitet; sed si, ut plurimum, Moderator Spiritus hoc egerit melius erit.

b) Alumnorum familias, in reliquis, haud invisere consultius erit, vel si secus, necessitatis, aut comprobatae tantum utilitatis caussa id faciet: ne dicteriis admodum infinitis [quae in eius famae dispendium vertere consuescunt] tum infra, tum praesertim extra Seminarii septa, eius personam ac officium impetant. *Mundus* enim *totus* revera, *in maligno positus est!* [2] Generatim vero D. illud Hieronymi Rector meminerit: *Facile contemnitur clericus qui saepe vocatus ad prandium, ire non recusat.* [3]

CCXLVI. — Clericorum ac Seminarii Benefactores erga adeo perhumaniter se habeat Rector ut etiam in parvis ipsis gratias agere assuescat; quibus, verbis amplissimis, religiosis officiis, ac orationibus ad Deum vices ipse rependat. Quantum enim haec agendi ratio benefactoribus pergrata extet nemo dixerit, quae dum et conscientiae officium persolvit, et ad maiora beneficia animos incitat. Enimvero si secus, dum Deo coram ac hominibus ingratitudinis macula Rector inuritur, omnem benefaciendi voluntatem eluit, omnem munificam manum ad erogandum contrahit. *Ingrati enim spes tamquam hybernalis glacies tabescet, et disperiet tamquam aqua supervacua* [4]. *Qui reddit malum pro bonis, non recedet malum de domo eius* [5]. Quae omnia non tantum de Seminarii, sed et de alumnorum Benefactoribus dicendum quibus, quum interdum, [magno cum onere] Sanctuarii asseclas adparent, ut Ecclesia grati sui animi sensus expromat dignum est, quo et eorum

[1] Epist. 110 *ad Parent. Gaudifridi.*
[2] I Ioann., V. 19.
[3] Epist. *Ad Nepotian.*
[4] *Sap.*, XVI, 29.
[5] *Prov.*, XVII, 13.

numerus Eius in bonum augebitur. — Nec satis; sed ut clerici ipsi suam gratitudinem ipsis pandant quam maxime adhortandi; quod praesertim in anni cursu [quando mos exigit] illis recolendum, ne [ut saepe assolet] oblivione, eorum officii debito quaquomodo deficiant.

CCXLVII. — Tandem cum Seminarii genuinis amicis, quae de benefactoribus diximus ingeminanda sunt. Adeo itaque Rector se gerat ut non tantum amiciores ipsi reddantur, sed eorum numerus prudenter augeatur; prudenter diximus, cum nullibi quam hoc in negocio cautius agendum sit. Enimvero multi amici in obsequio, sed pauci in adiumento; multi amici in mensa, sed pauci in egestate; multi in laetitia, paucissimi in tribulatione inveniuntur. Speciei igitur ne inserviat Rector, neque verbis tantummodo ipse fidat, sed ex eorum operibus eos dignoscat. — Quidquid sit, semper perquam prudenter cum ipsis se habeat; Seminarii negotia eis haud pandat, nec de actis vel agendis ullo modo cum ipsis sermonem immisceat Rector: uno verbo, adeo cum ipsis se habeat ut si inimici cras extituri fuerint: lacrymabundum sane documentum, sed quanta veritate gaudeat quotidiana experientia amplissime docet, quae magis tacere quam sermonem facere suadet.

B) De Personis Internis.

Articulus III.

Quae ratio Officiales erga a Rectore servanda sit.

§ I. — Quomodo omnes erga Officiales Rector se habere oporteat.

Summae rerum. — CCXLVIII. Animadversiones praeviae. — CCXLIX. Quae erga Officiales tum canonica, tum paedagogica Rectoris condicio sit, et ad rem peculiares normae. — CCL. Conclusio.

CCXLVIII. — Quamvis Seminarii Rector cum externis optime se habeat, si cum internis male se gesserit, eius reginis ratio ad nihilum redigetur; immo in maximum eius detrimentum vertetur, et ab his quibus primum praeficitur, et quibus, ex conscientiae officio, primas sui muneris partes impendere debet, et absque quibus fere nil ipse perficere potest, non patris sed extranei, immo inimici ad instar habebitur. Rector igitur dum externorum amicitiam, potiusquam sibi, Seminario comparare conatur, Officialium suorum quoque amorem [ut inferius magis explicabimus] aucupare satagat, et vigilantia, rectione ac caritate mediante, ad maius Seminarii bonum ex illorum opera capessendum omni contendat nisu.

CCXLIX. — At heic quoque [immo heic praesertim] Rectoris erga Officiales condicio quae sit indigitare praestat, quum ex huius recta intelligentia, tum eius iura, tum coeterorum omnium iura ac debita clare evinci possint, quorum tantum observantia optimum regimen exurgit. Quod si cum omnibus, cum Officialibus praesertim observandum qui provectioris aetatis ac experientiae et interdum meritis insignes cum sint, ac semper ipsi quoque coeteris praesint, cum magna reverentia habendi sunt. Rectoris igitur canonicam condicionem a iure praefinitam

ab illa paedagogica, ab humanitate ac consuetudine statuta, sedulo seiungere oportet. Idcirco:

a) Ad canonicam Rectoris condicionem erga Officiales quod refert, Legislatoris praecepta fere nulla inlustratione egent. *Rectori* [eius praeclarissima verba sunt] *omnes alii subiiciantur Ministri* [1], quod et D. iussisse Carolum legimus: *Eique coeteri cuiuscumque sint ordinis obtemperare teneantur* [2]. Quamvis vero Legislator [omnino prudenter] nil in re expresse statuat; attamen traditio borromiana [ex qua ipse sedulo inspirationem ducit] qualis hoc in negocio praxis sit aperte indigitat. S. Caroli monimenta in re huc redeunt: *in functionibus munerum suorum, ac in omnibus prorsus rebus, quae ad Seminarii referuntur utilitatem* [3]: quibus verbis Rectoris iuris ac debitorum Officialium extensio clare indigitatur. Idcirco:

1) *In functione munerum suorum* per rectam viam Praepositus in primis et ante omnia Officiales inducat, et deinde ut in ea perseverent sedulo contendat: quum si primum recte curaverit ipse, et alterum facile assequetur: regiminis enim sequentia ab initiis plurimum dependere omnes norunt. — At, quanvis recte Officiales initientur, attamen [ut in humanis assolet] saepe nimis adeo a recto deviant tramite, ut si Rector oculos auresque claudat, suae coecitatis surditatisque poenam misere luat. Praepositus igitur Officiales omnes *in functione munerum suorum* advigilet, ac ut cum ordine illa adimpleant sedulo attendat. Quae igitur in munere exercendo eorum fidelitas, assiduitas, peritia, caritas, orthodoxia, obedientia et si quid aliud spectentur, et [uno verbo] an quae sui muneris eis a Legislatore praefinitae et a consuetudine praestitutae sunt normae sedulo ipsi observent, prudenter Rector inquirat vigilatque.

II) *Ac in omnibus prorsus rebus quae in Seminarii referuntur utilitatem* [4] Officiales Rector advigilare debet. Quibus ex verbis eius in re vigilantia non

[1] Artic. 26.
[2] *Instit.* Par. II, Cap. 2.
[3] *Ibid.*
[4] S. Carol., *loc. cit.*

solum publicae, sed et privatae quoque personae extendi debere clare evincitur. Et recte sane quum quaecumque primam spectant et alteram spectent, et unam ab altera seiungere tam arduum ut fere impossibile dixeris; quo fit ut prioris tum bona, tum mala facinora et in alterius emolumentum detrimentumve vertant. Hae vero res fere omnes *quae in Seminarii referuntur utilitatem* [1] in Officialium bono exemplo tum infra, tum extra Sacri Instituti septa omnibus praebendo continentur, ut de coetero D. quoque Carolus expresse iubet, Rectori praecipiendo ut *diligentissime animum intendat ut disciplina servetur ab omnibus qui in Seminario degunt... Si quid in eis animadverterit quod vel scandalum afferre, vel labem aspergere Seminario possit R.mum Archiepiscopum commonefaciat. Observet diligenter eorum mores* [2]. Officialibus vero omnibus idem Sanctus praecipit: *Cavebunt ne quid committant quod ab ecclesiastica disciplina et Seminarii Institutionibus alienum sit, quodve clericorum mores corrumpere queat* [3]. Quae omnia, quum per se perspicua ac alibi fuse pertractata, haud heic iterum inlustrare opus est.

a) Ad paedagogicam vero Rectoris erga Officiales omnes condicionem quod refert, in mediis ac rationibus ad canonicam rationem supra descriptam servandam continentur. Idcirco:

I) In officialium electione ne immoderate se immisceat Rector, et quum eius sententiam [ut Legislator iubet [4]] Episcopus, vel Episcoporum Collegium scisciantur, omnino prudenter se habeat. Nullae igitur passioni inserviat ipse, sed, Seminarii bonum unice spectando, quid in maius eius adiumentum cedere putaverit adeo suggeret ut si res male cesserit, potiusquam suam imprudentiam, suam obedientiam incusare possit. In re vero evangelicum illud prae oculis Rector habeat: *Omnis homo primum bonum vinum ponit, postea cum inebriati fuerint id quod deterius est* [5]; nimirum, ut ad id quod ambiunt quidam

[1] *Institut.* Par. II, Cap. 2.
[2] *Ibid.*
[3] *Ibid.* cap. I.
[4] Artic. 6.
[5] Ioann., II, 10.

perveniant humilitatem profitentur; at cum pervenerint, adeo intumescunt, ut quos heri fere mancipia credideris, hodie [ad instar pecorum quae cui hausere fonti statim vertunt terga] despotes contra te insurgant. Et hac in re experientia plura docebit! — Nec secus de Officialium immutatione, et, praesertim, dimissione dicendum, in quibus cautius te gerere oportet, ne tuae imprudentiae poenam, misere, ipse luas.

II) Officiales omnes reverentia prosequatur Rector quae si clericos erga adhibenda, eo magis Officialibus praestanda, quorum [ut mox monuimus] aetas, scientia, officium, experientia hoc quam maxime requirunt. Non itaque ut pueruli, sed uti homines, immo uti in ecclesiastica institutione fideles adiutores habeantur, nihilque quod hanc paternam reverentiam imminuere ac, eo minus, posthabere quoquomodo videatur suspicet nec promat, agat vel omittat. Legitimis igitur eorum optatis [in quantum licet] pareat Rector, et si quid negandum, adeo perhumaniter et caritative faciat ut reverenter a Praeposito habiti, et reventer ipsi Rectorem habeant, quod sane in Seminarii bonum regimen quam maxime cedit. *In Officiales fidem Rector ostendat*[1] Legislator iubet.

III) Officiales omnes a Rectore sincere diligantur, patris ad instar qui quidquid dilectis filiis suis spectat, uti proprium habet, quo adeo eos sibi devincit ut, perquam suaviter, clericalis institutionis bonum attingat.

IV) Officialium auctoritatem enixe tueatur Rector, quod sane ex dictis consequens est; haec enim cum Praeposito in praxi dependeat, si defecerit fulcrum, cito corruet. Nec directe igitur, neque indirecte a Rectore Officialium auctoritas imminuatur: hyerarchicum ordinem servet ac, ut et coeteri servent sedulo curet. Cum vero clerici veniam aliquam directe postulant, quae [ordinariis in adiunctis] in inferioris Officialis potestate est, antequam quidquid decernat, quae Officialis ipse iusserit, vel censuerit sciscitetur Rector. Quando autem causam Officiales inter

[1] Artic. 27.

atque subditos cognoscenda est, maximae cautelae adhibeantur, et, ut plurimum, primi secreto emendentur, omnibus servatis quae potestati, sine iustitiae discrimine, tutandae conferunt. Si vero saepe nimis hoc contigerit, ne frequenti redintegratione omnis collabatur auctoritas, [qua diruta et coetera omnia diruuntur] a munere Officialem amovere praestat.

V) Officialibus omnibus congruam suo in munere libertatem Rector concedat, quae tum a Legislatoris mente, tum ab approbata loci consuetudine praefinitur; quod si secus, fere nil agere ipsi poterunt, veluti machinae videbuntur ac subditis ludibrium fient. Quapropter *libertatem eorum qui vobis commissi sunt ut vestram specialiter attendere debetis, et si ipsi a maioribus vestris iniuriari libertatem vestram non vultis, subiectorum vestrorum honorando libertatem custodite*[1]. Zelotypia igitur ne laboret Rector, sed potiusquam quid sibi reservet continuo cogitet, quae Officialibus committere potest continuo consulat.

VI) Officiales inter tum mentis, tum cordis ac operae maximam statuere ac instaurare concordiam nil antiquius Rectori cordi sit: hac enim tantum institutionis clericalis magni labores facile perferuntur. Omnes igitur in Christo eos diligat Rector, omnes sese inter sincero populari studio ipse contendat, ac omnes, [caritate mediante] adeo devinciat ut operarios, eodem agro Domini excolendo addictos decet. — Si vero [quod numquam satis dolendum] eos inter discordia flagraverit, patris ac matris ad instar [qui partium studio haud inserviunt] pacis caritatisque sequester Rector sit, ac ut concordia dilapsa quam primum restituatur omni contendat nisu. — Quum vero huius discordiae mala semina ex in aliena munera ingerentia, ac ex his quae coeteris spectant stulta inquisitione, orta, ut plurimum, ducant, utrumque Rector fortiter compescat. — Si autem hisce malis adeo inserviat quis ut incorrigibilis videatur, tunc, potiusquam discordiae in Seminario servare germina ut, prudenter qui-

[1] S. Gregor. Magnus, *Epistolar. Leontium ex - Consulem.* Lib. X, Indict. III, Epist. 51, *Ad*

dem at sollicite, amoveatur suademus. Tanti enim Seminarii Officialium concordia facienda est, ut quidquid ad eam servandam valet haud incassum Rector putet. Attamen plura quae ad rem faciunt, potiusquam Rector, Ordinarius aptius praestare poterit.

VII) Ut Officiales omnes [in quantum licet] adeo diu noctuque in Seminario degant ut quamdam saltem vitam communem ipsos inter instaurare possit Rectori consulendum quam maxime; quo, dum plurima omnibus preacavebuntur noxia, et magna emolumenta ipsis comparabuntur. Attamen quum peculiaris cleri saecularis condicio non eadem quae regularis sit, haec vita communis Seminarii Officiales inter non adeo urgenda ut religiosi in moribus habent; quod de coetero et borromaeana traditio consulit. Inibi enim Officialium vita communis ut refectionum ac vespere in Seminarium introitus horas servent, neque a civitate Officiales discedant abque Rectoris facultate in eo tota est. Prudentia igitur maxima in re suadenda Rectori est ne, dum melius quaerit, bonum amittat, ac Officialium iura quoquomodo laedat; quod Praeposito praesertim regulari recolendum qui, suae vitae moribus studendo, facillime nimietatem induceret.

CCL. — Conclusionis instar, generatim loquendo, tam sedulo peramanterque Officiales erga Rector se habeat *ut eorum exerceat corda et corroboret, ut nihil grave, nil difficile, sed fiat totum dulce quod agitur.* [1] Quapropter [iterum iterumque admonemus] Officiales veluti fratres filiosque Rector diligat, omniaque in eos quae caritatis iustitiaeque officia sunt sedulo peramanterque persolvat. Secus, quamvis corpore coniuncti ac eidem ministerio addicti, mente tamen ac corde divisi, simulata vivent concordia, apostolatus onera multiplicabunt, et [ut omnia brevi complectamur sermone] Seminarii ordo penitus subvertetur, quo Ecclesiae Sanctae Dei, potiusquam laetabundi fructus, spinae vepresque comparabuntur. Seminarii igitur Officiales inter caritas [magnum Dei donum] adeo

[1] S. Gregor. Magnus, *Epistolar. Syagrium.* Lib. IX, Indict. II, Epist. 108, *ad*

triumphum agat, ut eorum in cordibus diffusa, qui eius in clericalis institutionis sunt fructus abundanter colligantur. Faxit Deus!

§ II. — Quomodo singulos erga primarios Officiales Seminarii Rector se gerere debeat.

Summae rerum. — CCLI. Animadversiones praeviae. — CCLII. Quomodo Vice-rectorem erga ipse se habere possit, et quae huius muneris debita iuraque ex lege sint — CCLIII. Cum Spiritus Moderatore quomodo, et quae ei a Legislatore praestituantur munera. — CCLIV. Quomodo cum Studiorum Praefecto se habere Rector debeat, et huius muneris officia quae ex lege sint. — CCLV. Cum Oeconomiae gestore quomodo, et eius officii fines.

CCLI. — Quanvis quas hucusque recoluimus normae generalem Rectoris agendi rationem Officiales erga satis commonstrent, attamen, ad maiorem Seminarii Praeposito afferendam utilitatem, et alias peculiares in re normas [singulis muneribus proprias] indigitare ex quibus et peculiaria recolendi ad rem monimenta occasionem capessemus, quae Rectori utilia censemus opportunum ac proficuum ducimus.

CCLII. — Quae Rectoris erga eum qui in Seminario vices suas gerit relationes esse debeant nomen ipsum Vice-rectoris satis demonstrat.

a) Huius munus ut unum cor unaque anima cum Rectore sit omnino exigit: quamvis enim Officialium corporis caput Rector sit, attamen uti huius corporis dextera Vice-rector habendus est, qua si Rector careat, vel si indocilem tantum habeat, pauca et haec quidem difficulter ipse aget. Quapropter si omnes erga Officiales pacifice se habere Rector debet, eo magis Vice-rectorem erga, qui pressius suas vices in disciplinari ordine [in quo totum fere regimen continetur] gerit. Adeo fiducialiter igitur cum Vice-rectore Praepositus agat ut ab eo peculiaria quoad omnia de Seminarii statu ipse cognoscat, et per ipsum quae pro-

videnda sunt provideat. In primis matutinis diei horis Praepositus ac qui vicibus eius fungitur [statutis horis] conveniant, ut de agendis statuant; inter diei cursum Rector alterum ad se advocet, vel alter primum adeat.

b) Huius muneris peculiarem indolem Praepositus continuo prae oculis habeat, quae a Legislatore, omnino prudenter, hisce ordinationibus praetinitur, quarum observantiam sedulo urgere Rectoris est.

Art. 37. — Munus est Vice-rectoris Rectorem coadiuvandi, eiusque vices gerendi, cum absit vel detineatur. Vice-rector itaque peculiarem obsequium in Rectorem ostendat, et abstineat a dissentionibus et ab imprudentis voluntatis iactantia; semper sibi commissa tantum expleat, ac eundem prosequatur benevola apertaque subiectione.

Art. 38. — Omnia ad Vice-rectorem pertinent quae disciplinam, vel legum observantiam respiciunt. Eius esto assidue seduloque contuberniis praefectis, vitae communi alumnorum, eorumdem munditiae atque usui praeceptorum civilis institutionis, invigilare.

Art. 39. — Praefectis frequenti congrediatur consuetudine, ut de agendi ratione contubernii ipsis commissi certior sit, et ita consulere possit necessitatibus per se, sive, in negociis maioris momenti, de Rectoris consensu. Hunc nihil celato, et diebus horisque statutis eum doceat de omnibus, ut normas consiliaque recipiat quae fideliter exequatur.

Art. 40. — Curam habeat ut alumni sibi omnia comparent quae propriis sumptibus comparanda tenentur, uti v. g. libros, res scholasticas etc.; studeat ut nihil in Seminarium importetur, nihil alumnis tradatur absque consensu suo. In libris comparendis maxime utatur Rectoris consensu. [1]

Quae omnia cum borromianis omnino concordant praeceptis quae his redeunt: *Minister* [haec S. Caroli verba] *absentis Rectoris vices gerat; rerumque ab eo statutarum executor sit: ipsum autem oportet singula propius diligentiusque circumspicere...* [2].

c) Vice-Rectoris peculiares qualitates, a Rectore in eo requirendae, sunt:

[1] Cap. II, § 2.

[2] *Institut.* Par. II, Cap. 3.

I) Obedientia. — Quamvis secundarii officiales omnes, virtutem hanc quam maxime colere debeant, attamen ut inter ceteros Vice-Rector praecellat, regiminis ordo suadet. Eius enim est quae a Rectore statuta sunt exsequi, et si, e contra, suum potiusquam Praepositi consilium sequatur, Praelati potestatem pessundat, totamque disciplinae rationem, verbo et exemplo, funditus convellit.

II) Navitas. — Cum Vice-Rectoris sit *singula propius, diligentiusque circumspicere*[1], quam maxima navitate alacritateque ipse eget, quibus si carebit, nec singula, nec prope, nec diligenter quae ad regimen attinent inspiciet curabitque. Quapropter, ut plurimum, huius munus haud senibus confractisque viribus, sed iuvenibus virisque tradendum videtur, qui aptius illud exercebunt.

III) Rerum agendarum facilitas et inclinatio. — His enim si Vice-Rector carebit, nec consueta apte faciet, nec insueta optime consulet. Quamvis enim agenda statuere Rectoris, sit attamen peculiarem agendorum usum haud semper ipse constituere atque invehere potest. Interdumque vero inopinati disciplinae eventus ut statim consuletur requirunt, quod Vice-Rector, si agendorum facilitate caret, haud exsequi potest.

Cum vero sit *absentis Rectoris gerere vices*[2], Vice-Rectoris necesse est ut iis quae in Praeposito desiderantur qualitatibus [in huius voluminis limine memoratis], ipse prae officialibus omnibus excellat, ideoque maiori sanctitate prudentiaque pollere debet.

CCLIII. — Moderatorem Spiritus erga:

a) Adeo Rector se gerat ut cum eo qui in Seminarii regimen efficacius influit. Animas enim regere, sinceram virtutem illas inbuere, rectam agendi intentionem in clericos fovere, et ut cum Deo ac per Deum omnia semperque illi agant curare Moderatoris Spiritus est. Ei igitur, quoad forum internum, omnimodam concedere libertatem prorsus decet; quod, certo quodammodo et pro externo foro [infra tamen disciplinae statutas normas] ingeminandum. Quidquid igitur ad modum pietatis

[1] S. Carolus Borromaeus, *loc. cit.* [2] Artic. 37.

colendae Moderator statuere mavit [consuetudine servata] haud impediendum, sed immo coadiuvandum. — Quamvis vero ex officio publiceque Moderator Spiritus nullam in disciplina partem habere possit [quod sedulo cavendum], attamen ut privatim qui extraordinem eventus habentur et quae hos attingunt ipse cognoscat necesse est, quo suam privatam operam cum Seminarii necessitatibus aptius componet. At [Rector attendat quaeso] quum de clericorum suceptione, punitione, ordinatione ac dimissione agatur, numquam, nec indirecte quidem, de re sententiam a Moderatore Spiritus, Praepositus sciscitetur. Quod praesertim de clericorum ad sacras ordinationes promotione dicendum, in quibus nec verbiusculis quidem, et eo minus scriptis, a quibuscumque, ac a quovis modo rogatis, a quocunque et quomodocunque significatis satisfacere, ex stricto conscientiae officio, vetitum prorsus est. Quamvis enim qui in re latiori adhaereant sententiae haud desint, attamen strictiorem [utpote rectis scientiae morum principiis magis consona] enixe suademus. Sacrosancta igitur Moderatoris Spiritus conscientiae officia tueatur Rector; sacrosancta clericorum iura ne ipse violet, neque, a coeteris cuiuscunque sint ordinis violentur ipse patiatur. — Tamdem, ne quis ex Officialibus clericisque quae non sunt, nec esse possunt suspicetur, quando Rector cum Moderatore Spiritus convenit, tum in tempore, tum in loco ac frequentia cautissime agendum: secus, parva scintilla, diffidentiarum incendium suscitabitur.

b) Spiritus vero Moderatoris munus hisce a Legislatore praefini ur legibus, ad quarum observantiam, omnino prudenter, Rector advigilare debet:

Art 50. — Pietatis Magister committitur alumnorum spiritualis cura, ut instituantur ad perfectam vitam sacerdotalem. Itaque summopere studeatur, ut huic muneri praeficiatur sacerdos, quem constet preditum esse necessariis requisitis.

Art. 51. — Nulli Seminario Magister desit pietati idque utpote grave peculiareque praeceptum iniungitur omnibus R.mis Ordinariis. Ipse habitualiter in Seminario commoretur, ut pa-

ratus sit quoties alumni eum exposcant, prouti mos est praestantiorum Institutorum.

Art. 52. — Si ob peculiaria adiuncta per aliquod tempus quominus resideat impediatur, Seminarium quotidie petat horis et loco statutis sacerdos externus, cui munus, de quo agimus, commissum est, ut alumnos eum petentes audiat.

Art. 53. — Cura praecipua pietatis Magistro esto in alumnos infundere ac colere, maiori qua potest constantia, pietatem illam, quae omnibus, sed praesertim clero, uber est inestimabilis utilitatis. Quo magis pietas in clericos penetraverit, eo magis ipsi parati erunt ad sacrificii studium strenuum, cuius tanta est necessitas ad sollicite curandam Dei gloriam et animarum salutem. [*Leo XIII, Epist. Ad Episcop. Ital.*, die 8 dec. 1902].

Art. 54. — Confessiones alumnorum audiat pietatis Magister, eisque monita, quae in Domino expedire iudicaverit, praebeat, quoad praesertim sacerdotalem vocationem. Eos dirigat ad meditationem peragendam, sive lectione, sive expositione, sive quemdam librum aptum indicando, atque eiusdem diuturnitatem iuxta alumnorum aetatem moderatur.

Art. 55. — In obsequium sui sublimis ac peculiaris muneris, summo studio caveat ne sese immisceat in disciplinari agendi ratione Seminarii; neque alumnos admonitos vel punitos protegat. [1]

c) Peculiares vero Moderatoris Spiritus dotes [et a Rectore sedulo in ipso requirenda] hae sunt:

I) Sanctitas. — Spiritus Moderatoris conscientiae officium est plus exemplo quam verbis suas obfirmare sententias: quapropter *ita vivat, et in omni vitae parte ita se gerat, ut ex ipsius vita moribusque atque officio exempla peti possit* [2]. Recessum, mortificationemque diligere, orationi sanctaeque lectioni incumbere, animorum contentiones confestim, omni ratione, sedare, totiusque Seminarii pacem concordiamque tueri, ordini, indirecto at pervalido modo, consulere, omnes virtutes in clericorum animos sedulo excolere, ipsisque per arduas sacer-

[1] Cap. II, § 4. Par. II, Cap. 4.
[2] S. Carolus Borrom., *Institut.*

dotalis sanctitatis semitas fideliter strenueque ducatum praebere eius officii est. At si sanctitatis vias Spiritus Moderator ex usu ignoret, quomodo haec omnia difficillima munia rite obibit?

II) Animarum zelus. — Sanctitatis veluti legitimus filius animarum zelus, iure meritoque habetur: quae si authentica haud est, hic quoque spurius erit. Moderatoris Spiritus officium quam maxime mortificationis amorem requirit, qui si deficeret, zelus animarum labefactatur. Tuncque, quamvis Seminarium Spiritus Moderatorem nomine habeat, attamen eo de facto caret; nam quod nomine tenet, perfunctorie officium exercet: saepe saepius plus extra quam domi erit, et cum ibi manebit, potiusquam clericis, quieti otioque indulgebit, et spirituali neglecta praefectura, disciplinari potius incumbet, quo ad primam evertendam nil efficacius habetur.

III) Scientia. — Neque ad animarum moderationem sanctitas sufficit, cum ad hoc scientiae quoque auxilium requiratur; *zelus* enim *absque scientia importabilis est* [1]. Quapropter ut spiritualis vitae notitiam spiritus Moderator habeat, ascetica doctrina polleat et sacerdotalis institutionis difficillimam artem calleat, adiumentaque ad hanc perbelle assequendam necessaria possideat recteque tractet, ipsa muneris ratio suadet. At si haec omnia Spiritus Moderator ignoret, quomodo quae ipse nescit, clericos, succrescentes Ecclesiae spes, docebit?

IV) Prudentia. — Nec haec omnia ad optimam Spiritus Moderatoris formam exhibendam haud sufficiunt. Per sanctitatis enim asperam semitam, proditoriae maligni spiritus artes audacter versuteque, huc illucque pervadunt, cuius mala consilia effugere [tum pro se, tum pro aliis] Spiritus Moderatoris est. Nam diros animarum morbos sedulo curare, passionibus medicinam praebere, sacerdotalis vocationis veritatem scrutare, germanas quorundam eventuum causas dignoscere, clericorum inconstantiam consiliis fulciri, Spiritus Praefectus debet. At quomodo qui prudentia caret, haec omnia praestabit?

Quapropter *qui sit discretioni providus, gravitate matu-*

[1] S. Bernard., *De Considerat.*, Lib. IV, cap. 4.

rus, devotus honestate, Sanctarum Scripturarum gnarus, austerus in se, proximo compatiens, orationi assiduus, corde mitis, eloquio verax, et in omni [si possibile est] spirituali disciplina provectus [1], in Spiritus Moderatorem eligatur.

CCLIV. — De Praefectum studiorum erga Rectoris relatione sequentia teneantur:

a) Quae cum Vicerectore servandae normae nuperrime indigitavimus, heic quoque Rectori consulimus. Obiecto enim mutato, quae quoad disciplinam Vice-rectoris officia sunt, eadem quoad studia praestare Praefecti studiorum est.

b) Praefecti Studiorum vero a S. Sede illi praestitutae leges, hisce continetur articulis quorum observantiae studere et Rectori erit:

I) *Praefecti officium erit, semper sub dependentia ab Episcopo, schemata docendorum pro Professoribus, ac etiam Calendarium et Tabulas horarii conficere.*

II) *Idem Praefectus, audito Professorum Collegio, quolibet mense semel [aut saepius, si opus erit] convocandum erit, vigentia programmata aptabit et etiam immutabit, horasque ita distribuet, ut, salva rerum substantia et adaequata licentiae periculo institutione, maius tempus in disciplinas sacrorum alumnis magis necessarias impendatur, ut iam de latina lingua in gymnasio, deque philosophia in lyceo dictum est.*

III) *Praefectus Studiorum cum Professorum Collegio, omnia constituet ut singulis expletis annis regularia et idoneae pericula fiant, in qualibet disciplina, pro provectione ad superiores classes, ipseque suffragiorum numerum ad idoneitatem praefiniat* [2].

Art. 60. — *Praefecti studiorum munus praecipuum illud erit ut juvenes leges Seminarii ad studia pertinentes inviolatae servent.* Quapropter *curare tenetur ut media aptiora adhibeantur ad promovenda eadem studia in Instituto, semper tamen de Rectoris consensu.*

Art. 61. — *Interdum classes visitabit et, ut in clericis*

[1] S. Laurent. Iustinian., *De Obedientia*, cap. 20.

[2] S. C. decret. die X Maj 1907, Cap. VI.

studiorum amor et in Magistris docendi ardor excitetur, alumnos interrogabit.

Art. 62. — *Invigilet ut diligenter habeantur acta scholastica, et in fine singulorum bimestrum paratae sint schedulae notarum ab alumnis obtentarum.*

Art. 63. — *Dirigat omnia quae pericula extrema ac reparationis respiciunt; omne studium adhibeat ut pericula cum gravitate et absque favoribus expleantur, et meritum tantum singulorum expendatur in promotionibus decernendis ad scholas superiores; scholam novis quoque alumnis assignabit eorum cognita idoneitate sive ex documentis, sive ex admissionis periculis.*

Art. 64. — *Curet ut solemniter celebretur anni schotastici inauguratio ac praemiorum distributio, pro quorum adiudicatione opportunas statuat normas de consensu Rectoris, et Episcopo, vel Episcoporum Collegio adprobante.*

Art. 65. — *Singulis exeuntibus annis scholasticis, diligentem de statu scientifico relationem generatim scribat, simul ac de progressu in studiis ab alumnis habito, vota enuncians quae praestantiori studiorum conditioni utilia, vel necessaria iudicaverit. Eiusmodi relationem Rectori obferat qui de ea Episcoporum Collegium certiorem reddet* [1].

c) Praefecti studiorum dotes generales sunt quae in omnibus Seminarii Moderatores requiruntur, idest sanctitas ac scientia: peculiares vero sunt rerum gerendarum peritia, peculiaris scientiae auctoritas, zelus studiorum Seminarii incrementi, gravis aetas ac adolescentiae peritia ac amor. Quamobrem vir *prae caeteris aetate provectus, auctoritate gravis, spectata probitate, peritus disciplinae clericalis, ecclesiasticae disciplinae retinens ac studiosus et in suis intelligens rebus quae sunt suae administrationis* [2], ad Praefecti studiorum munus tantum eligatur.

CCLV. — Rectoris tandem cum Oeconomo relationibus haec attendantur:

a) Eae, quo magni momenti, eo magis, ut pluri-

[1] Eiusd. decret., die XVIII Ian. 1908, Par. I, § 4.

[2] S. Carol. Borrom., *Institut.*, Par. II, Cap. 2.

mum, salebrosae illae esse consuescunt, quum nullibi magis quam in pecuniae gestione sententiarum diversitas ac obstacula habeantur. Attamen [ut mox monuimus] ut Rector prudenter utique, at et perseveranter in Oeconomi operam [praehabitis ante oculis principiis alibi indigitatis] sedulo advigilet necesse est, et ut sub eius immediata vigilantia, et eius iuxta normas Oeconomus Seminarii bona administret Praepositus satagat. Ad rem vero ut sequentia Oeconomus observet Rector contendat:

I) Oeconomo potestatis suae administrativae limites describantur, atque ubi extraordinaria ab eo requirantur, id scripta fide illi confirmetur. Haec, si prima fronte veluti in huius muneris odium constituta videantur, tamen in Oeconomi ac Rectoris maiorem usque utilitatem cedunt, quo cautela opportunae adhibentur ut quisque a se mala commissa ipse luat, quod prudentia suadet.

II) Fortuito aut nesciens nihil Oeconomus agat; praeventivam rationem pro venturo quoque anno accurate conficiat, descriptamque approbari postulet. In ratione huiusmodi autem describenda ut expensae graviores accipienda vero minora praevideantur suadet prudentia; sed etiam quoad eius fieri poterit, quaedam necopinatis casibus [qui revera certi esse consuevere] summa in cautelam constituatur.

III) Praevidentia maxima opus est et, quantum res sinunt, expedit ut necessaria quorum maior vis comparanda sit, opportuno tempore adquirantur.

IV) Quolibet mense rationem accepti et expensi ab Oeconomo Rector postulet: nam officialis rationum redditio ad quam quotannis Oeconomus coram Visitatore vel Episcopo advocatur, menstruam huiusmodi revisionem per Rectorem profecto non impedit, sed immo exigit, quum illa peracta, iam negotii reparandi nulla suppetat facultas. Quamobrem Oeconomus, quodlibet exeunte mense, rationum libros sponte Rectori subiiciat, et ab illius manu utcumque signari [etiam monitis si libet additis] postulet.

V) Ut Oeconomus, opportuno tempore, summas debitas fideliter repetat ut et ipse sua fide-

liter solvere possit. Rector advigilet. Opporlet igitur e. g. ut in Seminario certi statuantur dies ad taxam beneficiorum, ad stipendia menstrua exigendam, ad locationum, vel usurarum responsionem etc. In his autem Oeconomus humanum at constantem propositique sui tenacem se praebeat oportet, ac ubi morae longius protrahantur, de re certiorem Praepositum reddat.

VI) Ut statis quoque diebus Oeconomus debitas summas fideliter solvat Rector advigilet; quod profecto tum Seminari, tum Oeconomi, tum creditoribus utilius erit. Etenim Institutum si v. g. pretium contextim persolvantur, illud, ut plurimum, imminutum sentiet; res autem adquisitas melioris vel optimae notae percipiet; iustitiae officio satisfaciat, ac querelas et murmurationes perniciosissimas devitat. Oeconomus vero, quum vires suas probe noverit, cautus procedit; mercatores demum ubi se meredem suam seu pretium cito recepturos sperent, maiore cum honestate ac sedulitate suis officiis adsunt. — Opportunam autem occasionem nacti monemus sollicitum esse debere Oeconomus ut quum pecuniam numeraverit [ac potissimum si magna illius fuerit vis] accepti scriptam fidem postulet, quae securitatem a necopinatis gravibusque periculis tum illi, tum Seminario confert.

VII) Accepti expensique rationem fideliter etiam describat Oeconomus itemque quidquid ad gestionem pertinet scriptis documentis confirmari satagat. Nec memoriae fidere satis est, quum exinde nihil contra tertium valide obfirmari possit. Ad rem haec parentur:

1) Regestum generale princeps ubi [sedula cura] rationem accepti expensique adnotanda erit.[1]

2) Regestum facultatum Oeconomo concessarum, earumque usus, prouti et redditnum omnium: alterum vero ubi onera vel perpetua, et constantia [ex g. quae legatis fundata fuerint] vel temporanea et adventitia, protui summae mercatoribus debita, describantur.

3) Regestum quoad personas, ubi sub cuiusvis

[1] Cfr. Artic. 72.

alumni nomine, ad alphabeti ordinem disposito, uniuscuiusque onera et satisfaciones referantur [1].

4) Fides recepti per schedulas, opportuna ratione, dispositas et duplicatas.

VIII) Quoad vero pecuniae vim S. Carolus decernit: *Capsa pecuniarum asservetur in Seminario in cubiculo Rectoris, et claves duae, diverso opere fabrili eidem oppositae sint: quarum una a Rectore, altera a thesaurario custodiatur, nec alter sine altero reponere in eo pecunias vel extrahere possit* [2]. Quid tamen consilii ineatur, ubi Oeconomus de pecunia servanda curam gerere debeat, opportunas adhibeat cautelas ut tuto Seminario asservetur, ac congruum fructum afferat: ad rem vero ut consilium semper cum Rectore conferat, atque magis obediendo quam disponendo rem conficiat, Praepositus satagat.

b) De cetero quod in re Rectoris quoad Oeconomi vigilantiae munus sit in Legislatoris praescriptionibus continetur quae his redeunt:

Art. 72. — *Peculiare habeat tabularium in quo de more conserret omnia necessaria documenta, praesertim rationes accepti et expensi, acta, etc., ita ut quoties postuletur, rationem diligenter reddere valeat. Initio cuiusque anni praeviam sumptuariam rationem* [projet de budget] *computet, et expleto anno Rectori exhibeat summam rationum.*

Art. 73. — *Nunquam abstineat ab iis peragendis impensis quas Rector utiles vel necessarias existimaverit incremento morali, disciplinari atque scientifico Seminarii.*

Art. 74. — *Peculiari cum diligentia culinae invigilet, ut alumni congruenter deserviantur.*

Art. 75. — *Saepe varias domus partes visitet, ut inspiciat an omnia ordinata reperiantur; an quid perierit, aut corruptum fuerit ut cito consulatur.*

Art. 76. — *Curet in Seminario regulae decentiae observentur et hygienica subsidia adhibeantur.*

Art. 77. — *Omne studium adhibeat ut in Ecclesia vel in Sacello Seminarii omnia expedita reperiantur, nihilque desit*

[1] Cfr. paradigma ad calc. volumin. [2] *Institut.* Par. I, Cap. 5.

cultui necessarium, ac debita cum decentia semper conserventur sacrae suppellectiles.

Art. 78. — *Oeconomus, in anno facultate fruatur non modum quoad ordinarias expensas, sed etiam quoad urgentiores, animadvertens tamen graviores expensas, ut instaurationem aedificiorum, suppellectilium eae antea adprobandas esse ab Episcopo dioecesano vel Episcoporum collegio.*

Art. 70. — *Oeconomus, de Rectoris consensu, famulos seligat qui ab eo immediate dependeant. Ipse autem eorum vitae rationi invigilet, tum quoad mores et disciplinam juxta opportunas leges, quos ipse quidem, de Rectoris consensu, statuet.* [1]

c) Oeconomi qualitates perbelle a D. memorantur Bernardo, scribens: *Quaerendus... fidelis et prudens quem constituas super familiam tuam...* [2]

I) Fidelitas. — *Is si fidelis non fuerit fraudabit* [3], Divus Bernardus monet; quapropter ut in hac virtute ipse praecellat oportet; secus bona Domini, quorum Oeconomus haud dominus sed custos est, dilapidabit. Idcirco Rectoris tantum consilia ipsi leges sint, nec quidquam, Praeposito inscio, audeat.

II) Prudentia. — *Is si non fuerit prudens fraudabitur* [4], Divus Bernardus Eugenium Pontificem admonet. Et recte sane; prudentia enim rerum agendarum veluti robur habetur, quae si defecerit, tota oeconomica gestio labefactatur. Haud enim pauci saeculi homines desirantur qui ecclesiasticorum ingenuitate, omni arte, ad proprias sarciendas crumenas, abutuntur. Interdum vero Oeconomi minime desunt qui [illud Evangelii inepte interpretando: *Nolite... solliciti esse in crastinum .., sufficit diei malitia sua* [5]], nimis Divinae Providentiae stulte confisi, de crastino haud cogitant, et libertatem ammittunt [nam *qui accipit mutuum servus est foenerantis* [6]]; sicque irreparabilem ruinam Seminario comparant. *Si quo minus*, D. monet Bernardus, *aut fidelis inveniatur, aut prudens, fideli potius committendum: sane e duobus tutius hoc* [7]. Neque satis;

[1] Pars I, Cap. II, § 7.
[2] *De Consideratione*, Lib. VI, cap. 6.
[3] *Id. Ibid.*
[4] *Id. Ibid.*
[5] Matth., VI, 34.
[6] *Eccles.*, VIII, 15.
[7] Loc. cit.

nam S. Doctor quoque admonet: *Si idoneus non reperitur, etsi minus fidelem sustinere potius consulo, quam te immergere labyrintho huic* [1].

§ III. — Quomodo Antecessores, Contuberniorum Praefectos, Confessarios ac Sanitatis Officiales erga Rector se gerere debeat.

Summae rerum. — CCLVI. Animadversiones praeviae. — CCLVII. Quomodo cum Antecessoribus Rector se habere debeat, quae ex lege eorum officia sint, et ad rem peculiares normae. — CCLVIII. Cum Conturberniorum Praefectis qua ratione Rector uti debeat, et ad rem regulae. — CCLIX. De alumnorum confessariis, et quomodo cum illis utendum sit. — CCLX. Quae Rectorem ac Sanitatis Officiales inter relationes esse possint. — CCLXI. De famulis. — CCLXII Quaedam de Seminarii janitore memorantur. — CCLXIII. De Sororibus Seminario addictis.

CCLVI. — Quamvis [ut rectus regiminis ordo suadet] quae a Rectore circa Magistros, Contuberniorum Praefectos ac famulos praestituenda sunt [ut plurimum, ac consuetis in adiunctis], per Studiorum Praefectum, Vicerectorem ac Oeconomum decernere debeat, attamen quum hi omnes Rectoris subditi extent, ac tum Praepositum, tum Officiales sese inter convenire ius ac officium sit, ut quomodo ipsos erga Rector se gerere debeat indigitemus congruum omnino est.

CCLVII. — Magistros Seminarii erga:

a) Cunctae quae de Officialibus omnibus Rectori praestituimus normae heic praesertim observandae sunt, quum pro ipsis peculiariter in praxi deducendae veniant. Reverentia igitur, amore, vigilantia eos prosequi necesse est, ac ut clericis, collegis, ac externis exemplum bonorum operum Antecessores exhibeant, prudenter utique, sed et quam sedulo satagendum est. Patris igitur ac matris ad instar erga ipsos se gerat Rector, ac dum eorum debita exigit, et eorum iura cum

[1] *De Considerat.*, Lib. 6, Cap. 6.

omnibus adeo enixe tueatur ut tutorem defensoremque eum habere ipsi persuasum habeant. Ad Magistrorum vero animos sibi devincendos nil statuere quin prius eorum sententias in his quae illis pertinent sciscitet, nec eorum opinionibus frequentet nimis contraire plurimum intersit; quod postremum praesertim publicis in recreationibus [quae post coenatum haberi solent] quam maxime devitandum, in quibus ut potiusquam actor, spectator Rector sit consulendum. Nam quamvis in vario genere plurimum ipse possit, superari tamen ab inferioribus et una tantum in re adeo durum, ut hanc de se victoriam [quae ad minuendam venerationem nata est], fugiet quisquis sapit. Sive igitur de studiis, sive de alia re disputatio inibi habeatur, ne huic se luctae committat [e qua non magnam laudem, sed damna referre potest magna] serio Rector cavebit; nam et vicisse inferiores non magnum, et superatum fuisse non leve est. — Patres insuper Superior prudentiores imitetur quos in filiorum conspectu, temperare sibi ab omni effusiori laetitia videmus, ne, profusione hac, patris exuisse personam, filiorumque ac parium induisse merito videri possint. Quae res cum in contemptum paulatim Parentum vertant, et idem Rectori contigit qui, sive auctoritatis tuendae caussa, sive subditos in officio ac veneratione continendi haec omnia cavebit.

b) At ut quae a Legislatore Magistris praestituuntur normae Rector prae oculos habeat [ac earum observantiam urgeat] omnino decet, quae his redeunt:

Art. 66. — *Cuiusvis professoris esto discipulos cum doctrina atque ex conscientiae officio dirigere ad rerum notitia quas quis docere tenetur, prae oculis habens quod dicitur: primus discendi ardor nobilitas est magistri.*

Art. 67. — *Professores, quoad munus sibi commissum, immediate studiorum Praefecto subiiciantur.*

Art. 68. — *Sedulo ac diligenter horis statutis in scholis intersint, ad lectiones explicandas sese parent, statutum programma absolvant, saepe alumnos interrogent eorumque pensa corrigant, eos in studium excitent adiuventque, disciplinam in scholis tueantur, quibus vero neglectis, frustra verus expectatur progressus. Exempla per se potissimum praebeant omnium vir-*

tutum, quod eis debitum afferet obsequium. Si vero interdum quis alumnorum huic defecerit, eum Professores ad Rectorem vel Vice-Rectorem deferant ut apte admoneatur.

Art. 69. — *Ne negligant Professores eos qui in scholis haud nimium ostendant ingenii, immo antequam ad novas explicandas lectiones procedant, certiores fiant omnes explicatam lectionem recte clareque intellexisse, quod quam maxime iuvabit ut aemulatio excitetur et omnes alumni optimum consequantur progressum.*

Art. 70. — *Quisque professor codicem habeat in quo adnotentur quotidie notulae quas alumni in scholasticis periclitationibus et in modestia ac diligentia consecuti sint. Singulis vero bimestribus ipsarum notularum mediam computet, quam studiorum Praefecto afferat*[1].

c) Magistrorum vero peculiares qualitates huc redeunt:

I) Peritia. — *Quod Magistri eam scientiam quam explicandi munus habent, apprime callere debeant, superfluum esset hic persequi*[2]; secus enim haud recte docere possunt quae nesciunt, suam apud alumnos auctoritatem amitterent, et Ecclesiae mentem minime assequerentur. — Haec vero peritia nonnisi assiduo studio et summa diligentia comparatur, quibus *nova et vetera* apte simul componendo, hodiernus scientiae status perbelle dignoscitur. Assiduo studio diximus, et recte sane, quum vera scientia hoc tantum medio comparetur. Idcirco ut Magistri de ingenti thesauro suo vinum scientiae salutaris alumnos potent, studeant ultroque studeant, quo tantum litterarum scientiarumque arduas semitas apte discipulis commonstrabunt. Ut enim in virtute, ita et in scientia non progredi regredi est, hodiernis praesertim temporibus in quibus scientiarum thesauri fere quotidie mirum in modum augescunt. Quo fit ut Magister qui ea ignoret, magisterio suo ineptus omnino evadat, bonam de Seminarii scientiae opinionem, clericorum emolumentum, et christianorum ipsorum populorum commodum disperdat. Quamvis Apostoli monitum sit: *Sapere oportet*

[1] Decret. Par. II, Cap. II, § 6. *min.*, vol. II, cap. 6.
[2] Lucidi, *De Visitat. Sacror. Li-*

sed sapere ad sobrietatem[1], tamen Magistrum suam disciplinam haud apte traditurum nisi eam penitus ipse discerit, certum est. Nam quo eruditior fuerit, eo faciliorem clarioremque doctrinam, quae clericorum maxime nutrit ingenia, ministrabit. Nihil enim tam clare perspicitur nisi quod fuse et undique investigatum atque perspectum fuerit, uti duci exercitus evenit qui, ex celso loco, bellatorum agmina et ordines prospicit. — Iaciet quoque Antecessor in alumnis certiora scientiarum ac rectiora fundamenta, quae non aliter ac jacta fuerint, perpetuo inserentur, atque infixa perdurabunt.

II) Orthodoxia nostris praesertim temporibus, in Magistris Seminarii quam maxime facienda est, quum saepe, tum biblica, tum theologica, tum canonica moralisque scientia ipercryticis modernistarum opinionibus, huc illucque, iquinatur. Ne quapiam igitur doctrina, contra Ecclesiae mentem, clericorum intelligentiae imbuantur, Rectores quam maxime satagant. Quapropter [ut Pius PP. X monet] *in Magistrorum Seminarii delectu eorum orthodoxiam perspectam habere oportet, et si proecessu temporis haec collapsa sit, a cathedra sedulo amoveantur.*[2] Enimvero absonum prorsus esset si clerici, Ecclesiae impensis, contra ipsius Ecclesiae mentem instituerentur. Idcirco, dum aequa in disputatis libertas Magistris iuste conceditur, circa ea vero quae ab Ecclesia damnata fuere, omnis licentia coerceatur. Quae omnia si posthabeantur, non Ecclesiae ministros, at haereseos sectatores, aut saltem novitatis fautores [quorum numerum haud augere opus est] haberentur.

III) Sedulitas. — Magistri officium [longo temporis usu] quum sacerdotalis ministerii curas praepediat, et alumnorum nugae fastidio sint, ingratum evadit. Interdum vero Magistri [scientia longo tempore comparata facundiaque confisi] praelectiones haud parant, alumnorum pensa domi haud corrigunt, et tempus scholae debitum, fabulis vel politicis nunciis terunt. Quod quantum magisterio officiat per se patet.

IV) Disciplinae custodia. — Summus quoque

[1] *Ad Roman*, XIII, 3. [2] Encycl. *Pascendi* n. II.

omnique scientia exornatus Magister si scholae ordinem haud tueatur, incassum magisterium exercet [1]. Alumnorum enim mentes [nugis ineptisque intentae] si procul peregrinantur, iis quae docentur minime incumbunt, atque ita Praeceptoris vox per desertum dissipatur. Docto igitur Magistro qui disciplinae ineptus custos habetur, minus doctus at ordinis curator eximius anteferatur.

CCLVIII. — De Rectoris relatione cum Contuberniorum Praefectis dicentes [quum hoc munus in Seminarii ordine quam maxime influat] plura recolenda sunt quae brevi perstringimus sermone:

a) Horum electio a Rectore caute facienda, ut tum D. Carolus, tum Legislator suadent. Primus ad rem monet: *In singulis contuberniis bini Prefecti ex clericis ipsis a Rectore constituantur, qui eos potissimum seliget quos, longo usu, pietate ac prudentia praestare coeteris cognoverit, disciplinaeque progressionis amantes* [2]. Legislator vero iubet: *Praefecti a Rectore eligantur ecclesiasticos inter qui pietate, studiis, iudicio ac prudentia coeteris antecellant* [3]. Quibus ex verbis, dum S. Carolus Praefectos *ex clericis* eligere iubet, S. C. *ex ecclesiasticis* seligere suadet, quod sane ac alumnos iam sacerdotio auctos ad hoc assumere Rector posse idem est; quod ex adiunctis multum dependet, de quibus Rectoris iudicare est, qui ut hoc in negocio cautissime se gerat quam maxime consulimus.

b) Contuberniorum Praefectorum officia a Legislatore aperte indigitantur, nimirum:

Artic. 41. — *Praefecti studeant ut omnibus exemplo sint, aetatem cum prudentia compensando.*

Art. 42. — *Eorum esto praecipue, tempore lectionum excepto, continuo alumnis interesse, eosque vigilantia prudenti modestaque prosequi, absque tamen vana jactantia, ut quibuslibet incommodis via praecludatur, ac indolem qualitatesque cuiusque intime cognoscantur.*

Art. 43. — *Omnino curent ut ab alumnis mussitatio censuraque amoveantur, praesertim cum auctoritatem respiciant,*

[1] Cfr. Artic. 68.
[2] *Institut.*, Par. II., Cap. 1.
[3] Artic. 40.

nitentes ut ab ortu funesta deleantur initia cuiusvis haud rectae propensionis.

Art. 44. — *Impediant pariter manuum lusus, lites, pungentes facetias, quemlibet actum, quaecumque verba ecclesiasticae gravitate non congruentia; delinquentes cum caritate admonendo ut ad meliorem frugem se recipiant. Generatim semper invigilent ne unquam alumni variis in rerum adiunctis praeceptis deficiant perfectioris urbanitatis.*

Art. 45. — *Omnem diligentiam adhibeant ut adamussim serventur praecepta Seminarii, atque dispositiones peculiares Moderatorum.*

Art. 46. — *Cum prudentia ac sinceritate Rectorem et Vice-rectorem doceant alumnorum agendi rationem, in quos nec praeventionem, nec peculiarem dilectionem exhibeant.*

Art. 47. — *Invigilent ut alumni domi forisque semper nitida munditie excellant.*

Art. 48. — *Si contigerit aliquem admonere, id agant fraterna cum caritate, cum observantia et moderatione, ratione habita dibersae indolis iuvenum ut eos meliores reddant* [1].

c) Media vero ad rem in qualitatibus in Praefectis requirendis continentur quas indigitamus paucis, nimirum:

I) Obedientia. — Quamvis contubernii Praefectus ex clericis virtutum omnium praestantissimis eligendus sit, alumnus tamen, aequalibus praepositus, Rectori ac eius qui vices fungit subiectus semper manet. Idcirco, ut iuvenili imperitiae medela afferatur, ut condiscipulos apte regere valeat, utriusque, promptam, non tantum operis, sed mentis quoque, obedientiam praestare debet. Secus ipsi alumnisque infestissima obvenirent mala, quibus ordinis unitas labefactatur, et tot Seminaria in Seminario erunt, quot contubernia in ipso sunt. Quem inobedientiae defectum facillime nuper electi praefecti admittunt, qui, superbia tumentes, regiminis onera [ut honoribus tantum delectentur] haud norunt, vel spernunt.

II) Observantiae cura, quae Praefectis primum, directo modo, commissa est, quam si negligant, Moderatorum

[1] Decret. Par. II, Cap. II, § 6.

iussa nulla forent, qui, quos observantiae adiutores elegerunt, inobservantiae fautores habebunt. Praefectorum enim munus [quidquid coeteri autument] tanti momenti est, ut eorum ex diligentia totum fere Seminarii bonum pendet: nam ut plurimum, tales habentur clerici, quales eis praefecti praeponuntur. Quam observantiae curam, ut apud alumnos custodiant, et ipsi praefecti primum eam sedulo in se ipsis colant, omnino necesse est: sicque exemplo potius quam verbis, ordinis semitam clericis demonstrent.

III) Privatae benevolentiae fuga. — Quum vero hanc observantiam magis in charitate fundamentum habere oporteat, ut Praefecti omnes clericos pari prosequantur amore, necesse est. Secus privatis studiis quae praefecti in aliquem admittunt, haud in clericis redarguere valebunt, et iustitiam erga subditos [quibus scandalo quoque sunt] violabunt. Quapropter omnes occasiones quibus haec humani cordis infirmitas oritur augeturque, sedulo ipsi caveant; haud nimiam cum uno prae altero familiaritatem ineant, nec munuscula profundant. Omnia enim haec puerilis praedilectionis indicia, a ceteris alumnis sedulo mordaciterque observantur, et quidquid praedilecto tribuitur, haud meritis, sed affectioni adscribunt.

IV) Urbanitas. — Recte sane charitatis praesidium urbanitas renuntiatur; nam istius negligentia, illam plerumque, etiam laedit. At saepe contuberniorum praefecti tam incultis moribus, manu quoque prompti et maledici sunt, ut potiusquam clericorum moderatores, ovium boumque ductores videantur. Ex quo alumnorum obtrectationes seditionesque ipsi excitant, cultum urbanitatis [in Seminario quoque praestandum] labefactant, simultatesque obscurae non erga praefectos tantum, sed omnes quoque Seminarii Moderatores in alumnorum cordibus tam funditus insident, ut per longum temporis spatium, eos iactent.

d) Ex his omnibus quomodo Praefectos erga se habere Rector debeat clare patet. Quamvis enim eorum directa rectio ac immediata vigilantia praesertim Vicerectori a Legislatore commissa sit, attamen indirecta seu suprema Rectori quoque est, qui si huius muneris momentum agnoverit, nullas omittet industrias ut qui illud fun-

guntur recte se habeant. Paterne igitur eos habeat Rector, sed non nimis; de contuberniis interdum rationem ab ipsis generali modo sciscitetur; quae inibi eorum agendi ratio sit sedulo attendat, ac ut Vice-Rector in ipsis advigilet satagat. Potiusquam vero uti delatoris, vigilantis ad instar eos habeat, et si quem delationibus delectari conspiciat, ne dira hac peste caritas confodiatur, ac coeteris omnibus malae versutiae exemplum praebeatur, severe admoneat, redarguat, ac [si res postulat] a munere ipso quoque dimoveat. Ad omnem enim funditus convellendam disciplinam, nil aptius delatione haberi potest.

CCLIX. — De alumnorum confessariis dicentibus plura sunt recolenda, nimirum:

a) Eorum in Seminario munus aperte omnino a Legislatore praefinitur, edicendo: *Ad alumnorum confessiones recipiendas praeter pietatis Magistrum alii quidem deputabuntur docti piique sacerdotes qui, ratione habita gravissimi muneris, atque ducibus probatis auctoribus, poenitentibus adsint consiliaque praebeant in eorum dubiis, obligationem imponentes statum ecclesiasticum relinquendi iis qui ostendant ad eum non vocatos esse* [1]. Iamvero si et post recentissimas quasque S. Sedis de re decisiones [quae tamen aperto mentem Ecclesiae prodibant ut cuiusvis conscientiae iura sancta forent] inter theologos dissentio et contentio exagitari potuit, iam nonnisi prompto obsequio et saluberrimae legis exequutioni locus superest. — Horum vero confessariorum electio [ut per se patet] Episcopi res est, qui [Deputatis auditis Tridentinis] in clero saeculari aut regulari tales deligat qui scientia ac pietate revera sint perspicui, ac huiusmodi officio gerendo idonei, quod, absque peculiari prorsus peritia adolescentum ac clericorum praesertim morum vix obtineri poterit. Numquam tamen ex Seminarii Moderatoribus eos eliget, quum S. Congregatio praecipiat: *Moderatores ac Professores Instituti prohibentur a munere Magistri pietatis, vel confessarii ordinarii simul gerendo* [2]. Quod quantum sa-

[1] Artic. 56. [2] Artic. 57.

pienter provisum sit, omnes qui de animorum regimine aliqua experientia pollent, facile concedent.

b) Horum confessariorum numerum autem tantum rerum adiuncta docere possunt, praesertim alumnorum numerositas, tempus confessionibus praefinitum, fiducia ipsa quam in Spiritus Moderatorem referant clerici, qui, profecto, summa libertate in ea decernenda frui debent. Ut plurimum tamen si v. g. Seminarium centum constet alumnis, bini confessarii, praeter Spiritus Moderatorem, sufficiunt; immo nec plures advocandi sunt, ne alumni immoderate ex uno ad alterum divagentur, atque exinde nullum profectum ferant. Sedulo quidem cavendum est ne alumnorum libertas umquam praepediatur, quum hi fortasse ex optimis rationibus ut confessarium innovent suaderi possint, quas quidem disciplina curiosius inquirere non debet.

c) Ad ea tamen incommoda praecavenda quae ex plurium de una re, ac maxime si spiritualis illa, sollertia ac cura afferri consuevit, necessarium est omnino ut confessarii auxiliares consilia cum Moderatore Spiritus ineant ad statuendam unam et communem regiminis rationem, praesertim quod iudicium vocationis spectat, ne quod ab uno statuitur ab altero irritum fiat, neve in eadem plures de una eademque re opposita omnino invicem iudicia proferant. Quaevis autem sint demum rerum adiuncta, illud tamen dubium nemini esse nequit quod si quidam clericus confessarii sui moderationem deserat qui illum ad tempus probandum esse duxerit, antequam ad s. Ordines suscipiendos dimitteret, vel etiam illum ab ecclesiastica vita omnino prohibuerit, ac deinde post menses vel annos ad primum redeat moderatorem, huic postremo non tantum ius, sed et officium esse de iisdem experimentis aut monitis a clerico huiusmodi sciscitari, etiamsi nullum hisce de rebus ab alumno verbum fiat, aut nulla culpa abluenda afferatur quae de vocationis defectu dubium inducat. Nam pristinam quamlibet suspicionem dissolutam iri omnino postulat ius tertii, ius videlicet Ecclesiae.

d) Nos autem a pluribus recensendis confessariorum dotibus abstinemus, ne ea quae de Spiritus

Moderatore tradidimus,[1] [cuius operae et officii *in foro conscientiae* hi plane participant] ingeminemus. Ceterum huiusmodi res opportune in S. Congregationis decreto comprehenditur ubi confessarii docti ac pii esse iubentur[2]. — Item quibus principiis uti debeant in conscientiae negotiis moderandis ac praesertim in vocatione dignoscenda, nulla differentia esse potest atque in omnibus Spiritus Moderatori consentire confessarium oportet.

e) Extraordinarii Seminarii confessarii quamvis in decreto de quo agimus numquam aperto commemorentur, attamen quum illud prohibet ne Moderatores aut Magistri a confessionibus ordinario more sint, iam satis eos innuere videtur qui extra ordinem hoc munus exerceant; eo vel magis quod alia nuperrime edita S. Sedis decreta id officio referant. — Hanc vero extraordinariorum confessariorum opportunitatem maxime Exercitiorum tempore alumnis exhibere iuverit, aut etiam quum praecipuae festorum solemnitates occurrerint celebrandae; quare nec illa posthabeatur prudens norma qua religiosae foeminae ut ad confessarium extraordinarium omnibus quatuor anni temporibus accedant ex SS. Canonum auctoritate obligantur; id enim et in Seminariis optimos fructus parere solet. In his vero omnibus rerum adiunctis confessarii ordinarii liberrimam omnino alumnis optionem accedendi dimittant oportet, ac etiam [opportuniore qua fieri poterit ratione] extraordinariorum confessariorum operam iuvent.

d) Cum utriusque ordinis Confessariis adeo Rector se gerat ut pro Moderatore Spiritus illi suasimus. In eorum igitur provinciam nullo modo nullaque ratione se immisceat, ac tam prudenter cauteque ipse agat ut nec coram Deo, nec coram hominibus ulla indebitae ingerentiae nota incusetur. Tanti enim momenti res est ut abundantius ad hoc servandum quemquam adlaborasse dici non possit.

CCLX. — Sanitatis Officiales erga, quae de

[1] Cfr. *De Moderatore Spiritus in Sacris Seminariis.*

[2] Cfr. Artic. 56.

externis omnibus Officialibus in re dici possunt prae oculis Rector habeat. Igitur:

a) Quae a Seminarii medico praestanda sunt [et, ut reapse praestet, tum per se, tum per alios Rectori invigilandum est] ex Legislatoris verbis huc redeunt:

Art. 15. — *Medicus Seminario adscriptus quemque iuvenem visitare severe tenetur, qui admittendus sit, et inspicere an vaccinum virus ei insitum fuerit. Ab illius prudenti arbitrio pendet acceptatio vel reiectio eorum qui haud optima sanitate gaudeant; vel infirmitatibus faciles se praebeant nec non eorum qui morbos contagiosos praeseferant*[1]. Quod vero ad scriptam fidem, non oportet illi plus aequo fidere si ab alio Medico quam qui curam gerit, transmissa fuerit; quum constet in hac re faciles nimis et benevolos esse Medicos. Ceterum quum persaepe peculiaria officia et mores isti ignorent, vix sufficienter de physica candidatorum idoneitate testari poterunt.

Art. 16. — *Rotatim ipse ad Seminarium accedat diebus horisque determinatis, ita ut omnes alumni facile eum petere possint ad hygienica consilia exquirenda*[1]. Medicus igitur certis ex temporis intervallis ad Seminarium accedat, v. g., ut plurimum, bis in hebdomada, statisque diebus et horis alumnis bene notis. Quum accesserit signum commune de re detur, ita ut omnes qui voluerint eum in valetudinario adire possint, ibique [adstante, ut saepius, Vice-Rectore et semper Infirmario] suas necessitates aperiant, subsidium artis accepturi.

Art. 17. — *Rectorem doceat quodcumque hygienicum incommodum in Seminario detegat, mediaque proponat apta ad ea reparanda*[1].

Art. 18. — *Declaret an quis a ieiunii lege dispensandus sit*[1]. Appetentibus quatuor omni temporibus, ac potissimum quadragesimariis, alumni omnes publice moneantur de abstinentiae lege, ita ut si quis huic ferendae par non fuerit, ad Medicum accedat et ab illo opportunam pro dispensatione fidem postulet. Haec enim tum Clerici, tum Rectoris, tum Spiritus Moderatoris conscientiae satisfacit.

[1] *In appendic. decret.*

Art. 19. — *Summatim omnes visitet alumnos ante et post rusticationem, ac adnotet in peculiari codice valetudinis conditiones cuiusque.* [1]

Art. 20. — *Alumnis, omnibusque Seminario adscriptis medeatur in brevibus levibusque infirmitatibus in eodem Seminario; sed si existimet aliquem morbum diu perdurare vel aliis transmitti posse, Rectori proponat immediatam translationem infirmi in familiam, vel in aliquam valetudinariam domum.* [1]

Art. 21. — *Necessarias iubeat purificationes, et ne in valetudinario serventur venena aliaque sanitati infesta curet.*

Art. 22. — *Medicus, de Oeconomi intelligentia, in coctilibus, lacti fervefacto et ut culina promptuariaque cella purgata serventur invigilet. Cibum potumque quo ad eorum quantitatem et incorruptionem examinet* [1].

b) Medici munus in Seminario gravissimum haberi debet nec ulli committendum qui non modo maxima fiducia dignus non sit, vel principiis rectis non utatur, sed qui doctrina et praxi non sit omnino idoneus et peritus, in quo pariter requiritur intima necessitatum cognitio et usus, ac praesertim earum quibus adolescentes obnoxii sint. Ubi inter doctrinam et praxim optio detur, haec prae illa maior haberi debet, maxime si cum non communi patientiae vi, qua multa opus est in hoc munere obeundo, coniungatur. — De coetero quis et qualis medicus, chirurgus, dentium curator, ratiocinator, negotiator, etc., in Seminariorum admittantur Rector sedulo attendat. Passim enim quos peritia pervulgataque fama pergratos utilesque reddunt, haud semper bonis commendantur moribus. Insuper meminerint Rectores, Divinae Sapientiae monitum: *Non omnem hominem inducas in domum tuam: multae enim sunt insidiae dolosi* [2]. Et recte sane, cum persaepe profani homines *bona in mala convertentes insidiantur, et in electis imponunt maculas* [3], interioris regiminis invasores, facultatum expilatores, tricarumque consultores fiunt. Quos si Rector temere Seminario

[1] *In appendic.* decret.
[2] *Eccles.*, XI, 31.
[3] *Id. ibid.* 33.

excipiat, tum intestina, tum externa gravissimas noxas sibi, alumnis, ac Sacro Instituto imprudenter comparabit. Attamen Rectores medicum non ut mercenarium, sed ut domi amicum habeant, cuius consilium non tantum quoad hygienem, sed etiam in rebus disciplinaribus non sine multa utilitate aditur. At non oportet ut in regiminis partem directe, multoque etiam minus in rei familiaris gestionem advocetur, quod ipsa quotidiana experientia tamquam maxime perniciosum damnat. Quod, ne propriae imprudentiae poenam lacrymis luat, Rector meminerit.

CCLXI. — Tandem de Rectoris cum familia inferiori, seu cum Seminarii famulis relatione dicendum, in quo Legislator nil fere Praeposito directe committit, qui, e contra, fere omnia quae in re praestanda sunt suas cui vices fungit amandat. Attamen [ex decreti verbis] eligere famulos ac normas ipsis praestituere Rectoris est, qui in re omnia una cum Vicerectore statuere debet. Dum vero, D. Carolus prolixo modo de officiis famulorum agit, Legislator noster, e contrario in re fere cuncta subaudit, et ut illi ab Oeconomo in omnibus invigilentur tantum iubet [1]. Attamen:

a) Ad aliquam Praeposito afferendam utilitatem S. Caroli verba quibus praecipue famulorum officia indigitantur, afferimus. *Decoro ac modesto vestitu semper utantur et nigri aut suboscuri coloris; neque in Seminarium recipiantur priusquam ad praescriptam normam induti sint, deque habitu, moribus et aetate a Rectore probationem obtinuerint* [2]. *Eorundem famulorum paternam curam* [Minister, idest Vice-Rector] *gerat: alioquin illi male habebuntur, unde querelae existent quotidianae, et famulorum mutationes, qua re* [meminerint omnes] *nihil est peius* [3]. *Ne cum clericis familiaritatem ineant..., nihil illis sub quovis praetextu dent vel ab eis accipiant.... Vitent.... sermones dissolutos, libros scurriles et impuros, profanas cantiones et alia id genus... Caveant ne tempus inutiliter consumant...; domo exeuntes nihil secum asportent, neque item in Seminarium*

[1] Cfr. Artic. 79.
[2] *Institut.* Par. III, Cap. 5.
[3] *Ibid.*

importent. Quotidie quum inferior familia statim ac surrexerit, in templum ad missam conveniat...; diebus festis post prandium praesto erunt omnes ad doctrinae christianae expositionem [1]...

b) Famulorum Seminarii dotes in morum honestate, fidelitate, navitate et discretione continentur.

I) Morum honestas nam, ut, quotidiana experientia teste, in servis haud coniugiis ligatis, morum integritas frequenter desideratur. Quapropter sedulo cavendum est ne, qui nomine coelibes sunt, de facto concubinarii habeantur, ideo potiusquam peccati labe corrosi, matrimonio coniuncti sint. Si haec enim morum honestas desit, eorum animae bonum pessumdatur, et Seminarii existimatio labefactatur.

II) Fidelitas. — Haec famulorum princeps qualitas iure meritoque habetur, ut Sapientia quoque monet scribens: *Est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua* [2]. Quapropter quando haec habetur, plura cum habeantur, ne in Scyllam incidat cupiens vitare Charybdin, hac Rector [ut plurimum] contentus sit.

III) Navitas. — Divina Sapientia admonet: *Panis et disciplina et opus servo...* [3]; *servum inclinant operationes assiduae...* [4]; *mitte illum in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas. In opere constitue eum: sic enim condecet illum* [5]. Recte sane: nam si famulus otio indulserit, tum quae officii sui munera sunt haud persolvet, tum quae otiositatis sunt damna sibi Dominis aequalibusque comparabit. Quod perquam frequenter habetur, cum persaepe famuli *quaerunt requiescere,* et plus lingua, quam manu ipsi defatigant.

IV) Discretio. — Cum discretio Sapientium tantum qualitas sit, haec perraro in famulis habetur qui, ut plurimum [loquacitati inserviendo], quem otio surripiunt panem, obtrectationibus condiunt; domum quam operibus

[1] *Ibid.*
[2] *Eccles.* XXXIII, 23.
[3] *Ibid.* 25.
[4] *Ibid.* 27.
[5] *Ibid* 28.

haud decorant, verbis diffamant; Superioresque, quos hypocrisi adulantur, fabulis calumniisque devexant. Quae omnia perquam lacrymabilia [quotidiana experientia comprobata] ut vitentur, Rectores omnes sedulo satagant. Quem igitur discretione praeditum habent servum, *quasi fratrem eum tractent* [1], et *non laedant servum in veritate operantem* [2]; nam *si laeserint eum iniuste in fugam convertetur, et si extollens discesserit, quem quaeras et in qua via quaeras illum, nescis* [3]. Quos vero, e contra, discretione carent, nullo modo admittant, et si receperint, sedulo dimittendi sunt. Insuper [meminerit Rector] *qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem* [4]; *et laxa manus illi et quaerit libertatem* [5]; saepe quas domini hodie serunt urticis, cras compungentur.

CCLXII. — Inter Seminarii famulos, in janitorem in primis et maxime advigilandum, quum ex eo Sacri Instituti ordo plurimum dependeat. Ad hoc igitur exercendum munus fidelissimus inter fideles, qui Superiorum jussa [quae facile subaudiuntur et alibi inlustrabimus] omnino adimpleat, eligatur, qui numquam januam derelictam relinquat, nec in ea otiosorum conventus haberi, neque in malarum nugarum officinam commutari, sinat.

CCLXIII. — Hucusque [ex proposito] de famulis tantummodo egimus, nihil de religiosarum quarumcumque Sororum servitio tradentes. Siquidem quamcumque utilitatem [vix in famulorum servitio expectandam] oeconomiam, munditiem sedulitatem quod attinet, ancillarum opera conferat, in comperto omnino est, et absque alia declaratione intelligitur, longe plura ac graviora esse incommoda ex ea pertimescenda. Quare:

I) Nonnisi ubi extrema constiterit necessitatis ratio haec Sororum opera admitti licite poterit, et quidem cum maximis cautelis; nec [ut arbitramur] Episcopis integrum est illam permittere absque peculiari S. Sedisconcessione. Haec autem [ut nobis

[1] *Ecclis.* XXXIII, 31.
[2] *Ibid.* VII, 22.
[3] *Ibid.* XXXIII, 32.
[4] *Prov.* XXIX, 21.
[5] *Ecclis.* XXXIII, 26.

constat] adnuere non solet nisi ubi circumspectissimae cautelae praestari possint, ad quas vero statuendas duo prae oculis habenda videntur, nempe:

1) Ut omnis et quaecumque cum ceteris, qui in Seminario degant, religiosarum Sororum relatio devitetur, ac etiam impossibilis reddatur.

2) Ut Sorores [de ancillis enim laicis nec verbum esse volumus] possint ac valeant. etiam Seminarii negotiis operam dantes, suae religionis exercitia sedulo et diligenter peragere.

II) Porro ad utrumque punctum ferendum necesse est:

1) Ut Sororum opera ea tantum spectet quae nullam cum ceteris viris aut alumnis consuetudinem postulent. Ita v. g. permittitur ut rem culinariam curent, quin tamen liceat illas mensis ministrare; ut rem lintearium mundent, non tamen ut lectulos sternant etc.; quia haec absque ingressu in Moderatorum alumnorumque cubicula, aut in refectorii aulam praestari non possunt. Id autem omnino devitandum est; nam nullus omnino debet patere aditus Sororum ad viros aut vicissim; adeo ut Sorores separatam omnino habitationem, mensam, sacellum, ecc. habere debeant.

2) Curandum est ut Sorores ex tali Instituto deligantur quod actuosam maxime vitam spectet, ac mitem, non rigidam, regulam sequatur.

Caeteras omnes cautelas, si haec religiose serventur, facilis prudentia aperiet.

Cap. III.

DE RECTORE ERGA ALUMNOS

De Rectoris clericos erga relationibus agentes, ut de eorum susceptione, agnitione, regimine ac dimissione dicamus tractationis ordo requirit, quo fere cuncta quae propositum nostrum attinent, ordinato modo, recolere licebit.

Articulus I.

De clericorum susceptione.

§ I. — Clericalis institutionis proprius locus Seminarium est.

Summae rerum. — CCLXIV. Alibi quam in Sacris Institutis recta ecclesiastica institutio haud haberi potest. — CCLXV. Rationis argumenta. — CCLXVI. Auctoritatis testimonia. — CCLXVII. Quae ad rem in S. C. decreto praecipiantur. — CCLXVIII. Quanta ante ordines suscipiendos clerici in Seminario mora erit. — CCLXIX. Exceptiones ad rem quo consilio decernendae. — CCLXX. De tironum numero excipiendo. — CCLXXI. Quot alumni quotannis Seminario cooptandi. — CCLXXII. De sacerdotalibus vocationibus fovendis.

CCLXIV. — Antequam tractationis nostrae fundamentale argumentum aggrediamur eorum rationes qui ecclesiasticam institutionem et alibi quam in Seminario haberi posse autumant repellere nostrum est. Quibus, e contrario, adversam thesim opponimus qua Sacris tantum in Seminariis ecclesiasticam institutionem rite perfici posse contendimus. Argumenta vero ad rem tum ex ratione, tum ex auctoritate et praxi abunde suppeditantur.

CCLXV. — Rationis argumenta sacrorum alumnus apud familiares ac domesticos suos ad ecclesiastica munia et officia numquam rite institui posse aperte confirmant. Ad hoc nil aptius quam Cl.mi Audisio verba audire: « Clericum domi relinque; si nobilis est somnus, otium, vana conversatio, vitae genus molle et exquisitum et apostolo plane indignum, omnem eius animi vim restinguent. Qui cum ad honores Ecclesiae ascenderit saeculi lusum, sumptus, exquisitos mores in cathedram afferet, nullumque laboris studium nullam diligentiam exercebit aut vigilantiam, pauperum bona dissipabit, nullum summi sacerdotii fructum colliget. *O pastor et idolum!* [1] cuius plane misereamur oportet. Puer enim cui episcopatum augurabantur famuli, parentes, amici, altissima spe enutritus miser adolevit. Coenaculum aut apostolos numquam ille vidit iamque in Ecclesia cathedra, uti in paterna domo, honoribus vanis praecinctus, vivit neque aliud videt aut sentit. Conversatio eius cum optimatibus semper, cum sacerdotibus autem numquam quos inter numquam vixit. Pios Ecclesiae ritus, nisi sint ad pompam aut vanitatem, spernit, at nihilominus, et gravissimum pondus et iram saepe divinam laeto ore ac sereno sustinet. Numquam enim clericus tabernaculi lucem vidit aut prophetarum voces audivit cum in saeculi tenebris commode atque stulte adolesceret. Miseremini eius: saeculi filius Dei filios regere venit qui et praelia et arma, et vires, et milites nescit. Consilia tamen, superbia inflatus, non quaerit neque audit; ab ipso enim optimatum genere virtutes sanamque mentem habere se putat; sed iam serendi tempus transiit, matura vero nunc aetas fructus adolescentiae colligit. Haec a nobis exsulant qui in Seminariis erudimur ubi, civili omni patrocinio et ambitu et usurpatione remota, ad Concilii Tridentini mentem, futuri sacerdotes instituuntur. Sed, si Seminaria abstuleris, narrata statim detrimenta videbis. Habet vias suas Deus qui potest quoque ex petra filios Abraham suscitare; sed, ut vino nuptias Canae Deus laetificavit, ita sapiens vitem excolere cogitur. *Natura enim tenacissimi sumus eorum quae rudibus annis percepimus...;*

[1] Zach, XI. 17.

et haec ipsa magis pertinaciter haerent quae deteriora sunt [1]. Vetuit Divus Hieronymus quominus *ineptis blanditiis foeminarum* cresceret atque *in auro et purpura luderet puella* quae ad virtutum exercitium vocabatur, ac exemplum memorabat Corneliae Gracchorum matris quae, non mollitie et blanditie, sed Romanae eloquentiae venustate ac magnitudine, materno lacte, filium suum imbuit. Quid tunc Sanctus Doctor si clericos ut ineptas foeminas institui vidisset? Optime quidem memorabat: *Difficulter eruditur quod rudes animi perhibuerunt. Lanarum conchylia quis in pristinum candorem revocet? Recens testa diu et saporem retinet et odorem quo primum imbuta est* [2]. Sed si clericus genus humile fuerit, tum familiaris angustia, tum parentum duri labores omnem ei quietem auferent studiis literarum necessariam. Iamque nec satis temporis ad ea persequenda habebit, neque corporis munditiem, neque humanum satis habitum excolet, cuius defectus civili in societate culpae tribuuntur. Neque populus suos inter aequales adolescentem digno honore unquam prosequetur, quem contra iuvenis obtinebit cum tirocinio ecclesiastico expleto, humanus, doctus, domum redierit. Haec quasi personam in ore popularium mutant, qui igitur haud iam amplius quaerunt: *Nonne hic est filius fabri?* Filius enim templi rediit et Ecclesiae ministerio quae eum adoptavit, apostolis suis addidit, suo lacte aluit, sua caritate vivificavit. Nobilissimam sileo aemulationem, stimulumque praevalidum quem simul viventes tirones atque eumdem curriculum dimetientes coram Superioribus et Episcopo experiuntur. Lucem et flammam sileo quae ex conversatione iuvenum diuturna atque viva in mentibus excitantur et multiplicantur, et invicem augentur. Exemplorum utilitatem sileo atque pietatis ecclesiasticae quae in Ecclesiae domibus tantum florescit. At ingenium flectere, quod natura corruptum omnibus contingit, suavem reddere per obedientiae exercitium indolem, socio rum caritatem exercere, perraro domi assequimur, ubi vix parentes aliquid animadvertunt. Quamobrem clericus domi enutritus, tumet spiritu, contumax et superbus crescit: facile

[1] Quintil., *Instit.*, lib. III. [2] Epistol., *ad Lactant.*

contra in Seminariis ubi disciplina et communis conversatio impetum atque superbiam indolis temperant et flectunt. Nihil igitur quod apostoli est, verba, habitum, mentem domi suae tiro inveniet, sed omnia in comuni clericorum tirocinio facile addiscet »[1]. — Monita quinquaginta abhinc annis proposita, maiorem vim hodie obtinent, dum omnis civilis atque domestica societas ita in dies a Christi semita aberrant, ut, ecclesiasticae virtutis documenta domi addiscere fere nemo amplius possit.

CCLXVI — Auctoritatis ac praxis testimonia thesim obfirmant, et ex multis quae ad rem habentur praecipua selegimus, ac hisce proponimus:

a) Tridentium Concilium, quamvis nil de re expresse decernat, attamen si decreti ordinationes sedulo perpendantur vitam communem in Seminariis clericis constituere clare patet. Ad quid enim tot in constituenda alendaque domo et in illa regenda ordinationes curasque valerent si vitam communem haud clericis praescriberet? De caetero Concilii Tridentini Patres in decreto exarando ecclesiasticis traditionibus omnino sequutos fuisse ecclesiastica ex historia in comperto est. Ab his vero vitam communem clericis impositam fuisse clare patet; etenim:

1) D. Augustinus [Seminariorum clericalium parens] habet: *Certe ego sum qui statueram, sicut nostis, nullum ordinare clericum nisi qui mecum vellet manere; ut si vellet discedere a proposito, recte illi tollerem clericatum, priusquam desereret sanctae societatis promissum, coeptumque propositum*[2]. Qui immo futuras in rigidum hoc consilium difficultates optime noverat. *Novi enim,* ita S. Doctor, *quod si aliquem hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt patroni, non ei deerunt suffragatores, et hic et apud Episcopos, qui dicant: Quid mali fecit? Non potest tecum tolerare istam vitam: extra episcopatum vult manere et de proprio vivere; ideo non debet perdere clericatum. Ego scio quantum mali sit profiteri sanctum aliquid, nec implere: Vovete in-*

[1] *Della Educaz. del Clero*, Cap. 12. [2] Serm., 49, *De diversis.*

quit et reddite Domino Deo vestro. Et melius est non vovere, quam vovere et non reddere [1].

2) Concilium Toletanum II decrevit: *De his quos voluntas Parentum a primis infantiae annis clericatus officio mancipavit statuimus observandum ut, mox cum detonsi vel ministerio electorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiae, sub episcopali presentia, a Praeposito debeant erudiri* [2].

3) Concilium Toletanum IV statuit: *Si quis in Clero puberes aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricae aetatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem et magistrum disciplinae et testem vitae habeant* [3].

4) In Concilio Toletano VI quasi duplex aperitur Seminarium: alterum in ipso episcopali palatio, in aedibus Ecclesiae proximis alterum ubi clerici iuniores omnes sub disciplina degunt sanctissimi senis cuius oculos nec ad momentum effiugiunt [4].

5) Concilium Romanum edicit pariter: *Omnes ad Sacros Ordines promovendos per sex saltem menses continuos ante ordinationem, in Seminariis respective, vel Episcopii apud omnino, sacro hoc etiam approbante Concilio, convocari debere decernimus; alias nunc pro tunc ab ordinibus suscipiendis reiecti esse sciant, nec cum eis, nisi prudenti Episcoporum arbitrio, dispensandum* [5].

6) Concilium Turonense III vero iussit: *Presbyterum ordinari non debere ante legitimum tempus, hoc est trigesimum aetatis annum; at priusquam ad consacrationem presbyteratus accedat, maneat in episcopio, discendi gratia officium suum, tamdiu donec possint et mores et actus eius animadverti, et tunc, si dignus fueris, ad sacerdotium promoveatur* [6]. Has omnes vero ordinationes a Conciliis ac Synodis provincialibus ac nationalibus sequenti in aetate statutae omnino confirmata fuere, ut apud *Collect. Conciliorum* videre est.

[1] Serm. 49, *De diversis.*
[2] Can. I.
[3] Can. 23.
[4] Cfr. Tit. 30, cap. 2.
[5] Can. III.
[6] Cap. 12.

b) Sanctus Franciscus Salesius [quamvis ingenio suavissimus] numquam destitit ut clerici dioecesis suae in Seminario manerent: et hoc synodalibus Constitutionibus [ab eius cathedrae haerede vulgatis] scripto mandavit. *Disciplinae ecclesiasticae defectum,* ibi asseritur, *ex clericorum nulla vocatione pendet; iubetur igitur, ad Concilii Tridentini ac Francisci Salesii decessoris nostri mentem, candidatos ad Ordines Seminarium ingredi* etc... [1].

c) S. Vincentius a Paulo eadem cavebat semper, ut *tirones ecclesiastici in Seminario degentes, malos habitus, mundi in conversatione forte susceptos expoliarent, omnemque creaturarum dilectionem abiicerent, ut in Dei scientia et amore crescerent, cui servire cupiunt, ut Evangelii documenta penitus addiscerent* [2]. Quod [ut aperte constat] et S. Carolum Borromaeum aliique omnes clericalis institutionis cultores statuere ac sedulo firmavere.

d) Pii P. P. X litterae, ad Em. Urbis Vicarium datae, haec habent: *Patet ex dictis necesse esse ut qui in sortem Domini vocantur non solum a prima aetate pietatis et doctrinae documentis erudiantur, quae eos lucem mundi et sal terrae faciant, sed etiam sanctitatem vitae sub vigili custodia et firma seminariorum disciplina adipiscantur. Ibi enim arbusti aluntur qui, in arbores cum creverint, multum fructum afferent: ibi dominicae vineae operarii parantur, fortissimi athletae exercentur qui divinas pugnas decertabunt... Cum igitur satis superque suasum habeamus omnes sacerdotii tirones, tum ut vocationem servent et alant, tum ut a Superioribus, qui antequam eis manus imponantur bonum illis testimonium reddituri sunt, penitus cognoscantur, in Seminariis degere oportere; cum certum habeamus sacerdotium puro corde cupientibus nil esse antiquius quam haec coenacula ingredi ubi coelestibus Spiritus charismatibus ad missionem quam sibi auspicantur divinam instruantur* [*qui enim alias sentiunt de sua vocatione gravem dubitandi rationem praebent*] *ex animo desiderantes ut quotquot sacerdotium appetunt prima ab*

[1] Abelly, *In vita S. Francisci Salesii.* [2] Id., *In vita S. Vincent. a Paulo.*

aetate, si possibile sit, haec pietatis litterarumque asyla ingrediantur, quae Tu, Eminentissime Vir, iam circularibus epistolis ad Ordinarios Italiae missis, tertio abhinc anno iam iussisti confirmantes, haec in praesens decernimus: ut omnes clerici tum Romanae Dioecesis, tum aliarum Italiae Dioeceseon qui Romam a suis Ordinariis, studiorum causa, mittuntur in Seminario, aut in ecclesiastico Collegio vivant. Neque hac lege peregrini clerici excipiuntur; nam ibidem legitur: *Peregrini autem alumni, litteris Ordinarii sui muniti, locum in Collegio gentis suae quaerant; qui si defecerit, alium ecclesiasticum Collegium adeant* [1]. Ex his omnibus quantam decreti verba sapientiam redoleant clare patet. *Ne permittant Episcopi suarum dioeceseon alumnos privatim.... curriculum dimetiri* [2].

CCLXVII. – Nec satis: nam ex praecisa S. C. ordinatione clericis extra *sui* Seminarii septa studiis incumbere omnino vetitum est. Decreti verba sunt: *Ne permittant Episcopi suarum dioeceseon alumnos extra sui Seminarii septa curriculum dimetiri* [3]. Idcirco non tantum quocumque in Seminario, sed in dioecesano Sacro Instituto clerici studiis operam navare tenentur. Et recte sane, quum noscere quos in tempore ad sacerdotium evehere, et peculiaribus dioecesis necessitatibus prospicere ius ac officium Episcopi sit. Quod vero, ne peculiaribus in adjunctis et servatis servandis, aliter consulatur nullo modo impedit, ut mox, de candidatorum jure civitatis agentes, dicturi sumus.

CCLXVIII. Quanta vero ante ordines suscipiendos clerici mora in Seminario erit? — Ea erit quae sit satis ad eius legitimam vocationem dignoscendam, iuxta illud Benedicti XIV de vetere disciplina scribentis: *Qui hac ratione de illius indole, moribus, vocatione et processu optime certior fiebat* [4]. — Annum Augustinus ad rem et Franciscus Salesius volebant, S. Vincentius a Paulo vero biennium. In

[1] Die V, Mart., 1904.
[2] Artic. 8.
[3] Ibid.
[4] *De Synod. Dioeces.* lib. XI. cap. 2.

Concilio Meldense statutum est: *Qui ex nostris paroeciis, aut ad titulum, aut absolute ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, nisi aut in clero certo et religioso, vel etiam in civitate saltem uno anno immorentur; ut conversatione atque doctrina illorum certe possit agnosci* [1]. In Concilio Provinciali Tridentino I cautum est: *Nemo ad sacros Ordines ascendere praesumat quin prius per triennium saltem in Seminario episcopali, vel in aliqua domo ad id deputata, argumenta non dubia praebuerit se non solum scientiis ecclesiasticis excolendis, sed etiam virtutibus acquirendis serio operam dedisse* [2]. — Hodierna autem consuetudine, theologiae curriculum, nempe quadriennium saltem, in Seminario explere clerici solent; quam praxim laudatae Pii P. P. X litterae ad Eminentissimum Urbis Vicarium datae confirmare videntur in quibus legimus: *Nemo ad sacrum presbiteratum ordinem promoveatur qui quartum theologiae annum rite non expleverit..., aut integro saltem triennio in Sacro Seminario, vel in alio clericorum collegio haud sese exercuerit* [3]. Quapropter quadriennio saltem tempus de quo quaeritur produci oportere colligimus, quum tamdiu curriculi theologici studiis insistendum sit. Ceterum ad hoc ut clerici vocatio ad sacra munia et officia in comperto ponatur, ac idoneis auxiliis subsidiisque instituantur istud temporis intervallum necessarium erit. *Ut apostoli, quanvis sub sedula Magistri cura per triennium instituti, tamen priusquam Spiritum Sanctum acciperent, singulari prorsus modo animum praeparare ac sedere in civitate jussi sunt donec induerentur virtute ex alto, ita etiam sacerdotii alumni, licet eosdem a pueris ad munus tam altum praeparari cupiat Ecclesia, tamen sub ipsum ordinationis tempus a mundi contagione magis etiam separandi et variis virtutibus exercendi, altioribus meditationibus instituendi, ritibusque ecclesiasticis ac variis disciplinis ecclesiasticis accuratius initiandi...* [4]. Attamen ad hoc aptius assequendum sacrorum alumnos a tenera aetate a saeculo sejungere peropportunum erit. Qua-

[1] Decret. 8. die 5 Mai 1904, n. 8.
[2] Can. 8. [4] *Concilium Coloniens.* [a. 1860] tit. II. cap. 27.
[3] Pius PP. X ad Em. Card. Vic.,

propter in votis est ut statim ac ad sacra se vocatus alumnus persentiat, in Seminarium convolet, ibique scientiam ac sanctitatem sectando, plures per annos dexterae Excelsi immutationem expectet. Idonei enim *Ecclesiae ministri non aliter haberi possunt quam ex illis qui ab adolescentia et prima aetate ad sacra eadem officia rite informati fuerint* [1]. *Nullus fit idoneus Novi Testamenti minister nisi sub disciplina proborum Moderatorum in praeceptis fidei et in omni pietate sese usque ad ipsa Sanctuarii limina assidue exercuerit* [2]. Reliqua ad rem, de candidatorum aetate disserentes, mox recolemus.

CCLXIX. — Exceptiones vero quae hac in re haberi possunt, numquam paupertatis vel nobilitatis ratione sint, sed tantum quum spes erit clericum a saeculi contagio immunem evasurum fore. Multo prafecto magis quam quod opus est, Sacrorum Antistites ad huiusmodi indulgentiam concedendam sollicitantur: at saltem his petitionibus ea lege adnuant ut arctior omnino disciplina servetur. Quod attinet ad clericos qui in maioribus [uti aiunt] sacri ordinis gradibus sint constituti, his vero perraro permitti potest ut et in religiosorum quoque domibus [quin dicam de privatis] vivant: quum nimia libertas qua ibidem, interdum, fruuntur, in morum etiam licentiam atque, nonnumquam, in sacrae suae vocationis extremam perniciem [prout usus et experientia docuere] facile concedat. Quod si nuperrime [S. Sedis iussu [3]] Friburgensis Universitatis alumni theologicum curriculum frequentantes vitam agere communem iussi sunt, de clericis in Seminariis dioecesanis degentibus quid dicendum?

CCLXX. — De tironum numero Seminariis excipiendo quaestio esse potest, in qua solvenda ne aut nimis multi, aut pauci nimis Levitae habeantur Concilii Aquileiensis Patres suadent. *Praepositis solerter providendum est ut in hoc negotio modum discretionis teneant, scilicet ut nec plures quam oportet et possibilitas Ecclesiae suppetat in congregationem admittant, nec eos quos rationabiliter gubernare*

[1] Pius IX, Encicl. *Nostis*, die 8 dic. 1840. Cfr. Eius [1]. encycl. *Qui pluribus*, die 9 nov. 1849.

[2] *Concil. Prov. Colon.* t. IV, cap. 3.

[3] Kal. Maj. 1908.

possint causa avaritiae excludant [1]. Quaestio igitur est de opibus, et de diocesis operariorum necessitate.

a) Quoad opes Tridentini Patres explicitam satis ad rem normam tradunt, qui *pro modo facultatum et diocesis amplitudine* [2] alumnos excipiendos volunt. Nisi enim redditus satis fuerint, tunc veluti egestatis, ignorantiae ac contumaciae domus Seminarium fit; nam neque vitae ulla commoda, neque apti Magistri et Moderatores illuc haberentur. In tanta enim rerum egestate [ut S. Alphonsus suadet] claudere potius Seminarium praestat quam pessimum habere.

b) Quoad dioecesis operariorum necessitatem Tridentini Patres ad rem monuere: *Cum nullus debeat ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis, Sancta Synodus [vestigiis sexti canonis Concilii Chalcedonensis inhaerendo] statuit ut nullus in posterum ordinetur qui illi Ecclesiae, aut pio loco, pro cuius necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur ibi suis fungatur muneribus* [3]. — Insuper S. P. Pius VII haec addit: *Cumque ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini, pro cleri educatione ac institutione Seminarium puerorum ecclesiasticum ab Episcopo libere regendum et administrandum existere debeat, in singulis ex praedictis, tam archiepiscopalis quam episcopalibus ecclesiis, ibi is alumnorum alatur numerus quem respectiva dioecesis necessitas postulet...* [4]. — Novissime vero Pius PP. X, sacerdotum inungendorum nimiam facilitatem [quae a facilitate tirones in Seminaria acceptandi dimanat] dolet vehementer. Postquam enim quaestus est de veteribus malis quae nova iam detrimenta parant, haec monet: *Ne vero horum perduellium numerus augeatur, illius Apostoli meminisse iuvabit ad Timotheum « nemini cito manus ne imposueris ». Nimia enim facilitas in ordinandis levitis multiplicat in templo gentes, at non multiplicat laetitiam. Nec enim paucae dioeceses sunt ubi longe frequentior clerus quam*

[1] Decret. VIII.
[2] Sess. 23, *De Reformatione*, cap. 16.
[3] Ibid.
[4] In Bulla *pro Prov., Rhen.*, die 16 Augusti 1821.

necesse sit, vivit. Cum vero nec sacerdotum deficientia satis sit ad suadendam manuum impositionem imprudentem, ubi nimius ille est, nulla excusatio subvenit: quinimo rigidiori semper cautela utendum est in iis eligendis qui ad sacerdotale decus vocantur. Pergens vero S. Pontifex addit: *Quod si ad praecavenda mala abstinere manus oportet in ordinibus conferendis, nec aliquem iniungere nisi optime Deo probatum, iuvat tamen tirones in Seminarium non excipere nisi iuxta necessitatem, ne forte iuvenes ad finem sacri curriculi deducti, sine iusta causa cunctari, multo cum detrimento, cogantur*[1]. — Nam profecto secus si fiat, sacerdotes otio dediti, vitae sustentamine saepe carentes, aut suam dioecesim [ut fortunam quaerant] derelinquunt, aut saecularibus negotiis sese tradunt, et passim in via salutis fidelibus [quibus, ex divinae vocationis indole, sal terrae fuisse et lux mundi oportebat] impedimento et scandalo fiunt. — Nimius autem numerus alumnorum Seminarii tum selectis rigidius tironibus, tum religiosis et apostolicis vocationibus adiuvatis, optime est temperandus. Quoad primum illud nonnullis in dioecesibus invaluit ut, antequam alumni accipiantur, diplomata publica sive *gymnasialis*, sive *lycaealis*, aut *maturitatis* curriculi feliciter expleti ab eis requiratur, quod ubique in Austriaca-Hungarica ditione multis abhinc annis [lege] cautum fuit.

c) Episcopus suo Seminario tironum numerus definire est. Pius VII. iubet: *In Seminario archiepiscopali, vel episcopali is clericorum numerus ali, atque ad formam decretorum Sacri Concilii Tridentini institui ac educari debet qui respectivarum dioecesium amplitudini et necessitati respondeat, quique ab Episcopo congrue erit definiendus*[2]. — Quum autem multae causae sint quae plerosque clericos ita paulatim a via sua detorquent ut ad sacerdotium pauci perveniant [nam, vel mutata voluntas, vel explendae militiae onus, vel religiosa aut apostolica vocatio, vel mors, multos clericos sae-

[1] Encyclic., *De Cleri Disciplina*, die 29 Iulii 1906.

[2] Loc. cit.

culari e clero auferunt] tironum excipiendorum numerus, tum sacerdotibus numeratis qui quotannis vita excedunt, tum novis qui ad presbyteratum promoventur computatis, facile ab Episcopo praefinitur.

CCLXXI. — Quot autem novi alumni *quotannis* Seminario excipiendi sint, ne novi tirones tertiam totius Seminarii partem excedant prudentia suadet. Secus enim, extranea nimis et insueta manu excepta, vetus disciplina facile nutat, eamque vicissim redintegrare saepe ardua periculosaque res est.

CCLXXII. — Conclusionis instar ut sacerdotales vocationes in populo foveantur omni nisu satagendum. Quamvis enim Nationes ac dioeceses habeantur in quibus clericales vocationes nimis abundant, e contrario in multis aliis desiderantur, et si in primis selectione utendum, in alteris ita agendum ut Levitarum numerus augeatur: in utrisque vero ut Gratia Dei in puerorum cordibus foveatur. Vocatio enim sacerdotalis maximum coeleste donum semper est.

§ II. — Quae in alumnorum susceptione, generali ratione, a Rectore praestanda sint.

Summae rerum. — CCLXXIII. Fundamentale in re principium recolitur. — CCLXXIV. Quae in re habeantur obstacula. — CCLXXV. Ea superare quanti intersit. — CCLXXVI. Quid de alumnis ab aliis Seminariis venientibus ex lege tenendum sit. — CCLXXVII. Horum susceptionis parcitas suadetur. — CCLXXVIII. Quae communes qualitates in Seminarium postulantibus requirendae sint. — CCLXXIX. Hae inlustrantur.

CCLXXIII. — Post hactenus dicta nonnulla de cautelis quibus ad excipiendos in Seminarium alumnos uti Rectores oportet, addere praestat. — In primis sedulo

[1] Cfr. Leon XII, Encycl. *Depuis le jour* 8 sept. 1899; Gibier *Le manque de Prêtres et la recherche des vocations ecclésiastiques*, [Versailles, 1907].

animadvertendum est quod ii qui, nulla praevia consideratione, omnes postulantes utrisque ulnis excipiunt, vanam saltem ac periculis plenam operam faciunt, Moderatorum labores multiplicant, et fructum fere nullum, aut sterilem nimis parant. Qui igitur [ut ius est ac aequitas muneris omnimode requirit] Seminarii tironum electionem satis prudentem esse voluerit, antequam postulantes accipiat, sedulo exquirat an omnes habeant tum generales, tum canonicas conditiones infra memoratas. Qui enim [iterum iterumque admonemus] hanc posthaberent industriam, ecclesiasticae institutioni potiusquam adjumentum, gravissimum nocumentum comparabunt.

CCLXXIV.- At obstacula in re sive ex ipso Seminarii Rectore, sive ab externis oriuntur.

a) Obstacula Rectoris aut a nimio desiderio multiplicandi tironum numerum, aut a cupiditate augendae Seminarii pecuniae proficiscuntur.

1) Cupiditas tirones multiplicandi superbia fovetur, qua motus suum Institutum multitudine praestare Rector inhiat [1]. Tunc passim et dioeceseos pueri, vel extra dioecesim nati, nullo discrimine, haud optimis saepe moribus, exiguo ingenio, saecularibus desideriis praediti excipiuntur, et dummodo Seminarium alumnis frequens videatur, nec de gloria quae ex repulso pluribus ingressu postulantibus accedat, neque de re oeconomica, neque de aedium exiguo nimis ambitu ulla ratio habetur. Nam coacto nimis per aulas vel cubicula cubantium vel studentium numero, nec ullus externus ordo, nec ulla vitae salubritas esse potest, ipsiusque regulae custodia morumque ipsa integritas periclitantur. — Saepe vero ad nimiam alendam multitudinem redditus haud satis sunt; tuncque aut nimis avare cibus ceteraque singulis distribuuntur, aut ad aes alienum confugium fit, quod sensim citoque multiplicatur. Cibi autem exiguitate omnis murmuratio et obtrectatio sponte oriuntur; nam ut D. Bernardus monet: *ubi non est abundantia, ibi non est observantia* [2].

[1] Gallic., *manie du nombre.* [2] Epist. 112, *Ad Bonifac.*

2) Avaritia aut augendae rei oeconomicae desiderium optimae tironum electioni saepe obstant. — Dummodo enim pecuniaria res crescat atque stipendia singulis mensibus Seminario multiplicentur nil aliud quaeritur; omneque detrimentum [quod pessimam electionem sequitur] una tantum causa sustinetur ut crumena impleatur, quo optimam administratoris famam Rector consequatur.

b) Ab externis multa quoque optimae Seminarii alumnorum electioni opponuntur, quae ad patrocinium, plerumque, reduci queunt. Saepe enim commendaticiae litterae Rectori traduntur [eaeque haud raro commentitiae] quibus huius vel alterius tironis dotes laudantur, acceptatio ac quaedam regulae exceptio suadetur, aut [et hoc frequentius] menstrui stipendii imminutio petitur. At cum haec indulseris, atque tironem parum dignum exceperis, ordinis aut disciplinae iacturam brevi senties, cui haud ita facile succurres. Quinimo, et quos commendatores habuisti [viros saepe dignitate claros] eos acerrimos dilapsae disciplinae censores adinvenies.

CCLXXV. — Quibus sedulo perpensis ut nihil antiquius Rectoribus sit quam ne suae vanitati aut superbiae, aut avaritiae serviant, neque aliorum auctoritati, in re tam gravi, cedant enixe pro Ecclesiae et animarum bono, rogamus obsecramusque. Hac in re, illud S. Alphonsi de Ligorio semper prae oculis habeatur: *Melius est paucos, sed electos tirones habere qui optimi Ecclesiae ministri futuri sint, quam multos quos inter parvi vel inepti qui socios facile corrumpent*[1]. Apostolicum hoc monitum veluti sacrum Episcopis Seminariique Rectoribus esto. Quae igitur a S. Carlo Borromaeo hac de re sapientissima traduntur monita ut tutissima norma habeantur: *Maxima cautio adhibenda est in eo praecipue ut idonei clerici in Seminario recipiantur.... Quales enim hi fuerint qui admittentur, tales prorsus in Seminario fructus existent*[2]. — Quod si cum alumnis parvis in Seminariis cooptandis

[1] *Regolamento pei Seminari*, § 1. [2] *Institut.*, Par. I, Cap. IX.

maiori indulgentia opus est, quum, e contrario, de clericis maioribus in Seminariis adsciscendis quaestio sit cautius agendum, ne scabiosa ovis coeteras morbo inficiat, aut saltem ne ecclesiastica Seminarii bona incassum a laicis [laicalia inhiantibus] dilapidentur.

CCLXXVI. Quum vero de alumnis ab aliis Seminariis pulsi vel profecti quaestio sit S. C. Concilii decretum prae oculis habeatur, quod his redit:

A) Quoad illos qui alieno e Seminario pulsi fuerint:

a) Alio in Seminario illos recipere omnino vetitum est. *Quod si constiterit* [quod fuerat olim e suo Seminario dimissus] *omittens iudicare de causis aut determinare utrum iuste, aut iniuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti praecludat* [1].

b) Quod si, ignorata expulsionis causa, ille fuerit exceptus, tunc, vix ea cognita, dimittatur. *Qui vero bona fide admissi sunt eo quod reticuerint se antea in aliis Seminariis versatos esse, et ab eo deinde dimissos, statim ut haec eorum conditio cognoscetur, admonendi sunt ut discedant* [2].

c) Clerici vero qui ex Religiosis Sodalitiis discesserint ne excipiantur nisi praemissa de eis apud eorum Praesules inquisitione. *Dimissi ex aliquo Religioso Instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a Moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat* [3],

B) Quoad clericos vero qui quacumque *legitima* de causa aliud Seminarium petunt:

1) Nullus extradioecesanus, laicus sive clericus, ulla de causa, absque scripta Ordinarii sui venia in Seminarium non suum excipiatur.

[1] *Vetuit.* die xx dec. 1905, n. 1. iuratam Superiori ad rem requiri.
[2] Ibid. n. 2. — Hodie constat fidem [3] Ibid. 4. 3.

2) Episcopus antequam extra-dioecesanum subditum in Seminarium accipiat, de eius moribus ac studiis ab Ordinario dioeceseos originis, inquirere tenetur [1].

3) Huiusmodi extra-diocesani antequam rite excipiantur, experimenti modo, trimestri vel annuo tirocinio probentur.

CCLXXVII. Sint huiusmodi admissiones paucae, quod diuturna experientia docet atque prudentia suadet. Nam, [experientia teste] saepe, non tantum doctrinae, quam potius novae libertatis studio, suo e Seminario tirones transfugiunt, aut suis ab oppidis vel parvis civitatibus plane ignotis maiores ad Urbes convolant, ut facilius deinde dignitates in Ecclesia assequantur. Indigna haec sane desideria, quae si quis foveat Seminarium plane suum libere inquat, aliud autem non ingrediatur, sed vestem clericalem abiiciat atque saecularis homo [quem dissimulabat] appareat. Saepe parentes, desertionis causam ut afferant, Seminarii exiguitatem atque incultam ibi humanitatem arguunt; at haec sane [quae ipsi aestimare iure nequeunt] si revera habentur, assidua hac tironum desertione, citissimo lapsu, crescunt. Ex his quantam quae ad rem in decreto de quo agimus habentur sapientiam redolent clare patet: *Alumni qui absolutis inferioribus scholis in aliquo Seminario aliud adeunt ad studia superiora aggredienda, documenta expletorum studiorum ac bonae vitae rationis a Rectore dimissa afferant* [2]. Idcirco [antequam Sacro Instituto hi cooptentur] nulla omittatur inquisitio, qua huius migrationis genuinae caussae perspectae haberi possint. Parentibus igitur alumnisque coeca haud adhibenda fides, sed praesertim ab Ordinario ac a Rectore loci ubi candidatus antea moratus fuerit informationes [eaeque rectae et iuramento formatae] sciscitentur, et eorum voto fideliter obsequi decet.

CCLXXVIII. Qualitates communes in tironibus requirendae S. Carolus Borromaeus hisce breviter complectitur: *Maxima*

[1] Decret. cit., n. 4. [2] Artic. 85.

cautio adhibenda est in eo praecipue ut idonei Clerici in Seminarium recipiantur : neque solum ingenium et habilitas ad studia litteraria functionesque ecclesiasticas exercendas spectetur : sed multo magis morum ac disciplinae in singulis ratio habeatur[1]. Patres Veneti Provincialis Concilii autem [S. Carolo consentientes] decreverunt: *In delectu eorum qui clericali militiae nomen dare postulant, summa solertia est adhibenda in exploranda eorum vocatione, indole ac moribus, sed id potissimum procurandum ut pietate et integritate vitae commendentur ; quum experientia manifestum sit etiam mediocris ac tenuis ingenii homines, si spiritu ecclesiastico ac vero salutis animarum zelo sint inflammati, uberiores fructus afferre in vinea Domini, quam eos qui praeclaris ac praecipuis istis dotibus destituti, aliunde multa doctrina et scientia praestant*[2].

CCLXXIX. – Quatuor itaque semper qualitates generales in tirone requirendae sunt, scilicet: optimi mores, alacre ingenium, satis firma valetudo, ac honesta origo.

a) Optimi mores. — *Revera* [iure Poüan animadvertit] *proposito semel Seminariorum fine, iuvenes bonis moribus huc esse introducendos omnes facile concedent, cum ex se aetas illa malos mores, nunc a nativitate et indolis habitu ortos, nunc pravis actibus acquisitos, producat, et boni mores colloquiis malis corrumpantur*[3]. In hac re nullus indulgentiae fiat locus, ne nocens forte sodalis incaute exceptus, aequalium innocentiam polluat, ut idem Auctor pergit : *Magna igitur et maxima adhibenda est cura, ne pravorum [societas ingenuos adhuc et innocuos pueros, optimam gregis spem, perdere queat*[4]. Mala enim haec pestis cum in Seminario invaluerit, numquam fere, nisi expulsis omnibus, divellitur.

b) Indoles pueri investiganda est, ne forte nimia laevitate peccet, aut contumax nimis, vel superba, aut acris, aut inconstans ita fuerit ut nullam spem optimi sacerdotis afferat, quae expressis verbis a Tridentinis Patribus requiritur, ut infra dicemus.

[1] *Institutiones*, Par, I, cap. 2.
[2] Cap. XVI.
[3] *De Semin. Clericor.* Par. II, c. II.
[4] Loc. cit.

c) Mentis atque ingenii alacritas pariter in puero praeluceat, ea saltem quae ad sacerdotis ministerium aliquando suscipiendum et exercendum illum aptum satis demonstret. *Oportet*, ait S. Carolus Borromaeus [clericos] *idoneos sacerdotes ad animarum curationem evadere posse aliqua ratione ostendant. Secus e Seminario dimittantur, cum non ea de causa sit institutum ut in eo simplices sacerdotes sibi tantum utiles futuri educentur*[1]. Nam, Tridentinos iuxta Patres, Seminarii finis haud est bonos cives, vel sacerdotes sibi tantum utiles, sive Religiosorum Ordinum asseclas efficere, sed aptos apostolicae vineae excolendae operarios, strenuosque viros qui fortiter praelia Domini praeliare queant comparare. Ad hoc vero assequendum, tum morum sanctitas, tum doctrina requiruntur, et hac gemina veluti face, sacerdotes praeluceant populis necesse est. *Cum igitur* [haec iterum S. Carolus Borromaeus] *duo praecipue in sacerdote et animarum pastore requirantur, probitas videlicet ac dotrina, earum utraque in Seminario est comparanda*[2]. *Tam doctrina* [scribunt Patres Concilii Aquisgranensis] *quam vita clarescere debet ecclesiasticus doctor. Nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit*[3]. Etenim [S. Bernardus monet] *tantum lucere vanum, tantum ardere parum, ardere et lucere perfectum*[4]. Eadem pariter Aquileiensis Concilii Patres sentiunt, omniumque tum Provincialium, tum Nationalium Conciliorum decreta, quae aliquid ad rem constituerint, decrevere[5]. Qui itaque ingenio omnino caret [nostris praesertim temporibus] clericalem vestem sibi indui ne cupiat.

d) De valetudine etiam inquirendum est, ne alumnus excipiatur cuius infirma nimis membra, nec communis regulae, nec vitae comunis rationem sustinere queant. Qui itaque naturali corporis complexione veluti insidentibus afficiuntur morbis unde sociis periculosi et disciplinae damnosi evadere possunt, recipiendi non sunt, ne, semel acceptos, citius eos dimittere oporteat. — Insuper, etsi non decora,

[1] *Institut.* Par. I. Cap. 2.
[2] Loc. cit. — Cfr. Leon. XIII, Encycl. *Quod multum*, die 22 Aug. 1886.
[3] Cap. *De Seminariis Clericorum.*
[4] Serm. *in Nativit. S. Ioann. Bapt.*
[5] Cfr. *Collect. Concil. Lacens.* ad verb. Seminarium.

saltem honesta facie tirones sint, ut Concilii Rhemensis Patres edixere: *Quoniam cultus morum index esse solet, eligantur pueri bona indole praediti, et apta membrorum compositione conspicui, nec sint notabili deformitate signati*[1]. Id autem praecipue cautum est ne ad sacros altaris ritus indecorus sacerdos accedat. Verum quia nonnunquam accidit ut invenes infelice corporis habitu, indolem tamen felicissimam atque alacre ingenium sortiantur, eos [pro re nata] Episcopus facile ab hoc impedimento solvet.

e) Honesta origo, quae in decreto de quo agimus ita, iure meritoque, praescribitur: *Ut adolescens in Seminarium admitti valeat, ad familiam nomine et actione vitae christianam eamdenque integra existimatione pollentem pertinere debeat*[2], cuius ratio in comperto est; secus, enim, Seminario quidem dedecus, institutioni autem clerici detrimentum comparabitur.

§ III. — Dotes canonicae in Seminario postulantibus requirendae quae sint, et primum de intentione qua alumni inibi ingredi debeant.

Summae rerum. — CCLXXX. Quae hae dotes canonicae sint. — CCLXXXI. De intentione qua alumni Seminarium petere debeant. — CCLXXXII. Recentiorum Pontificum in re documenta recensentur. — CCLXXXIII. Quomodo tironum mens dignoscenda. — CCLXXXIV. Quodam magni momenti corollarium recolitur.

CCLXXX — Quae in Seminarii candidato canonicae dotes requirendae, iuxta Tridentinum decretum sunt:

a) Intentio sese Deo et Ecclesiae perpetuo inserviendi.

b) Legitimus ortus.

c) Instructionis gradus.

d) Aetas duodecim saltem annorum.

[1] *Concil. Remens., IV*, cap. 8. [2] Art. 80.

e) Status rei familiaris.

f) Ius civitatis.

Quae canonicae conditiones omnes, ut ratio et necessitas postulat, tum iuxta canones, tum iuxta paedagogicam doctrinam, breviter enucleandae sunt.

CCLXXXI. — Ad intentionem qua alumni Seminarium ingredi debent quod refert, explicita satis sunt illa Concilii Tridentini verba: *In hoc Collegio recipiantur..... quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros*[1]; quae inferius ibidem leguntur: ... *studium praeseferant Deo et Ecclesiae inserviendi*[2]; rursusque...: *ita ut hoc Collegium Dei ministrorum perpetuum Seminarium sit*[3]. Seminarium igitur clericis tantum pateat; nam nullo modo Ecclesiae caritate abutendum est, neque tolerandum est iuvenes saeculares inter clericos instrui. Si quis, alia omnino mente, in Seminario locum quaerit, humaniter quidem, sed firmiter repellatur, atque, si ingressus fuerit, sollicite dimittatur. In huiusmodi namque negocio legis epikeiam invocare nefas, humanosque in re tam gravi respectus numquam sequi oportet, sed constanter Ecclesiae bonum procurandum. Qui aliud curant Ecclesiae iussis haud parent, nam:

a) Ante omnia piis redditibus ad sacerdotium augendum constitutis, alieno consilio abutuntur. Si quis vero non de Ecclesiae sumptibus id fieri opponat [eo quod solutae a parentibus pro singulis alumnis expensae fuerint] falso id arguunt. Tributum enim seu stipendium pro tirone solvendum adeo mitissimum plerumque est, quod, nisi Ecclesiae caritas succurreret, nequaquam alendo tironi sufficeret. Parentes autem rati sese, miti pecunia, optimam filiis institutionem comparaturos, in Seminarium eos mittunt, ut deinde causidicos, vel medicos, vel nativi oppidi saltem cancellarios, aut ludi magistros habeant.

b) Insuper nulla optima disciplina erit quae tum clericis tirunculis, tum laicis alumnis, qui

[1] Decret. cit.
[2] Ibid.
[3] Ibid.

simul vivunt, aptetur. Enimvero [gravissima Leonis XIII verba audiantur] *institutio, studia, habitudines uno verbo, omnia quae ad sacerdotalem disciplinam spectant, uti non tantum distinctum, sed immo sejunctum a communibus laicalis vitae normis ab Ecclesia habita sunt. Haec igitur distinctio ac sejunctio, nostris quoque temporibus, permanere debent, et illam sentiendi rationem qua ecclesiasticam ac laicalem institutionem in uno confunditur, uti a christiana saeculorum traditione, ab ipsa doctrina apostolica, et a D. N. Jesu Christi praescriptionibus damnata habeatur*[1]. — Plerumque autem utrumque consilium libertate pessima componitur, nihilque iam clericale tirones clerici nisi vestem servant; reliqua ad instar laici collegii reguntur, omnisque ad sacerdotium apta institutio evanescit, ac fere nullus Ecclesiae fructus comparatur.

CCLXXXII. Quae ut vitarent tum S. Carolus Borromaeus[2], tum Leo XIII et Pius PP. X ut alumni qui saecularia desideria manifestaverint haud suscipiantur ac cito a Seminario arcerentur, censuere.

a) Leonis XIII verba sunt: *Nulla ratione permittant Episcopi ut Seminarii aedes ulli pateant, nisi iis adolescentibus qui spem afferant sese Deo per sacros ordines mancipandi. Qui vero ad civilia munia institui volunt, alias, si res sinunt, obtineant aedes, quae* convictus *vel* collegia episcopalia *nuncupantur*[3]. Et alibi iterum: *In eorum Seminarium ... disciplina instauranda illud in primis cordi est... ut separatis aedibus, suisque seorsim institutis ac legibus degant alumni qui spem afferant sese Deo mancipandi per sacros ordines, eorumque domus retineant* Seminarii *nomen : aliae instituendis ad civilia munia adolescentibus* Convictus *vel* Collegia Episcopalia *nuncupentur. Quotidiano enim usu constat mixta Seminaria Ecclesiae consilio ac providentiae minus respondere:*

[1] Encycl. *Fin dal principio*, ad Episcop. Italiae, die 8 dec. 1902, cap. 2.
[2] Cfr. *Instilut. Seminar.*, Par. I, cap. 2.
[3] In Bulla *De re sacra in Philippinis*.

ea contubernia cum laicis causam esse quamobrem cl rici plerumque, a sancto proposito dimoveantur. Hos decet vel a prima aetate iugo Domini assuescere, pietatis vacare plurimum, inservire sacris ministeriis, vitae sacerdotali exemplo conformari. Arcendi ergo mature a periculis, seiungendi a profanis, instituendi iuxta propositas S. Carolo Borromaeo leges [1]

b) Pius vero PP. X haec ad unguem iterat scribens: *Seminariorum vero qui proprius est spiritu sedulo custodiatur, quia ad id tantum constituta fuerunt ut non ad civilium honorum cursus, sed ad Christi ministerium iuvenes instituant* [2]. *Seminaria suo palam consilio serviant, neque iuvenes ad aliud quam ad sacerdotium erudiant et ad ministerium Dei* [3]. Quae et Albigensis Concilii Patres optime decreverant: *Ad mentem Concilii Tridentini ii soli admittendi sunt de quibus spes erit illos in sacris Ecclesiae ministesiis esse perpetuo inservituros. Improbat igitur illa Sancta Synodus Seminaria mixta: et revera pia quorundam laicorum educatio non satis compensatur malum ex minus perfecta iuniorum ad clericatum candidatorum institutione proveniens* [4]. *Optandum igitur est* [sic cum Poüan finem facimus] *ut incrementa laicorum adeo necessariis Collegiis sub ecclesiastica auctoritate constitutis adiiciantur : at simul ad purissimi iuris normam sint... Seminaria* [5].

CCLXXXIII Si quomodo ea mens sit dignoscenda quaeratur cum Poüan respondemus. *Primo quidem ex eo quod pios et obedientes sese exhibeant; attente velint audire, audiendoque paulatim quae sibi desint, sive ex virtutibus, sive ex doctrinae partibus, suppleant; secundo, ex perseverantia eorum in oratione, labore et castigatis moribus. Hinc enim, bona videlicet alumni indole et voluntate recta, communibus saltem ingenii dotibus coniuncta,*

[1] Encycl. ad Archiep. et Episc. Brasiliae, *Paternae*, die 18 sept.1899.

[2] Encycl. *de Cleri disciplina*, die XXIX Iul, 1906.

[3] Encycl. *E Suprem. Apostolat*, die 4 Oct. 1903.

[4] Tit. 7, decr. 2.

[5] Op. cit. Par. II, cap. 2

spes evadet quod perpetuo ministeriis ecclesiasticis inserviturus sit. Ceterum e multis iisdem complexis circumstantiis coalescit ea spes, prudentiumque magistrorum experientia, facilius dignoscetur quam regulis certis hic definietur [1]. Ad rem vero in decreto de quo agimus legimus: *Tamen non praesumendum est, praesertim si adhuc juniores tirones sint, certum propositum; sed oportet ut quandam saltem simplicem ostendant propensionem in statum ecclesiasticum* [2]. At quum agitur de alumnis qui majoribus curriculis cooptandi sint Legislator opportune statuit: *Superioribus curriculis hi tantummodo admittantur qui indicia vocationis ad statum ecclesiasticam praebuerint* [3]. — Ad rem vero Cl.mus De Giovanni monet: *Errori autem, si erratum forte sit, facile esse remedium fallacis pueri vel adolescentis expulsio; qui immo, si Ecclesia sumptibus fuerit eruditus, solvere pretium cogetur institutionis suae* [4]. Alias autem censet idem Auctor cavendum si de alumno res fuerit qui sibi sua pecunia consulat, iuxta ea quae Michael Thomasius [doctissimus inter Tridentinos Patres] ad rem scripserat: *In his vero non ita magna cura adhibenda erit, an velint omnino ecclesiastici evadere; satis erit ut ab eo instituto non abhorreant, et honestam quandam indolem praeseferant: nam cum suo sumptu alantur, nihil peribit ex reditibus Seminarii si illi ecclesiastici non efficiantur, et Reipublicae plurimum utilitatis accedet si habeat nobiles viros bene educatos et modestos; ac sane quanto maior erit horum iuvenum numerus, tanto maior auctoritas et utilitas Collegio accedit* [5]. At nos haec omnia nullimode probare possumus; haud enim rei oeconomicae tantum detrimentum hic suscipitur [in quo nonnumquam est pie indulgendum], sed et magis ecclesiastici spiritus ac regularis observantiae maxime periculum fit, quae, plerumque, isti tirones negligunt, dum saecularibus desideriis intenti et dissipati, scandalum aequalibus et sibi ipsi damnum pariunt. — Tum vero tirunculum, tum parentes eius hoc pium ac verax consilium habere oportet, ille ut se totum

[1] Op. cit., Par. II, cap. 2. n. 3.
[2] Par. II, in *proem.*
[3] Artic. 86
[4] *Istoria dei Seminari*, Cap. 7.
[5] *De Var. Colleg. ad utilitat. publ.*, pag. 120.

sacerdotio dedat, isti ne eum praepediant, neve [humanis motivis rationibus] incitent. Quae omnia diligenti examine et inquisitione investiganda sunt antequam puer recipiatur; ille enim nullum saepe sacerdotii desiderium enutrit, sed parentum tantum voluntate ad altare compellitur. Si vero huiusmodi suspiciones, tirunculo iam recepto, oboriantur, tunc eum sollicite a tam funesta fortunae cupidine vindicare oportet, ne pessimus sacerdos fiat et Ecclesiae infandum dolorem comparet. *Paucos enim,* monet Ligorius, *veraci vocatione vocati sacerdotium ineunt ut sanctificentur; quo fit ut perpauci optimi sacerdotes evadant quorum ministerium fidelibus salutare fiat* [1]. Nam, nonnumquam, stulti quidam benefactores adsunt, vel presbyter patruus, vel pia matrona, qui sese altaris alumnum, suis impensis, parare gloriantur. Tunc iuvenis, incauto gressu, viam init quam deinde [quamvis asperrimam sibi sentiat] ne in priorem egestatem redeat vel aliorum infamiam incurrat, non deserit et, metu coactus, sacerdotium quod odio habet ac spernit [sacrilego ausu] tamen suscipit, factus simul benefactorum primus incusator quorum artibus ad perpetuam sese infelicitatem damnatum sentit.

CCLXXXIV. Ex dictis quaedam magni momenti corollaria liquent, minirum:

a) Haud licet laicorum scholas clericos iuvenes frequentare, vel in Seminariorum scholis laicorum susceptio qui ullam sese Deo mancipandi intentionem foveant. *Singulari studio curandum est* [in decreto legimus] *ut alumni a frequentia juvenum ad sacerdotium non spectantium separentur si scholas petant alumni quidam externi* [2]. Quibus ex verbis [a documentis Leonianis inspiratis [3]] quamvis S. Congregatio [necessitatibus quorumdam dioeceseos prospiciens] huius postremae admissionis possibilitatem admittere videatur, attamen communibus in contigentiis pontificias hoc encyclicas dissuadent [4]. Tunc quoque, ne

[1] *Riflessioni utili ai Vescovi per la pratica di ben governare le loro Chiese,* § 2.

[2] Artic. 114.

[3] Cfr. Leo. XIII, Encycl. *Paternae,* die XVIII, sept. 1899.

[4] Cfr. Pius X, Encycl. *Fin dal principio,* die 8 dec. 1902.

quid exinde detrimenti clerici in Seminario commorantes ullimode patiantur, S. C. Concilii maximam vigilantiam cautionemque inculcare solet. Idque praesertim veluti legem servari mandat ut alumni externi, sive in scholis, sive in sacello separata subsellia occupent, et ita segregati sint ut nullam cum internis tironibus consuetudinem habeant. Quod tamen [quotidiana experientia teste] ad hanc consuetudinem praecavendam haud, ut plurimum, sufficit.

b) Haud licere in Seminariis detinere alumnos qui religiosam vitam ineundam eligant, quam sententiam nonnulli Scriptores [monita S. Caroli Borromaei sequuti] amplexati sunt. Verba S. Caroli haec sunt: *Quod si quis, decursu temporis, de statu mutando consilium caperet etiamsi de religione ingredienda cogitaret, de eo Reverendissimum Archiepiscopum vel Rectorem statim certiorem faciat. Peccaret enim si in Seminario hoc animo viveret, in alium finem consumens quod ad operarios solum pro huius Ecclesiae auxilio substentandos est constitutum* [1]. Quo consilio ductus a Gregorio XIII Pontifice decretum Vir Sanctus obtinuit ne quis Seminarii alumnus religionem iniret, nisi antea ad triennium extra Seminarium moratus esset [2]. Haec decreta autem atque monita B. Barbarigo Cardinalis ad unguem usurpavit, laudatusque De Giovanni sedulo tuetur, memoratis quoque Panormitanis Conciliis quatuor quae haec decreverunt: *Inquiret Rector cum* [clericus] *cogitat de religione ingredienda, moneatque peccare eum si in Seminario hoc animo vivat, quippe qui sumptos ad huius Ecclesiae alumnos atque operarios sustentandos iam inde constitutos, dolo ac fraude, in alium finem detorqueat* [3]. Neque secus etiam a Synodo Burdigalensi statutum fuit scribenti: *Ingrediens Seminarium iuramento promittere debet se numquam ad aliam vitae rationem discessurum, sed perpetuo Ecclesiae Christi fideliter inserviturum in eo gradu et ordine qui a R.mo Domino Episcopo ipsi assignabitur* [4]. Et

[1] *Inst. Sem.*, Par. III, cap. I.
[2] Cfr. Glossianum, *Vita S. Caroli Borromaei*, cap. 14.
[3] Op. et loc. cit. — Concil. Par. IV, cap. 5.
[4] Tit. 20, cap. 17.

Sinodus Cameracensis iterum: *Singuli autem studiosorum in suam ad dictum Seminarium assumptionem iurent se cum idonei invenientur, id muneris in Ecclesia Dei subituros quos suus Episcopus illis iniungendum existimaverit* [1]. Neque Seminaria desunt ubi [prouti Romae fere in iis omnibus quae ditioni S. C. de Propaganda Fide subiiciuntur, et Collegio Germanico-Hungarico] solemni iureiurando gratis acceptus tiro despondet sese [nisi praevia Romanae Sedis dispensatione] Religionem nullam suscepturum. — At haec quodammodo probanda sunt cum Ecclesiae sumptibus tiro alitur; si vero de iis agatur qui aut suis, aut benefactoris cuiusdam impendiis instituuntur secus omnino sentimus. Detrimentum enim altero hoc in casu Seminario inlatum nullum fere est; quinimo optimo veluti relintegratur ipso observantiae ac pietatis exemplo, quibus, plerumque, huiusmodi tirones reliquos antecellunt.

§ IV. — De legitimo ortu, instructionis gradu ac aetate.

Summae rerum. — CCLXXXV. Quae rationes legittimum candidatorum ortum suadeant. — CCLXXXVI. Quaedam ad rem canonica dubia solvuntur. — CCLXXXVII. De instructionis gradu. — CCLXXXVIII. De candidatorum aetate. — CCLXXXIX. De maxima eorum aetate. — CCXC. De illa nimia. — CCXCI. Corollarium.

CCLXXXV. — Legitimus ortus quoque in alumnis requiritur iuxta Tridentini verba: *In hoc Collegio recipiuntur qui... ex legitimo matrimonio nati sint* [2]. Cuius decreti ratio S. Thomae sententia videtur usurpata qui monet: *splendorem ordinis indecorae origini haud convenire* [3]; ratio autem a Sixto V Pontifice affertur cuius metus est *ne paternos*

[1] Tit. 20, cap. 4.
[2] Loc. cit.
[3] *In IV Sentent.*, dist. 25, art. 2, q. 3.

mores filii imitentur [1], iuxta illud iuris; *In filiis paterni criminis exempla metuuntur* [2]. Sedulo itaque, antequam tirones excipiantur, de legitimo eorum ortu inquirendum est, idque maxime si suspicio illuxerit, quam [callidissimis artibus] abdere parentes vel adfines nituntur, quod S. Carolus Borromaeus valde pertimescebat, haec caute statuens: *Omnes aetatis et natalium testificationes scriptas, ac illius iudicio qui a nobis constitutus fuerit probatas afferant; quas nisi eiusdem subscriptione signatas exhibeant, ne recipiantur.... Poterit tamen haec diligentia praetermitti si ex libris Matrimoniorum et Baptismorum testimonium probatum extet ex quibus describatur ad verbum exemplum verborum quibus testatum sit matrimonium inter parentes eius qui recipiendus est contractum esse, et insuper dies quo quis talis baptizatus est; quo eum ex legitimis nuptiis esse procreatum probetur, ac eius aetas investigetur* [3]. — Ut alia praetermittamus, certum est illegitimorum puerorum admissionem in caritatis et disciplinae detrimentum facile evasuram. Cognita namque ab aequalibus eorum misera origine [quod facillime contigit] caritatis discrimen ex ipsa aetatis imprudentia gravissimum oritur. Insuper isti qui illegitimo ex thoro sunt orti [experientia teste] nescio quid duplicitatis, calliditatis et versutiae praeseferunt. Ideoque ante eorum receptionem prudenter, sed sollicite de hac re inquirendum est, et si postea cum tirones in clericorum numerum cooptati fuerint, infelicis originis macula innotescat, statim quam humanissime [alia honestiore adducta causa] dimittendi sunt. Ius enim ecclesiasticum hac in re rigidissimum exstat; et quamvis ad dignitates suscipiendas ab eo impedimento Ecclesia dispensaverit, tamen hoc pro alumnis Seminarii recipiendis numquam factum est. *S. Congregatio censuit illegitimum dispensatum ad beneficia ecclesiastica, canonicatus et dignitates, non propterea dispensatum censeri ut in Seminarium, non obstante decreto c. XVIII, sess. XXII, recipi*

[1] *Constit. contr. illeg.*, § 1.

[2] *L. Quisquis, c. ad leg. Iul. maiest.*; Esdr. lib. IV. cap. 9. *C. Venerabilem*, verb. *Progenitores, de Elect.*, c. 1, 56. *C. Litteras de fil. presb.*; Bauny, *De Sacramentis*, tom. II *De Irregularit.*, q. 4; Barbosa, Collect. in cap. *Nasci*, dist. 56, etc.

[3] *Instit.* Par II, cap. 10.

queat; ideoque nullo modo admitti in ipsum Seminarium ab Episcopo debere[1].

CCLXXXVI. — Post disceptata, nonnulla S. Congregationis data responsa enucleare pro variis in tali negotio propositis dubiis opportunum ducimus. Idcirco:

I) An illegitimus filius qui per subsequens matrimonium fuerit legitimatus possit in Seminarium admitti? Negative. — Revera illegitimo, licet quoad omnia alia per subsequens matrimonium habilitatus fuerit, huiusmodi quoad Seminarii introitum non proficit legitimatio[2]. Concilium Tridentinum siquidem non requirit tantum ut Seminario candidati legitimi sint, sed etiam ut ex *legitimo matrimonio nati sint.* Nec aliunde spes indolis bonae et piae voluntatis candidato per incontinentiam parentum aliquando sublata reviviscit penitus per subsecutum matrimonium, sicut nec per illud efficitur quod nunquam extiterit vitium paternum.

2) An filius ex legitimo matrimonio vere contracto natus, sed ante matrimonium conceptus, possit in Seminarium admitti? Affirmative. — Licet enim valde controvertatur inter auctores utrum ad effectum legitimi ortus attendendum sit tempus conceptionis an vero nativitatis, dicendum nihilosecius eos de quibus hic agitur, ex legitimo matrimonio reapse natos esse, adeoque [secundum iuris axioma: *Odia restringi, favores ampliari convenit*, vi cuius, praesertim quando lex est super facto negativo, in odiosis sancitis, interpretationes ex coniecturis desumptae locum non habent] a Seminario nequaquam exclusos fore[3]. Nec opponatur hic eamdem dari praesumptionem de incontinentia parentum. Non enim iisdem iam ac supra circum-

[1] *In Bracar.* die 5 Augusti 1595.

[2] Cfr. Pöuan, Op. cit., Par. II, cap. 2, n. 5; Tanta, *Qui filii sint legitimi:* Garc. *De benefic.*, P. VII, cap 2. n. 28; Cohell, *Not. Cardinal.*, c. 9, § *Sed et audi Illegitimi.*

[3] *Cum quidem*, XIX *De liber. et posthum.;* C. Renovantur, dist. 22, Sext. C. Odia, *De reg. iur.*, C. Statutum XXII, *De elect.*; Gloss. in c. *Cupientes*, § *Quod si*, *De Elect.*: C. Tanta. *Qui fil. sint legitim.* — Cfr. Sanchez, *De Matrimon.*, lib. VII, disput. 8, n. 19; Garcias, *De Benef.*, P. VII, cap. 2, n. 35; Robles, *De Repraesen..*, lib. II. cap. 14, n. 10; Feder. de Senis, *Cons. XXV*, n. 4. vers. *Insuper;* Berthold, *Thesaur. iurispr.*, lib. XIII, cap. 16, n. 5, ecc.

stantiis vestitur, cum matrimonii continuo secuti velamen exhibeat potius in auctoribus humanae fragilitatis notam, quam in aliis observatam perversam voluntatem: prout in simili iudicavit S. Rota, interpretatique sunt magnae auctoritatis doctores [1].

3) An filius in figura matrimonii natus possit in Seminarium admitti? Affirmative. — Namque matrimonio publice et sine oppositione inito, legitimi reputantur filii ante divortium concepti, et qua tales, absque dispensatione ad clericatum admittuntur [2]. Idem dicendum est de filiis natis post contestatam litem, vel subsecuta nullitatis matrimonii sententia, cum litis contestatio pro iis qui bona fide contraxerint, malam fidem quoad usum matrimonii non inducat. Idem statuendum est de filiis, lata quidem sententia sed pendente appellatione natis, et de iis natis ex matrimonio valido, sed in cuius celebratione parentes delinquerint. idem, demum, de filiis quorum auctores, ante susceptam prolem, in gradu canonico iure proibito contraxerint [3].

4) An expositus a Seminarii ingressu sit prohibendus? Videtur affirmative.— *Verius*, ait Frances, *credo admitti posse cum tales sint capaces Ordinum et dignitatum absque dispensatione, quia legitimi reputantur* [4]. Et revera spurius certam habet originem, ideoque excluditur; dum circa expositos permanet dubium, quo stante, pro eorum legitimitate iudicandum est. Cui addas quod nonnullae hinc e rationibus absint cur illegitimi ab Ordinum susceptione arceantur; puta parentum a filiis aversio, et reverentia in sacramenti dignitatem. Dicetur forsitan coniecturas saltem in expositos arguere, cum similius veri sit eos a genitoribus contemni qui ortu nefando prodierint. At si coniecturae

[1] Garcias, *Decis*, P. VII, cap. 2, n. 40; Sanchez. *Decis.*, lib. VIII, c., 7, n. 19 et alii.

[2] CC. Ex tenore; Praelatum; Pervenit; Cum inter; *Qui filii sint legitimi;* Castillo, *Quotid. quaest.*, lib. II, n. 5 et 6; Barbos, *Coll.* etc. in CC., *Cum inter*, c. 14.

[3] CC. *Ut lite pendent.* II. Gaudemus, *Qui fil. sint legitimi;* Id.; *De divortiis;* Barbos., Op. cit. in C, Quod nobis, *Qui fil. sint legitim.*, n. 3; Sanchez, *De Matrim.*, lib. III, disp. 42 n. 8; Fanny, op. et loc. cap. XIV.

[4] Op. cit., c. 28 n. 105. - Cfr. Palcot, *De nothis et spuriis*, c. 63, n. 3; Gratian., *Discept.*, CXXXV, n. 31-40; Menochius, *De Arbitrar.*, cas. 396; Bellet, *Disquisit. cler.*, P. 1, § 3, n. 34; Barbos., *Coll. ad Rubric., De exposit. Infantib. et in Addit.*, t. 6, n. 2.

habenda sit ratio, non videmus qua de causa pro delicto potius quam ad exclusionem delicti iudicandum esset. Praeterea quamvis non negemus fieri posse [et de facto contingere] ut plures inter expositos nativitatis macula contaminentur, nonne memoranda est regula: *Satius esse impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari,* et, a fortiori, *satius esse impunitum relinqui eum qui nonnisi per alium contaminatus est, quam incontaminatum repellere?* Concludamus ergo quod solum ex circumstantiis loci, temporis et morum, illegitimi non reputandi sunt expositi, nec proinde ab honoribus cuique obviis removendi [1].

CCLXXXVII. - Ad rem quod attinet Tridentinus praecipit: *In hoc collegio admittantur qui... legere ac scribere competenter noverint* [2]. Neque profecto latinis statim litteris operam tirunculi dare possunt nisi primis iam materni sermonis legendi, aut scribendi rudimentis calleant: quae tamen erunt [ut Poüan animadvertit] satis. *Hanc vero legendi et scribendi in lingua materna scientiam, advertas non adeo perfectam esse debere, sed competentem tantum, eiusque gradus, ut admissi alumni ad grammaticam aliasque discendas scientias apti reperiantur...* [3]. S. autem Carolus Borromaeus pro aetatis suae temporibus, ut alumni Seminarium minus postulantes *primae classi grammaticae aut idonei esset, aut saltem sex mensium ad summum spatio habiles futuri fuissent* requirebat [4]. Quod vero spectant ad alumnos Seminarium maius requirentibus ipse statuit: *Nullus in Seminarium recipi debet qui Philosophiae et Theologiae studia perficere comode non possit* [5]. Quae saltem omnia et nostris hisce temporibus requirenda sunt, in quibus, ut clare patet, si hae in minori Seminario adsciscendis sufficiere possunt, nullo modo e contrario, pro his qui in maiori

[1] Cfr. Gratian., *discept.* CCXLVI, n. 22 seq.; Garcias, Op. cit., P. VII, c. 2, n. 8; Tolet. *Summa,* lib. I, c. 53, n. 3; Hurtad., q. 14, *De Irregularit.,* disp. 2, diff. 18; Bauny, *De Sacram,* t. II, Tract. XI, *De Irregularit.*

[2] Loc. cit.

[3] Op. cit. cap. 2 — Cfr. Barbos. *Pastor.* Alleg. XI, n. 5; Sanchez, *In Consil.,* Lib. VII, Cap. I, dub. 45, ecc.

[4] *Institut.* Par. I, Cap. 9.

[5] Ibid.

cooptandi sunt satis extant. Ad praxim quod attinet quam plurimis in [tum Italiae, tum exterarum Gentium] dioecesibus invaluit recolemus, qua primo in caso licentiae status a scholis elementaribus, gymnasialem vero altero in adjuncto requiruntur. Adsunt vero et alii qui, ut novos tirones curriculo theologico adscribant, laycalem status licentiam exquirunt; quod, ne omnium in moribus sit, haud levis paedagogica argumenta suadent.

CCLXXXVIII. Ad candidatorum aetatem quod spectat Tridentini Patres iubent: *In hoc Collegio recipantur qui ad minimum duodecim annos* [habeant][3]. Huius vero praecepti causas hisce proponunt: *Cum adolescentium aetas nisi recte instituatur prona sit ad mundi voluptates sequendas: et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret: Sancta Synodus statuit, ut singulae Cathedrales,* ect.[4]. Poüan vero haec ita exponit: *Ex egregio Gregorii Magni dicto, prima hominis aetas infantia est in qua sine peccato etsi vivat, nescit nihilominus fari innocentiam, qua circumornatus incedit, dum adolescentiam nactus, valet iam dicere quid velit: consequenterque aetas illa prima est in operatione vere et proprie libera, qua impuberes clero adscripti iuvenes uno debeant asylo congredi, ut lubricae tempestatis annos, non in luxuria disperdant, sed primis ecclesiasticae disciplinae agant excubiis... Quodque respiciens Sancta Synodus, medium aliquem, inter pueritiam, quae a septennio inchoatur et quatuordecim versus annum explicit, terminum amplexa est*[5]. Frances autem pie subdit: *Nisi mea fallit opinio, in duodecimo anno constituit* [Sancta Synodus] *utpote quae aetatem hanc ad discendum aptiorem fore firmius crederet, exemplum praebente ipso Christo Domino; qui anno aetatis suae humanae duodecimo, medio inter doctores in Templo sedens, nec docens, sed interrogans dignatus est inveniri*[6]. *Itaque* [monet Lucidi] *providentissime mater Ecclesia filios suos qui in sortem Domini vocantur, quanta*

[3] Loc. cit.
[4] Loc. cit.
[5] Op. cit., Par. II, Cap. II.
[6] Op. cit. Lib. IV, Cap. III.

maxima diligentia potest, a primis unguiculis bonitatem disciplinam et scientiam edoceri curat [1]. — Sint itaque tiunculi duodecim saltem annorum aetate; nam eam si nondum habeant, cum tenelli nimis sint, nemo nisi mater optime eos curare potest; iuxta vero S. Ecclesiae mentem domus institutoria iuvenum, et non hospitium lactantium Seminarium est. Quamobrem haec semper et ante Tridentinam Synodum Ecclesia retinuit, ut in Concilii Toletani decretis videre est [2]. — De candidatorum aetate S. Carolus Borromaeus valde sollicite inquirebat, dum scribit: *Cum quis in examen venerit eius aetas potissimum spectetur* [3], et alibi Vir Sanctus vult ut *omnes aetatis testificationes scriptas ac... probatas afferunt, quas nisi fideiussoris subscriptione signatas exhibeant, ne recipiantur* [4]. Idcirco in decreto de quo agimus apte statutum invenimus: *Quoad aetatem, regula a Tridentini Concilii dispositionibus praebetur* [5].

CCLXXXIX. — At de canditatorum maxima aetate quaestio esse potest, nam Tridentini verba *ad minimum* vario modo possunt intelligi, ut saepe laudatus Lucidi scribit. *Quod pertinet ad hanc Patrum Tridentinorum dispositionem circa aetatem duodecim annorum, quaeri potest an dictio ad minimum ita accipienda sit quod pueri intelligantur aetatis ante annum duodecimum, ita ut illud verbum aequivaleat particulae saltem, ceu aliquando fit penes latinos, ac finem significet ultra quem pueri nequeant admitti; an contra pueri, quorum aetas excedat duodecimum annum accipi debeant, et ea dictio ad minimum exprimat principium ex quo aetas computanda est. Prima opinio ex eo suaderi videtur quod Concili Tridentini Patres alumnos excipi praeceperint a teneris annis, quando vitiorum habitus eos nondum possederit. At si ultra duodecimum annum alumni admittantur, iam praetergressa erit aetas in qua innocentia, ut plurimum, evanescit, et malitiae aditus patefactus sit. Non ita pridem huiusmodi quaestio S. Congr. Conc. resolvenda delata est in Tarentina [alumni Seminarii, 6 Maii 1865, per*

[1] Op. cit. Par. II, cap. 6, n. 4.
[2] Cfr. Harduin, *Collect. Concil.*, t. II, coll. 1139.
[3] *Institut.* Par. I, cap. 9.
[4] Ibid., cap. 10.
[5] Art. 83.

summ. praec.], *in qua cum metropolitanum Capitulum ius obtinuerit eligendi duos alumnos in seminario diocesano Tarenti ad duo gratuita loca perfruenda, unusque locus ex hisce duobus vacasset, plures pueri eligendi sese obtulerunt, unus nempe annorum tredecim, alius annorum novem, alius octo, aliique minoris etiam aetatis. Itaque canonici Tarenti S. C. sciscitati sunt, an in urnam electionis is tantummodo qui tredecim annos attigerat foret immittendus, an vero etiam reliqui. Porro Eminentissimi Patres rescripserunt: Servetur dispositio Concil. Trid.; mihique aliunde innotuit eam fuisse Emorum Patrum mentem* [*quamvis non deessent aliqui cordati viri, qui aliter autumarent*] *ut verbum ad minimum intelligendum esset iuxta sensum secundae opinionis, idest, quod illi qui annum duodecim non attigissent ab urna excipiendi plane deberent* [1]. — Eamdem insuper sententiam de interpretatione verbi *ad minimum* adprobasse et S. Carolus Borromaeus videtur, scribens: *Quindecim annos nati, primae classis grammatices aut idonei sint, aut saltem sex mensium ad summum spatio habiles futuri sint* [2]. Insuper Vir Sanctus addit: *Qui decimum sextum compleverint, apti sint qui saltem gymnasio humanitatis adscribantur. Qui provectiores fuerint si decimum octavum annum attingerint, poterunt admitti ad primam classem humanitatis; qui vero aetatem excesserint apti sint iis classibus quae supra dispositae sunt ubi de studiis agitur* [3]. Haec vero [plus minusve] ubique et hodie servantur, nisi ea Seminaria excipias latissimarum dioec·ses ubi puerorum quoque scholae in Seminario habentur in quibus prima linguae vernacula rudimenta illi addiscunt. Sed hae domus [quippe quae Tridentino decreto haud consonae] vera Seminaria non constituunt.

CCXC. — De nimia vero aetatis maturitate quae quominus alumni excipiantur impediet, variae leges pro variis dioecesibus aut regionibus vigent, ut Lucidi quoque animadvertit [4]. Quamobrem etiam hac in re cavendum est ne quae viguere diu facile innoventur: varias enim locorum necessitates una tantum Ordinariorum aucto-

[1] Op. cit., cap. 6, § 1 n. 11.
[2] *Instit.* Par. I, cap. 9.
[3] Ibid.
[4] Loc. cit.

ritas recte aestimat. Ubi vero nihil est constitutum, illud iterum enixe commendandum ut omnes clerici omnem studiorum ecclesiasticorum cursum in Seminario percurrant. Quod etsi rigidum nimis praeceptum nonnumquam videri poterit, ad custodiendam tamen alumnorum pietatem et innocentiam, ad rectam mentis et cordis institutionem, et ad eorum vocationem probandam, fere necessarium putamus. Serotinae autem vocationes [etsi plerumque veraces ac maxime tutae appareant] multos abusus in ecclesiastica disciplina et communi vivenda vita pariunt. *Pueri* enim huiusmodi *centum annorum* sacerdolales mores lento conatu induunt atque communi regulae sero aptantur, et dum aetas prohibet ne studiorun curriculum omne fideliter expleant, adeo necessariam sacerdoti doctrinam summis labiis delibant ut perraro docti satis sacerdotes evadant. *Senes enim atque indoctos quis sperat*, ait S. Alphonsus, *optimos Ecclesiae operarios futuros?* [1]. Quamvis S. Carolus Borromaeus [ut ex dictis apparet] serotinas vocationes non spernat, tamen, ut plurimum, ne ludibrio aut admirationi sociis eorumve parentibus fiat, cavendum maxime est ne quis ultra decimum sextum aetatis annum admittatur, dum ille tamen aequalium suorum studia sequi valeat.

CCXCI. — Si autem clericus, canonica aetate ad presbyteratum suscipiendum necessaria destitutus, studiorum curriculum iam expleverit, Seminarium ne linquat, et interea disciplinis ecclesiasticis magis magisque se applicet curandum est. Immo, cum constans experientia doceat quantum neo-sacerdotibus, vix e Seminario egressis, saeculi corruptio discrimen comparet, illud quoque optimum est [quod Taurinensi in Archidioecesi Collegium a *Deipara Consolatrice* vocatum curat] ut primum sacerdotii tempus [fere ad biennium] communi et suavi regulae servientes, e mundi strepitu atque illecebris segregati, in recessu ducant. Ibi enim, perito Moderatori, qui prudentia ac sanctitate vitae exornatus, ad omne ministerium eos instruat, subiecti, perarduam sacerdotii exercendi artem addiscent, et sensim sine sensu apo-

[1] *Regolamento pei Seminari*, § 1, n. 4.

stolico gerendo muneri apti fient. Hisce cautelis Episcopo novos altaris ministros eorumque virtutes melius aestimare et firmare licet, eorumque iuventam a discriminibus tueri quibus saeculum eis diabolice insidiatur, prout Pius PP. X quoque hisce suadet: *Sacerdotio initiati recens atque e Seminario egressi industrias vestras ne desiderent. Eos, ex animo hortamur, pectori vestro* [*quod caelesti igne calere oportet*] *admovete saepius, incendite, inflammate ut uni Deo et lucris animarum inhient* [1].

§ V. — De re familiari aestimanda.

Summae rerum. — CCXCII. De ea aestimanda. — CCXCIII. Normae ad rem. — CCXCIV. De restitutione a quibusdam facienda. — CCXCV. Quid de quadam in re consuetudine tenendum. — CCXCVI. De locis gratuitis constituendis. — CCXCVII. Eorum diversae species. — CCXCVIII. Quae in re industriae tum a testatoribus, tunc ab Ordinariis adhibendae sint.

CCXCII. — De re familiari tironum aestimanda Sancta Tridentina Synodus praecipit: *pauperum filios praecipue eligi vult, nec ditiorum excludi, modo suo sumptu alantur et studium praeseferant Deo et Ecclesiae inserviendi* [2]. Quae decreti verba hisce Poüan optime commentatur: *Pauperum miserta S. Synodus, praenoscensque apprime quantum possit virtutis et spei apud meliores Domini Iesu amicorum filios reperiri, ipsos praecipue eligi voluit, vere sapienter, vere sancte, vere pie: in quo ceterum huic iuris dispositioni sese conformem exhibuit, qua discipulos pauperes docere gratis iubentur magistri. Enimvero Seminariis ad virtutes, litteras et scientias ediscendas institutis, pauperes in haec admittere, imo et anteponere iure congruebat. Namque, tanta est paupertatis cum sapientia affinitas, ut illam reputaverit aliquis unam e clavibus per quam huius ianua aperiatur, dixeritque Augustinus: Omnis philosophiae magistra nobis est inopia* [3]. Haec decernendo Patres, dum pauperum liberis succurrere

[1] Encycl. *E suprem. apostolat.*, die 4 oct. 1908. — Cfr. Eiusd. epist. ad Em. Boschi, die 15 nov. 1909.

[2] Loc. cit.

[3] Op. cit., Par. II, cap. 2.

potissime voluere, optimates aut divites Sanctuario non repulere, eos tantum ea conditione *ut suo sumptu alantur et studium praeseferant Deo et Ecclesiae inserviendi* admitti iussere. Nam, etiamsi integrum et annuum stipendium divites solvant, adeo [plerumque] exiguum est, ut ipsi quodammodo Ecclesiae caritate, fere in omnibus, sustineantur. Quae, caute quidem sed satis libere, ditioribus alumnis memoranda sunt, cum [superbia, interdum, aut contumacia moti] solvere sese sui victus expensas asserunt, atque [non sine arrogantia] indebita sibi vindicant vel arrogantiam ostendunt.

CCCXIII — De paupertate vero alumni aestimanda variae iurisperitorum sententiae habentur; de practica siquidem verborum significatione dissentiunt. Non enim, [ut Poüan adnotat] eadem sibi volunt *paupertas, inopia, mendicitas, penuria, egestas* [1]. *Verumtamen*, scribit Frances, *paupertatis et inopiae nomina cum constet in iure persaepe confundi, ideo non ita scrupulose interpretandum est praeceptum illud filios pauperum potissimum admittendi ut omne id iudicio Episcopi non reliquantur, prout in aliis similibus iuris quaestionibus, quarum, ex facti personarumque circumstantiis, solutio pendeat, late defendunt doctores* [2]. — Praterea *paupertas* aequiparari cum *mendicitate* non debet; nam si S. Carolus Borromaeus pauperes seligebat passim, haud excipiebat mendicos [3], illud forte timens ne, ut paupertas virtutes gignit, mendicitas vitia pareret. — Pauper itaque est qui suum iuxta ordinem nequit agere vitam. *Non est paupertas habere nihil*, Martialis poeta cecinit; quamobrem Salomon rex deprecabatur: *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria* [4]. Idcirco cum novi clerici eligendi fuerint, normas ad rem a Poüan statutae prae oculis habeantur: *Si aliquid proponendae sint veri et aequi similiores regulae, illum addemus pauperem esse dicendum et quo talem admittendum, qui sufficientia pro sua conditione bona non habet, vel ita debitis implicatur, ut, soluto aere alieno, amplius*

[1] Loc. cit. n. 3-4.
[2] Op. et loc. cit., n. 24. — Cfr. S. Rot., *divers.* p. II, decis. XLXIII, [3] *Instiut.*, Par. I, Cap. 9.
[4] Prov. XXX, 7.

iam non habeat, quod quidem toto iure romano et canonico stabilitur. Pauper iterum ille dicendus est qui secundum suam conditionem vivere non valet, etiamsi artem habeat cuius exercitium indecorum esset secundum natalium suorum rationem. Posita autem alicuius candidati paupertate, eligi debet, modò tamen nulla obstet pietatis, misericordiae, vel utilitatis causa. Habita demum paupertatis occasione idoneus pauper minus idoneo, egenus dignior digno praeferendus est: pauper nobilis ignobili, pauper magnis dotibus ingenii praeditus, quod quidem per concursum aliquem praevium facile dignosci potest, pauperi hisce destituto: pietate demum praecellens ei qui minus virtute illa sese exhiberet conspicuum [1]. Quidquid sit, *investitu, victu, atque aliis omnibus nullum penitus discrimen sit inter filios divitum et pauperum* [2]; secus enim omnis caritas exsulabit [3]. — Nonnullis autem in dioecesibus duo Seminaria ad rem ditioribus unum. pauperibus alterum, variis pretiis atque vario victu, patent; quae si dissitis in aedibus disponi interdum licet, una vero eademque in domo numquam locum obtineant. Sed et cum id cautum fuerit, nemo, plus quam par sit, rem divulget, aut titulum ostiis *Seminarium pauperum* vel *divitum* imponat; quae imprudens agendi ratio illos dum deprimit, istos effert, caritatem autem delet.

CCXCIV. — Ex dictis effluit conscientiae officium quo tenentur alumni qui [propria culpa] sacerdotio non suscepto e Seminario recedunt sarciendi, scilicet, damna eidem Seminario illata: itemque in re ius Seminarii [4]. Quoad primum S. Carolus Borromaeus scribit: *Illud omnes* [clericos] *meminerint nisi bene et religiose se gesserint fore ut eiciantur e Seminario, atque compellatur sponsor ut totum id*

[1] Op. cit., Par. II. cap. 2, n. 4.

[2] Tomasius, Op. cit. pag. 171.

[3] An vero filii eorum qui Seminario famulantur [quorum nimirum pro alimonia pater, conducta opera, pretium solvit] excipiendi sint controverti tur. At si quod sentimus libere aperire licet dissuademus. Quidquid sit hi eo magis haud recipiendi sunt qui sui victus pretium, famulatu sociis alumnis praestito, exhiberent.

[4] Cfr. in *Nonnullius*, 1, dec. 1685.

dependat quod pro illis spoponderit[1]. Quoad secundum triplex casus distinguendus est, scilicet:

1) Cum alumni gratuitos locos occupavere quorum a Conditoribus nulla constituta conditio fuerit, tunc ad sarciendum inlatum detrimentum haud tenentur. *Huic sententiae* [Lucidi scribit] *adstipulatur paene universalis consuetudo omnium dioeceseos, quae, ut plurimum, nullam ab hisce ecclesiastici tyrocinii desertoribus exigunt restitutionem*[2].

2) Cum alumni gratuitos habuere locos quibus etsi non Conditor vel testator, sed Dioecesana Synodus addidit clausula restitutionis in integrum, tunc hac restitutione clerici sponsoresque eorum tenentur[3].

3) Si alumni bonis fruiti fuerint a testatoribus elargitis statuta conditione restitutionis in integrum, tunc restitutionis lege semper tenentur, atque ius illam repetendi Seminarium semper[4] habet.

CCXCV. — Consuetudinem vero illam [quibusdam in dioecesis invectam] qua promissione resarciendi praetium cum [aucti sacerdotio] in ministerio apostolico incumbent Sacro in Instituto clerici aluntur omnino fallacem putamus. Quotidiana enim experientia docemur has pollicitationes adeo inanes omnino evadere, vel tam exiguo effectu [constanti cura et sollecitudine carpto] ut in praxi omino dissuadendae. Potiusquam igitur in posterum confidere, ecclesiastica beneficentia uti quam maxime prestat. *Si foeneraveris quasi perditum habe*[5] monet Sapiens.

CCXCVI. — Ex dictis patet quantum interest clericis pauperibus bona ad eos gratis alendos constituere[6]. Haec caritatis piissima ratio plurimis commendationibus, nostra praesertim aetate, digna est, cum pleraque bene-

[1] *Institut.* Par. III cap. 7.

[2] Op. cit. vol. II, cap. I, § I. n. 22.

[3] Cfr. Van-Espen, *Iur. Eccl.* Par. II sect. I, tit. II, cap. I, n. 15. — S. C. C. *in Romana*, April, 1867; Lucidi, Op. et, loc cit., n. 23.

[4] Cfr. Decis. S. Conc. Congr. *in Tiburtina*, 11 Mart. 1752, atque *in Ferrarien*, 30 Ian. 1821.

[5] Eccl., VIII. 15.

[6] Cfr. Leo XIII, Epistol. *ad Episcop. Nicens*, die 5 Ian., 1899; in *Mechlin*, 27 Sept. 1839; in *Brugens*, 3 Sept 1839; in *Sabinens*, 5 Nov. 1839; in *Hyeracens*, 27 Mart. 1840.

ficentiae opera corporum tantum necessitatibus subveniunt, animarum autem necessitati et Ecclesiae utilitati pauci succurrunt. Quod praesertim a divitibus sacerdotibus ita perpendendum est, ut bona ab Ecclesia accepta, Ecclesiae facilius restituantur. — At, quum ad praxim quod attinet, argumentum quod attingimus magni momenti sit, quaedam quae ad rem faciunt sub silentio haud praetereunda ducimus. Idcirco de huius charitatis diversis speciebus ac modis primum, et de ad rem tum a testatoribus, tum ab Ordinaris industriis servandis postea dicemus.

CCXCVII. — Huius beneficentiae diversae species habentur, quae, ut plurimum, in his quae cum, vel absque conditione conduntur, continentur.

a) Gratuita loca inconditionata sunt quum charitati nullam exceptionem testator facit, et hoc unum ut, scilicet pecunia ab ipso donata in clericorum institutionem impendatur, ipse statuit: coetera vero omnia Ordinarii arbitrio committit.

b) Gratuita loca cum condicione habentur quum, e contrario, quosdam intra limites personarum, originis loci, adiudicationis, scholarum, pecuniae momenti, largitionis durationis, juris statuendi, suam charitatem testator coarctatur. Quae omnia quum satis superque ex se constent sub silentio praeterimus.

CCXCVIII. — Industrias vero ad rem Ordinariis Institutoribusque adhibendas sic, brevi calamo, perstringimus.

a) Ut testatores [in quantum fieri potest] dum vivunt omnia ad rem, secura ratione, disponant suadeantur. Quae enim post limina eventura sint ipsi nesciunt, et si haud securo modo eorum voluntatem tueantur, contestationes [1] ac, interdum, et dilapidationes habentur, quibus omnis testatoris voluntas praepeditur ac pessumdatur. Idcirco in huiusmodi legatis constituendis multa cautela adhibenda est, ne coeterorum cupiditatibus via diripiendi pateat; ideoque ut nullum detestatoris voluntate dubium ex tabulis oriatur bene definitis pactionibus oportet illa muniri. — Dioecesis

[1] Cfr. Lucidi., Op. cit., Vol. II, Cap 4, n. 4.

Ordinario pecuniam testatores committant, et, ut pluiimum, suae administrationi ac collationi libere relinquant.

b) Ut superioris ordinis studia testatores adjuvent, et potiusquam multum, pauca at bene agant Ordinarius suadeat. Uno verbo, hoc in negocio ita Episcopus se gerat ut maximum Ecclesiae bonum ex fidelium charitate habeatur.

c) Sacram sanctamque testatoris voluntatem omnes habeant quod tum quoad substantiam, tum quoad accidentia sedulo fideliterque servandum. In primis igitur et ante omnia clericalis institutionis finem sedulo tueantur, nec quae pro Sanctuario donata sunt, ullo modo laicis impendant. Idcirco intentionem sacro ministerio sese mancipandi et vocationis indicia candidati praeseferant, et quo certius eo melius. Quum insuper pro indigentibus tantum haec loca gratuita constituantur, bene habentibus ullo pacto elargiantur. Quod si alias in re supra enumeratas condiciones a testatore praefiniantur, omnia, ab omnibus, omni pacto tueantur. Si vero tirones qui descriptis conditionibus polleant desint, vacui tamen alumnorum loci ne relinquantur; sed [ut Sacra Congregatio Concilii saepe censuit [1]] praecipua saltem testatoris voluntas impleatur, atque clerici aliunde deducti iis bonis utantur. Uno verbo, in his elargitionibus constituendis tum erga Ecclesiam. tum erga testatores, ac tirones justitiae leges adeo adamussim serventur, ut non quod sibi vel sollecitatoribus, sed quod ecclesiasticae institutioni magis utile censetur consulatur. Ne vero, partialitatis notam Ordinarius incurrat haec gratuita loca, concursus praehabendos, publice ac ex tempore renuntiare et victoribus decernere juvabit. Quod praesertim [ut alibi enucleabimus] ad aemulationem in alumnos excitandam fovendamque plurimum valebit.

d) Pecunia ad rem a testatore donata adeo secura ratione administretur ut fideliter servetur. Quod per se patet.

[1] *In Spoletan.* 23 Mart. 1860, et *Montisfalic.* 2 Dic. 1829 ecc.

§ VI. — De iure civitatis.

Summae rerum. — CCXCIX. Quomodo haec condicio sumenda sit. — CCC. Quae in re a Legislatore praecipiantur. — CCCI. De extradioecesanis S. C. Concilii decretum. — CCCII Quanti eius observantia facienda sit. — CCCIII. De his, qui studiorum causa Urbem adeunt. — CCCIV. Ad rem leges.

CCXCIX. — De iure civitatis in tironibus requisito *Sancta Synodus statuit ut singulae Cathedrales, Metropolitanae, atque his maiores Ecclesiae, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine, certum puerorum ipsius civitatis et dioecesis, vel eius provinciae, si ibi non reperiantur, numerum, in Collegio ad hoc... instituere teneantur* [1]. Cum singula dioecesana Seminaria dioecesanis bonis sint, plerumque, condita, ius est ut suae dioecesis tantum alumnis pateant, qui in eius commodum deinde adlaborent. Secus enim bona in huius dioeceseos commodum legata, in alterius utilitatem, iniusta [commutatione] erogarentur. Neque dicat quis haec tantum de alumnis gratis institutis intelligenda esse; nam [ut adnotavimus] etiam ceteri qui proprio sumptu aluntur haud parvam utilitatem ex Ecclesiae caritate obtinent. Quae omnia de dioecesanis Seminariis tantum intelligenda sunt; nam si de nationalibus vel provincialibus sermo sit, quum haec ex variis dioecesibus oblatis impensis sustineantur aliter omnino dicendum.

CCC. — Ad rem vero decreti de quo agimus verba recolere juvat quibus S. Congregatio EE. et RR. iterata iussa a S. C. Concilii jam edicta confirmans, Ordinariis *suorum dioeceseon alumnos privatim, sive extra* sui *Seminarii septa studiorum curriculum dimetiri permitti* prohibet [2]. Si autem huius praecepti litteram rigido omnino consilio interpretemur, clericos tantum suis in dioecesibus excoli, studiorumque curriculum dimetiri posse arguendum

[1] Loc. cit. — Cfr. in *Feretrana*, 10 Iun. 1741; ecc.

[2] Art. c. 8.

foret. Attamen de ordinaria et communi clericorum institutione solum hae ordinationes intelligenda sunt. Nam si de peculiari et [uti aiunt] complementari et altioris ordinis [Romae vel alibi in Pontificiis Facultatibus habenda] sermo sit, Episcopis aliquot suae dioecesi clericos mittere posse nullum dubium extat. Caeterum huius legis exacta observantia [ex qua plura praecaventur incommoda] numquam satis laudabitur.

CCCI. — De extradioecesanis excipiendis nunc quaestio est; ad quam solvendam quae de ab aliis Seminariis redeuntes mox diximus heic quoque in primis et ante omnia prae oculis habeantur, quum et hi extradioecesani sint. Insuper canonicae vel paedagogicae ad rem peculiares canonicas leges continuo prae oculis habeantur; quae variae sunt pro tribus casibus qui sequuntur:

I Casus. — Si ex iuxtis ac legitimis causis, Episcopo suo probatis, suum Seminarium ita quis linquat ut suae dioecesi semper incardinatum maneat, tunc:

a) Episcopus diocesanus cum alio Episcopo negotium fideliter gerat, neque tironem aut eius patronos, sese inaudito, id agere sinat[1].

b) Legitimus Ordinarius, variis pro adiunctis, discedenti tironi hoc vel alterum Seminarium indicet, cuius tamen amplissima doctrinae et disciplinae laus cognita fuerit.

c) Ordinarius ad quem tiro pertinet, frequens de suo clerico [ut ius monet, atque munus exigit] inquirat, crebrisque litteris sciscitetur. Alumnus autem Ordinarium illum suum tamquam Praelatum veneretur et honoret.

d) Clericus in alia dioecesi receptus, sese in suam dioecesim reversurum, sive expleto studiorum cursu, sive ad Ordinarii vel Rectoris nutum, despondeat[2]. — Seminarium enim, ut a legitimo

[1] Decret. *Vetuit*, Congr. Concil. supr. cit., n. 1.

[2] Cfr. Pii PP. X, Epist. *La Ristorazione*, die 5 maj 1904, ad *Eminent. Urbis Vicarium* n. 6.

Episcopo alumnum accipit, ita illum reddere tenetur. Alias vero peregrinantes undique clericos, vel sacerdotes qui nullam sedem seligent, nullo ministerio satis constanter fungentur, inutiles plerumque sibi, ovibusque nocentes, videbis. Quae praecepta in Seminariis praesertim provincialibus et nationalibus diligenter servanda sunt, ut Ordinario suo subesse a prima aetate alumni addiscant, neve auctoritatis eius umquam obliviscantur.

II Casus. — Si alumnus, aut vocationis gratia deficiente, aut alia de causa, suo e Seminario pulsus fuerit, tunc [uti mox jam monuimus]:

a) Alio in Seminario illum recipere omnino vetitum est. *Quod si constiterit* [quod fuerat olim e suo Seminario dimissus] *omittens iudicare de causis, aut determinare utrum iuste aut iniuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti praecludat* [1].

c) Ad incardinationem deveniri non potest nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua dioecesis fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, de eius natalibus, vita, ac studiis, sed praesertim de honesta dimissionis causa, opportuna testimonia [2].

d) Hac ratione adscripti possunt quidem ad Ordines promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendae, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod sicut Tridentinum statuit [3], *nullus debet ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis*, ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate dioecesis [4].

e) Quoad clericos vero diversae linguae et nationis oportet ut Episcopi in iis admittendis

[1] Decret. *Vetuit*, n. 1.
[2] S. C. Concil. decret. *A primis*, die 20 Iul. 1898, *n.* 2.
[3] Sess. 23, *De Reformatione*, c. 16.
[4] Cfr. decret. S. C. Concil. cit., n. 4.

cautius et severius procedant, ac nunquam eos recipiant nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia [1].

III Casus. — Si candidatus laicus fuerit:

a) Dimissio ab Episcopo proprio ex iusta causa, in scriptis et pro determinata dioecesi concedatur [2].

b) Acceptatio ne fiat nisi servatis regulis quae pro clericis *incardinandis* superius sunt recensitae; et servato quoque decreto *Vetuit* [3] quoad alumnos a Seminariis dimissos.

c) Iuramentum ad tramitem Constitutionis *Speculatores* requisitum praestandum est ante clericalem tonsuram. — Verum cum obligatio permanendi in dioecesi non propria, eique in perpetuum serviendi, ante maiorem aetatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, cavendum est ab Episcopis ne ad clericalem tonsuram admittant qui aetate maior non sit [4].

CCCII. — Sapientissimae hae leges a S. Sede promulgatae sunt ut multis disciplinae ecclesiasticae malis mederetur; quas proinde non observare, nefas coram Deo et hominibus erit. — Clericorum enim ex uno in alterum Seminarium peregrinatio [quam nonnullae Nationes et regiones prorsus ignorant], maximi detrimenti causa postrema est. Nam Clericos in suae dioecesis Seminario institui, sub oculis Episcopi qui eos tandem ad sacros ordines promoveat, Tridentini Concilii perspicua mens fuit, a decreto de quo agimus aperte firmata. Alumnis autem arbitrium eligendi Seminarium non sine gravi ordinis perturbatione atque misera disciplinae iactura conceditur. Disciplina enim iubet, alumnos certo atque constanti regimini esse subiectos, neque cum corrigi sese aut corripi senserint auferre,

[1] Id., Ibid., n. 5.
[2] Decret. *De Excardinat. et Ord.* S. C. Concil. die 24 nov. 1906, n. 1.
[3] S. C. Concil. die XXII dec. 1995,
[4] Eiusd. deiret. die 24 nov. 1906 n. 2.

neque mutare eos sinit. — Causae tamen mutandi Seminarium legitimae esse possunt, ut ratio valetudinis, vel gravis Rectorem inter et alumnos querelae, aut familiae immigrationis, aut alicuius contubernalis vitanda consuetudo. Tunc vero, quae a S. C. Concilii statuta fuere, servanda sedulo sunt [1]. Ceterum animadvertendum est quod, plerumque, migrantes huiusmodi aves nidum sibi nullum inveniunt; nam non quod bonum animae sit, sed quod dulcius et commodius, inquieti fere semper, quaerunt. Nil mirum igitur si hi huc illuc peregrinando raro sanctificentur, et si potius incommoda quam emolumenta quae hinc inde habentur, sibi primum, dioecesi deinde [ubi scientia forsan honusti, at sanctitate pauperes redeunt] comparent. Rectores igitur [iterum iterumque admonemus] Apostolicis in re prudentissimis praeceptis pareant, et quo sedulior, tum Seminario, tum dioecesi tum Ecclesiae universae eo major bonum comparabunt. Heic quoque experientia plurimum docebit!

CCCIII. — Hactenus dicta de illis quoque retinenda sunt qui, sive variis ab Italiae regionibus, sive ab externis omnibus christiani orbis gentibus, Romam veniunt; romanum enim nomen multos, ob Pontificiae Sedis splendorem, allicit. Nonnulli quoque sunt qui sua Seminaria [quasi optimo studiorum ordine carentia] linquentes, Romana ad Athenaea concurrunt ut laurea deinde philosophica, vel theologica, vel in iuris disciplina sibi comparata, insignes in plebe fiant; alii quoque ut patronos in Urbe sibi inveniant potentes quorum auxilio honorum cursus quandoque ingrediantur: nonnulli quoque [stulta hac ambitione decepti], qui stipendia suo in Seminario solvere nequiverant, urbana in Seminaria maiora facillime solvunt. Saepe vero perarduo studiorum cursui [quem Romana Athenaea, ut plurimum, persequuntur] inepti ii tirones nihil proficiunt, tempus otio terunt, nullos academicos gradus lucrantur, suam in dioecesim, fere omni doctrina ieiuni, usurpatis tantum romanorum studiorum fama et forsan diplomate, redeunt, et superbia tumen-

[1] Decret. die 24 Nov. 1906 sup. cit., n. 3.

tes atque ignorantia laborantes, dum ad nullum apti ministerium sunt, suis tamen Ordinariis incredibilem molestiam afferunt. Haec autem quamvis haud semper eveniant, non rarae tamen Ordinariorum querelae audiuntur de sacerdotibus suis Roma redeuntibus, qui, omni doctrina exornati, sed pari forte superbia elati, oneris potius et discordiae, quam adiumenti et obedientiae in diocesi evaserunt. Quae omnia ut vitentur, dum omnes clericorum Magistri vel Moderatores Romae adlaborant, ipsi Ordinarii pro sua parte iuvent, nullum in Urbem mittentes [ut cum Pii PP. X verbis mox dicemus] nisi pium atque perspicuo ingenio praeditum, cuius de futuro apostolico ministerio non communis spes arrideat. Quod ad evulgandum magis magisque per orbem Romanae Urbis nomen et apostolicas institutiones plurimum proderit.

CCCIV. — Quae leges extra-diocesanos clericos Romae devinciant Epistolae tres ad rem ab E.mo Urbis Vicario [1] ad omnes Episcopos missae dicunt, et alia epistola SS. D.ni Nostri Pii PP. X ad eumdem E.mum Virum [2], ex quibus quae sequuntur enucleabimus:

a) Qui extra-diocesani studiorum causa Romam adire queant. — Hi sunto qui, praecipuo ingenio atque pietate praediti, insuetam dioecesi suae utilitatem promittant ac polliceantur.

b) Haud satis erit eos licentia discedendi ab Ordinario muniri, sed requiritur eos *expressa missione*, scripto data, Romam mitti [3].

c) Ordinariis, qui alumnos Romam mittunt, despondendum est [vel post exactum studiorum cursum, vel cum alia de causa a Seminariorum Rectoribus illi dimissi fuerint] sese, iterum eos recepturos [4]. — Multi enim cum Romam semel advenerint, manere ibi, omni nisu, contendunt, sicque dum dioecesis selectis apostolis privatur, urbanum solum undi-

[1] Datae die 10 augusti 1901, 15 augusti 1903, et 15 iunii 1904.
[2] Die 5 maii 1904.
[3] Epist. SS. Domini Nostri Pii Papae X, supiac. n. 1.
[4] Id. Ibid. n. 3.

que vementibus sollicitatoribus refertum est; quae in sacerdotale decus haud ferme cedunt.

d) Omnes Romam advenientes Seminarium ingredi tenentur, sive malint philosophiae vel theologiae aut iuri canonico vel civili studere, sive litteris vel disciplinis in publici Regni Athenaeis incumbere, sive penes Sacras Romanas Congregationes earum praxim addiscere velint — Seminaria autem eis praesto sunt Romanum, [quibusdam tantum pro diocesibus] Vaticanum, Capranicense, Leonianum, vel Collegium Filiorum Mariae. Prohibentur autem in laicorum adolescentium collegiis manere, quamvis in eis praefecti munere sint functuri [1].

e) Alumni vel ex exteris Europae regionibus, vel undique ex Orbe christiano advenientes, suae gentis in collegiis vivant, vel, cum locum ibi non adinvenerint, unum aut alterum ex praedictis seminariis adeant [2].

f) Instructio a S. Episc. ac Reg. Congregatione [die 21 iulii a. 1896] data de clericis qui reipublicae athenaea adeunt, omnino adeo viget [3].

Hisce legibus devincti, iuxta veterem Ecclesiae disciplinam, ad vitam communem exigendam clerici tenentur, quam *testem et custodem honestatis* [4] Augustinus dixit. Quae omnia si et ubicunque clerici externi habentur in praxim deducantur, tum ipsis, tum populo christiano, dum haud exigua detrimenta adimerentur, plurima, e contrario, adiumenta comparentur. Quanta enim hodiedum ubique, praesertim iuvenibus clericis in saeculo morantibus pericula immineant, omnes qui aliqua in re experientia polleant facile concedent; quo fit ut si sapientissima in re pontificia pro Urbe edita documenta, et in coeteris omnibus dioecesibus serventur, eaedem saltem quae pro Urbe institutioni clericali emolumenta feliciter compari possint. Mutatis enim mutandis, mundus ubique habetur.

[1] Epist. SS. D. N. Pii Papae X ad E.mi Urbis Vicarium, die 5 maii 1904, n. 8.

[2] Id. Ibid. n. 5.

[3] Epist. E.mi Urbis Vicarii, die 13 augusti 1903,

[4] Sermo 49, *De diversis.*

§ VII. — De praxi qua suscipiendi sunt Seminarii candidati, deque suo vario ordine.

Summae rerum. — CCCV. Qui alumni suscipiendi sint. — CCCVI. Qua anni tempestate. — CCCVII. Quae ad rem documenta servanda sint. — CCCVIII. De informationibus exquirendis — CCCIX. De periculo subeundo. — CCCX. De status novi tironis conficiendo. — CCCXI. Quae in re a S. C. praecipiantur. — CCCXII. De fideiussore. — CCCXIII. De singulorum clericorum positione.

CCCV. — Qui alumni sint excipiendi ex dictis patet, nimirum hi tantum qui tum generales, tum canonicas qualitates superius indigitatas possideant et qui, nisi peculiares de re adsint ordinationes, per scholasticum annum, ibi, diu noctuque, moram vitamque communem ducunt. De quo satis superque pluries diximus. Ex toto igitur corde Seminariis omnibus tum oeconomicam, tum moralem libertatem alumnos externos a se arcendi auspicamus. Nam [iterum iterumque admonemus] experientia teste, multa graviaque mala haec heterogenea commixtio alumnorum omnibus comparat.

CCCVI. — De anni tempestate qua admittere et accipere tirones liceat variae habentur consuetudines.

a) Admissionis, idest acceptationis tempus S. Carolus Borromaeus sic indigitat: *Quamvis Reverendissimo Archiepiscopo liberum sit quovis tempore clericos in Seminarium recipere: utilius tamen videtur fore si id tantum paucis ante vel post... Nativitatis B. M. Virginis festivitatem diebus faciat*[2]. Quibusdam vero in dioecesibus huius admissionis tempus, a prima die mensis septembris usque ad quatuor autunnalis tempora pressius statuitur.

b) Receptionis autem seu introiti tempus apud nos, ut plurimum die IV nov. est. Quidquid in re peculiares locorum consuetudines velint, constans experientia docet

[1] *Instit.*, Par. I, cap. 10. [2] Ibid., par. I. c. 9.

post initum studiorum annum [nisi forte peculiaris ratio suadeat] novos tirones haud esse admittendos. Utcumque autem Episcopo de re decernere placuerit, non ultra tamen decimamquintam diem antequam Seminarium iterum pateat res differatur. — Tum postulationis, tum receptionis tempus certum esse et per omnem dioecesim notum oportet.

CCCVII. — Documenta tironibus vel eorum Parentibus ad seminarium ingrediendum exhibenda haec sunt:

1) Supplex libellus. — *Qui in Seminarium optabunt admitti, Vicarii item foranei qui aliquos proponent mense saltem ante praedictos dies ad Reverendissimum Archiepiscopum tabellas supplices deferant, in quibus descriptum sit nomen et cognomen eius qui petit admitti, patris, parochiae, locis et plebis si ex diocesi sit, portae si in civitate domicilium habeat*[1]. Ad Episcopum vel Seminarii Rectorem, a parentibus vel a tutore, tiro est mittendus qui hoc modo sponsores et fideiussores pueri fiunt, cuius ad institutionem sese cooperaturos promittunt. Ne vero supplex libellus aequivocis aut inutilibus verbis scateat, specimen ad rem habere typis impressum optimum videtur[2].

2) Ortus atque baptismi publica attestatio, sive a parocho, sive a tironis Curionibus signata exhibeatur, quae [alio licet ritu] S. Carolus inquirebat, ut et de aetate tironis et de legitimo eius ortu certior fieret, ut ipse scribit: *Omnes aetatis et natalium testificationes scriptas ac illius iudicio qui a nobis constitutus fuerit, probata afferant: quas nisi eiusdem [fideiussoris] subscriptionem exhibeant, ne recipiantur*[3]. In decreto vero de quo agimus habetur; *Baptismatis ac confirmationis* [si hoc iam susceperint Sacramentum] *documenta exhibeant*[4].

3) Litterae testimoniales de legitimi parentum matrimonium ac bonis pueri moribus explicitae quidem ac veraces a praecipua loci vel oppidi

[1] S. Carol. Borr. *Institut.* Par. 1. cap. 9.
[2] Cfr. Paradygma ad calc. volumin.
[3] *Institution.*, Par. I. cap. 9.
[4] Artic. 81.
[5] Ibid.

ecclesiastica dignitate subscriptae addantur. Ad rem in decreto habetur: *Legitimi parentum matrimonii, ac bonae vitae rationis documenta a Parocho vel a Moderatoribus Institutorum in quibus forte comoratus sit dimissa candidati vel eorum vices gerentes exibeant* [1].

4) Publicum testimonium de *bona corporis constitutione ac de insito in pueri membra vaccini viru*[2] adsit.

5) Medici testimonium de optima pueri valetudine accedat[3]. — Cum enim gravi defectu puer laboret qui aut charitatis discrimen nimia turpidudine facile indicat, aut vitae communis impotem illum reddat, omnino reiiciendus ille erit. Opportunum autem summopere ducimus si pueri valetudinem seminarii medicus aliquantulum lustret atque examinet[4]. Cuius medici auxilium perutile plerumque habendum Rectoribus est, ut per ipsum ea, caveant, quae secus parardua provisui forent. Nam, plerumque, pagi vel familiae medici [amicitiae potiusquam sinceritati servientes], fallacii plurimisque verbis veritatem celant, et cum, ut plurimum, vitae communis necessitates ignorant, de tironum sanitate relate ad Seminarium apte iudicare nequeunt.

CCCVIII. — Informationes de puero diligentissime et caute sunt requirendae ut S. Carolus monet scribens: *His confectis Rector* [*nisi malit Reverendissimus Archiepiscopus hoc munus alteri delegare*] *de eius vita et moribus, si in Civitate habitet a Praefecto Portae aliisque probatis viris: sin externus sit, a Vicario foraneo, aliisque fide dignis testibus secreto cognoscet*[5]. Locorum autem ubi puer natus sit vel diu moratus, parochi potissimum audiendi erunt, scripto vel voce, sed secreto semper sanctissime custodito: audiendus vero ille etiam erit vel si parentibus pueri scriptam iam attestationem tradiderit; publicis enim documentis haud raro pium mendacium abditum videmus. Neque tamen

[1] Artic. 81.
[2] Ibid.
[3] Cfr. ibid.
[4] Cfr. Decret. Appendic. art. 15.
[5] *Institut.*, Par. I, cap. 9.

audiendus ipse tantum, sed a pluribus prudentibus simul sciscitandae sunt de puero notitiae, non vero ab eis quos iam aut nimis illi adversos, aut nimis privata causa atque iniusta propitios, vel tuae ipsi sententiae consentientes praenoveris. In hisce autem inquisitionibus necesse est certas quaestiones proponere, ne vanus nimis atque inutilis responsus evadat, neve pateat timidis respondentibus effugium. — Quaestionum specimen a S. Carolo Borromaeo propositum hic damus; aliud autem, aetati nostrae magis consonum, in calce voluminis appingimus [1].

1) *An singulis saltem mensibus, peccata sua probato sacerdoti confessus sit, Sanctissimamque Eucharistiam sumpserit.*

2) *An scholis doctrinae christianae in Ecclesia, statutis diebus ac horis, interfuerit.*

3) *An talari vestitu ad praescriptam formam usus sit ab eo tempore quo concessu Reverendissimi Archiepiscopi clericalem habitum induit; cuius etiam licentiam scriptam exhibeat antequam in Seminarium recipiatur.*

4) *An diebus festis in Ecclesia, superpelliceo indutus, divinis officiis religiose interfuerit, seduloque inservierit.*

5) *An ludum litterarium frequentaverit: huiusque rei testimonium etiam a praeceptore ipse afferat.*

6) *An cum laicis versatus sit, ac ii quibus moribus praediti.*

7) *An arma ferat, aliaque huiusmodi* [2].

CCCIX. — Quum omnia hactenus recensita innotuerint et optime puero faverint, ad litterarium periculum is invitandus erit, de quo alibi diximus [3]. Tum vero scripta experimenta, tum suffragia post oralem pueri auditionem lata, ab examinatore ad Rectorem sedulo mittantur. Quod si periculum bene cesserit, tunc pueri parentes eiusque parochus [atque, si alienae dioceseos tiro fuerit, Ordinarius] de eius receptione certiores fient, ut curam eius qui *in sortem Domini vocatus* suscipiant, et dies simul indicetur quo in Seminario sistere debet.

[1] Cfr. paradygma.
[2] *Institut.*, Par. I, cap. 9.
[3] Cfr. II, Coment. part.

CCCX. — De novi tironis statu describendo S. Carolus praecipit: *Examine peracto, uniuscuiusque status describatur.* Et quomodo exarandus sit, S. Archiepiscopus pro statu receptionis, et pro statu annuali diversimode suggerit.

a) Pro statu receptionis specimen exhibet scribens:

Antonius Ripa, filius Ioannis, loci N., plebis N., Med. dioecesis: si vero sit Civitatis, *Portae Novae, Par. S. Bartholomaei.*

Annorum 15 vel 16 etc. Aetas autem habetur ex processu aetatis et natalium agitato ad formam praescriptorum a nobis, prout infra dicetur.

Initiatus vel non.

Parentes habet superstites vel non, fratres, sorores, apponendo numerum singulorum.

Patrimonium nullum, vel *tenue,* vel *mediocre,* prout in facto erit.

Beneficium obtinet, vel *non.*

Duodenam solvet vel *non* et quamnam.

Spei, *Ingenii*, *Memoriae* { *Boni* vel *mali*, *mediocris* vel *debilis*, in unoqueque horum trium, prout in examine comprehendetur.

Peritia autem cuiusque subsequenter describetur in hanc formam:

Examinatus supradictus:

In expositione Auctoris repertus fuit infra mediocritatem. Intelligens linguae latinae, vel mediocriter, vel supra mediocritatem etc.

In praeceptis grammaticae non excessit adverbia, vel participia etc. *Et in his, vel infra mediocritatem, vel mediocris* etc.

In compositione idem servetur [1].

Huius status receptionis exemplar unum tantum conscribatur, Episcopo tradendum et in tabulario Seminarii asservandum.

b) Statum annualem idem Vir Sanctus aliter docet esse exarandum, eum Rectori suadeat:

[1] *Instit.*, Par. I, cap. 9.

Conficiatur item liber in quem referatur status omnium Clericorum qui dictim admissi fuerint, scilicet:

Si quidquam annualia solvunt.

Qualis causa et quando data.

Nomen et cognomen eius et patris.

Aetas Clerici.

Clerici status brevis, scilicet patriae habitationisve locus, parochia, plebs, porta si in urbe est.

Qualitas litterarum dimissoriarum, si alienae dioeccsis est.

Ordo quem habet.

Beneficium si quod habet.

Talenta et propensiones cuiusque in studiis et moribus [1].

CCCXI. — Ad rem vero in decreto Rectori praescriptum legimus: *Tabulas generales habeat omnium alumnorum, in quibus, inscriptis nomine, cognomine cuiusque ipsorum eorumdem parentum, dioecesi, patria, ortus anno, mense ac die, ac ingressu in Seminarium, studiis expletis ac incoeptis, annuatim adnotentur contubernium, auditorium, fortuiti e Seminario egressus, periculorum annualium ac reparationis exitum, dies ss. ordinationum, praemia adepta, omnia denique quae ad progressum vel regressum alumni in pietatem, disciplinam atque studia referuntur* [2]. — Quum autem ordo a S. Carolo Borromaeo exhibitus nostrorum temporum necessitatibus parum respondeat, in calce voluminis aliud specimen ad rem suppeditamus actati nostrae magis accommodatum et juxta S. C. EE. et RR. decretum exaratum in quo fere omnia a Sancto Viro optata reperiuntur [3]. — Quidquid sit, Rectori suadendum tenemus ut statim ac alumnus in Seminarium receptus fuerit, si non omnia, saltem praecipua in specimine signata exstent, ita ut etiam antequam novum studiorum anni curriculum ineat qui tirones iam futuri sint sciat. — S. Carolus Borromaeus informationibus examen praemittendo, ordinem alium in tironum acceptatione suadet. Quod nobis videtur minus

[1] *Institut.*, Par. I, cap. 3,

[2] Artic. 35.

[3] Cfr. paradigma.

probandum; nam si inquisitiones desiderio minime respondent, periculum praetermittendum videtur.

CCCXII. Conclusionis instar de fideiussore aliquid dicendum, quo nomine quis veniat S. Carolus Borromaeus aperte indigitat, scribens: *Nullus in Seminarium recipiatur nisi prius idoneum fideiussorem dederit qui pro eo spondea, non solum quoad repraesentationem pecuniarum singulis sex mensibus, quas pro victu solvere debebit, sed etiam pro vestitu, iuxta Seminarii Constitutiones: et qui si Clericus e Seminario sine facultate Reverendissimi Archiepiscopi discesserit, aut propter improbitatem aliamve eiusmodi causam expulsus fuerit, in his omnibus et singulis aliisque in formula cautionis consucta praescriptis si quid horum contigerit, teneatur pro victu solvere quaecumque eo nomine R.mus Archiepiscopus aut eius Vicarius iusserit, pro eo tempore universo quo in Seminario commoratus fuerit* [1]. Attamen haec S. Archiepiscopi sapiens ordinatio, nunc temporis fere ubique et illis in dioecesibus ubi eius saluberrima traditio viget in dissuetudinem venisse scimus. — Quidquid consilii ineatur hoc unum certum est, nimirum in primis et ante omnes naturales tironis fideiussores eius esse Parentes: qui vero si deficiant tutores vel benefactores eorum in loco sufficiendi sunt. Nam [si quae sentimus libere aperire licet] ut antequam alumnus in Seminario recipiatur a Parentibus vel benefactoribus ac tutoribus scriptam conditionem omniumque acceptionem exquirendam esse suademus, quo tantum obortis deinde contestationibus [quod facile contingit] defensionis modus adest. At [D. Caroli Borromaei caetera monita audiantur]: *Fideiussores ne accipiantur nisi* [domicilium in Civitate habeant, et] *ad praescriptam formam adprobati et collaudati* [2]: quae S. Viri verba ac si fidejussoris probitatem ac solvibilitatem indigitent idem putemus. Quidquid sit, quum verba volent, scripta vero maneant [specimine quod in voluminis calce praebemus adhibito [3]] his postremis sedulo uti consu-

[1] *Institut.* Par. I, cap. X.
[2] Loc. cit.
[3] Cfr. paradigma.

limus. Caetera vero ad rem [persaepe lachrymabunda] experientia docebit!

CCCXIII. Tandem his omnibus quae de clericorum in Seminario susceptione recoluimus finem inponimus singulorum clericorum [uti R.R. apud Congregationes aiunt] *positionem* memorando. Documenta omnia quae ab alumnis afferantur et quae in eorum institutionis decursu undique provenientia momentum aliquod habere videantur in totidem fasciculos referenda sunt quot alumni fuerint, et quidem eo ordine digestos quem alphabetica eorum nominum series demonstrat, cautēque penes Rectoris archivium asservanda.

Articulus III.

De Clericorum agnitione

Eam qua hucusque usi sumus agricolae similitudinem prosequentes [quae quidem magnam cum institutoria arte necessitatem habet] similia nunc indigitamus studia his quae hortorum cultorem postquam bona semina elegerit et opportune disposuerit occupant: qui, videlicet, singularem cuiusque stirpis indolem et necessitates cognoscere studet, ut aptius illi consulet. Ut nempe quorum Institutor curam suscepit ingenium, proprensiones, studia moresque et si quid id genus aliud non minore necessitate ipse prospicere tenetur: cuius propterea artis summa principia noscere et ad singulos adhibere casus [corporis nimirum conspersiones ac animi passiones quae ea aetate turgescere solent, quamdiudum, ut cum Venosino loquamur, *primis frons turgida cornibus*] Institutoris officium est. Nos igitur in generalibus heic tantum paedagogicae doctrinae ad rem principiis recolendis insistimus, quae opportunae ad opus deducere haud sane ardua res prudentiae Rectoris erit. De clericorum igitur agnitione dicentes, quaedam in primis et ante omnia ad rem indirecta adjumenta recolemus, postea vero praecipua quae in homine insunt temperamenta physica inaustremus et peculiares quae praesertim in his qui

vitam comunem ducunt indoles morales inveniuntur memorabimus; tamdem de humanis passionibus eiusque notis dicemus. Ex his enim omnibus ad subditorum agnitione media exurgunt, quos [ad bonum utendum regimen] uti Rectoris est.

§ I. — De alumnorum agnitionis momento.

Summae rerum. — CCCXIV. Clericos cognoscere quanti intersit. — CCCXV. Modi ad rem qui sint. — CCCXVI. Quaenam obstacula habeantur. — CCCXVII. Adiumenta ad rem recoluntur.

CCCXIV. Quum nemo apte regere ac instituere possit quos ignorat, quantum rectae clericalis institutionis clericos nosse suos intersit per se patet. Quod et ex ipsa clericalis institutioñis indoles potissimum confirmatur quae christiana, paterna, immo et materna esse debet: quapropter si militari modo clericalis plebs regatur, grave profecto detrimentum iniuste omnino illi comparatur. Idcirco vere sapienter Sapiens monet: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui tuosque greges considera* [1], et Poeta cecinit: *Principis est virtus maxima nosse suos* [2]; quod et D. Bonaventura memorat scribens: *Ad statum debitum tenendum convenit ut Rector subditorum mores.... et vires praecipue cognoscat ut secundum quod unicuique expedit eum dirigat et hortetur* [3]. Enimvero si clericos quos Ecclesia paternae maternaeque curae tuae commisit nosti, facile institutio eorum evadit: si, e contrario, ignoras tecum in erroris abissum proicies. Cognitio enim prudentiam parit, igmorantia stultitiam: ab illa prudens institutio est, ex hac inepta: illa securum dabit, haec millibus erroribus et periculis obiiciet. Quae omnia, quamvis praesertim in aetate provectioribus obtineant locum, attamen nec iuvenili in institutione spernenda posthabenda quae sunt ab iis omnibus qui, recta ratione, officio suo fungi exoptant, ex quo tantum muneri suo rite adimplere valebunt. Immo quo tenera magis aetate iuvenes sunt, ne potiusquam flectantur frangantur neve Institutores sua potestate

[1] Prov. XXVII. 23.
[2] Martial. *Epigr.*
[3] *De Sex alis*, Cap. III.

in debiles abuti videantur, eo cautius charitativeque, amore pene infinito, habendi sunt.

CCCXV. — Ecclesiastici igitur Institutores perseveranter, sagaciter, ac prudenter clericos noscant ut, ad Ecclesiae bonum, maximum ex illis fructum assequi valeant. Ideo:

a) Perseverantia adhibeatur; nam [Institutores meminerint] nil humano ac praesertim iuvenili animo mutabilius. Ideoque uno vel altero tempore, in hisce vel illis adiunctis illum deprehendisse haud sufficit, sed diuturno studio ipsum perscrutare ac rimari convenit, quod constantia tantum assequi licebit.

b) Sagacitate utatur quam, tametsi naturae Deique donum sit, attamen usus et ars perficere solent. Secus enim, labore multo, fere nullos fructus comparabis, quia non his quibus reapse sunt, sed illis quae prima fonte videntur fidem praestabis, quo interimes quos sanare contendis.

c) Prudentia quoque requiritur quae si deficiat Institutoris studium a clerico facile comperietur quo ille ne dignoscatur [hypocrisiae subsidio ac praesidio] alium omnino ac reapse est se exhibeat. Quapropter [ut alibi explicabimus] eris prudens si cavebis prudens videri.

CCCXVI. — Huius cognitionis obstacula quoque recensere nostri propositi ratio postulat. Ad rem:

a) quae a clericis dimanant per se patent; nam ut quod ipsi metuunt devitent, quod cupiunt vero assequantur ab omni Institutoris studio se abscondunt.

b) Institutores vero [sui ipsius nimium confisi] hanc instituendorum notitiam vel negligunt, aut ingenuitate animi, ac ipsa regiminis conditione falluntur.

1) Neglectus, fere semper, ex superbia originem ducit.

2) Ingenuitas animi a natura et praehabita institutione ortum habet; nam *credulitas in optimi cuiusque mentem facillime irrepit et qui boni sunt mentiri neminem putant, fallere quod sit ignorant, libenter credunt quod ipsi sunt*[1], dicente Scriptura: *Simplex credit omni dicto*[2], quod praesertim [Institutores meminerint] ecclesiastico in coetu evenire consuevit.

[1] S. Ambrosius, *De Officiis*, lib. III, cap. 1.

[2] Prov. XIV, 13.

3) Institutoris ipsa condicio hanc notitiam adeo praepedire solet ut quo altior dignitate quis constituitur eo facilior decipiatur. Etenim [mutatis mutandis] uti Praepositi omnes, ita et Institutores subditorum calliditate et adulationum pestifero veneno conficiuntur. Misera at sane vera eorum conditio haec est quae vigilantia maxima eget ne, fucatis alumnorum notitiis, eorum aedificium non quidem super mobili arena vento agitata Institutores adstruant, sed super firmo ac bene fundato fundamento constituant.

CCCXVII. — Adiumenta vero ad hanc clericorum notitiam assequendam potiusquam enucleasse, indigitasse sufficiet. Idcirco:

a) Anteactae in saeculo alumnorum vitae notitiam Institutores sedulo sibi comparent, atque [ut humanae naturae communis comprobataque lex est] quae praesentia ac [certo quodam modo] quae futura a praeteritis coniiciant. Idcirco, praesertim Rector et qui eius vices fungit, informationes habitas quum de alumni in Seminario susceptione ageretur, attente considerent, et [salva prudentia] uti tironis de quo agitur notitiae fundamentum habeant.

b) Qua fama ac opinione tum infra, tum extra Seminarii septa clericus gaudeat Institutores perpendant. Quamvis enim, interdum, nil fama fallacius ac inconstans, attamen, cum diuturna ac communis sit, raro dolosa est. Quod praesertim de testimonio quod clerici sibi invicem reddunt locum obtinet: diutius cum inter se commorentur ac liberius colloquantur ac agantur, melius quam Institutores ipsi se ad invicem dignoscunt. Idcirco opinio quam vicissim sibi reddunt clerici sedulo exquirenda est; nam *nil utilius ad hominum perscrutandum animum quam sedulo alios de aliis loquentes audire*[1]. Quod tamen ne delationem quis fovere videatur, omnino prudenter faciendum: potiusquam igitur profusis sermonibus, dimidiatis verbis attendendum; persaepe melius ex his quae dubie proferuntur, quam ex illis quae pertinaciter asseruntur veritas dignoscitur.

[1] Isocratis, in *Monit. Basil. Imperator.* 32.

c) Cognoscantur verba. — *Verbis homines sicut aera in tinnibus dignoscuntur*,[1] quum *in lingua sapientia dignoscitur, et sensu et scientia et doctrina in verbo sensati*[2]. Enimvero, *imago animi est sermo: qualis vir talis oratio, et aegrotantis animi passus est sermo*[3]. Ideoque quae in habili convictu Institutoris cum clericis habendo ab his proferuntur fere tutum ad iudicium alumni efformandum iter esse queunt. Attamen Institutor [ut infra fusius dicemus] plura audiat quam loquatur, et non cor in lingua, se linguam in corde habeat. Idcirco moderata cum clericis consuetudo ad hoc plurimum iuvabit; nam, quamvis adsint qui Superiore coram veluti personati extent, attamen certo tempore subditi Institutori [a quo multa timent vel sperant] liberius animum suum pandunt, ea libertate qua tamen numquam abuti licebit. Quum vero persaepe vultus oculusque plura quam os loquatur, non aurium tantum, sed et oculorum acie pollere plurimum in re iuvabit.

d) Scripta quoque perscrutentur ex quibus clericorum notitiam adipisci licet: praesertim vero epistolae Parentibus missae in quibus, ut plurimum, libere, sincere, [quamvis saepe incomposite] ipsi animum suum pandunt. Ingratam igitur hanc occupationem Rector ne abdicet vel recuset, quum ex ipsa plura utilissima, quae secus ignoraret, dignoscet.

e) Perscrutentur opera. — Subditorum opera Institutor attente consideret, nam multi sunt loquaces sed non factores, *largissimi promissores et tenuissimi exhibitores*[4], et *si multum eloquentiae, parum sapientiae habent*[5]. At verba ad hoc non sufficiunt; nam Sapientia est quae nos monet: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*[6]. *Veritas enim*, scribit Albertus Magnus, *iusta est quando vere concordant mens, lingua et opera, ut quod sentit quis in corde, hoc pro-*

[1] Quintilianus, *Institut.*, lib. IV.
[2] Eccles. IV, 29
[3] Aristoteles, *Ethicor.* III.
[4] S. Bernardus, *De Consideratione*, lib. IV, cap. 2, n. 4.
[5] Sallustius, *Catilin.*
[6] Math. VII, 16.

ferat et perficiat opere [1]. — Praeterea qua intentione agant clerici videat; nam multi humana tantum ratione bene loquuntur et agunt, quae, etsi perscrutari Moderatori sit illicitum, tamen ipsi interdum facile demostrant. Perutile erit tunc praesertim clericorum opera spectare cum nullam Institutorum vel sociorum vigilantiam illi metuunt; tunc enim sponte magis operantur. — Postremo optimum erit occasionem agendi, data opera, ita ponere, ut sponte orta videatur, atque ita, inopinato obstaculo, cuiusque virtus appareat.

Haec omnia quae brevi delineavimus calamo Institutores omnes perpendant quaeso, et adeo prudenter iis utantur ut veritatem [in alumnorum bonum adibendam] tandem assequantur. Attamen plura adhuc ac permagni momenti in re recolenda sunt quae binis sequentibus paragraphis perstringimus.

§ II. — De physicis temperamentis.

Summae rerum. — CCCXVIII. De temperamentorum studii necessitate. — CCCXIX. Qui sint et quomodo dignoscendi ac regendi. — CCCXX. De quibusdam indolibus moralibus.

CCCXVIII. — Ex anima et corpore ita compositum coalescit humanum, ut ex eorum unione una integra substantia humanae exsurgat naturae, unumque operandi principium. Quamobrem, licet anima quasdam sibi proprias operationes habeat, ideoque exsistere atque intelligere a corpore separata queat, quasdam tamen quae huiusmodi naturam, cuius ipsa est pars, sequuntur, communes sibi et corpori habet; hac lege ut anima intellectiva et corpus operationes humanas separatim efficere nequeant, illaeque compositi nativam indolem

[1] *De Paradiso animae*, par. I, cap. 18.

referant. Qua de caussa ad clericos apprime agnoscendos ante omnia explorare eorum temperamenta utillimum erit, qualitates scilicet illas varias [quas D. Gregorius commixtiones dicit] animati corporei organismi, [et peculiariter nervei systematis], respectu passionum consideratas; quibus haud raro fit ut humani actus aliter in ordine ethico sese habeant quam prima fronte videantur. Harum profecto attenta observatione neglecta, multa malitiae et voluntati tributa fuerunt quae verius in imbecillitatem humanae naturae refundi debuissent; etenim *quidquid infixum ac ingenitum est, lenitur arte, non vincitur*[1]. Cumque ipsa coelestis gratia naturae aptetur, ita qui institutionis artem exercent clericorum naturae misereri eique aptare se debent; secus incassum agerent, et potius quam dulciter flectere, frangent; quod plane ab ecclesiastico regimine absonum est. Sed ad hoc assequendum necesse est ut Institutores etsi φυσιόλογοι omnes esse nequeant, istius saltem disciplinae elementa probe sciant, utpote qui veluti spiritualem medicinam ratione sui muneris profitentur. Ad rem recens Auctor scribit: *Cognitio temperamentorum quam maxime in praxi utilis evadit, non tantum medico cui incumbit studium et officium illa corrigendi, ne grave detrimentum valetudo capiat, sed etiam... iuvenum Institutoribus, ut facilius possint passionum originem noscere, et singulis temperamentis opportuna remedia praebere, quia eadem remedia minime omnibus indiscriminatim prosunt...—Notamus maximam esse actionem constitutionis in actus morales et intellectuales hominis, et ab illa valde pendere indolem, ingenium, individualem characterem, ad varias virtutes impulsus, ad vitia et passiones maiorem vel minorem facilitatem, amabilitatem, sociabilitatem, animi status, sentiendi vel percipiendi rationem, varios cum ceteris se gerendi modos, differentes mentis manifestationes, etc.; ita ut per se dici*

[1] Seneca, epist II.

possit, hominem talem plerumque esse qualis temperamento efficitur[1]. Attamen et si cum aetate provectioribus [qui fere perfectum et absolutum iam temperamentum habent] physiologicam singulorum indolem explorare arduum, in juvenibus [qui eius incerta indicia tantum possident] arduior ac perdifficilis res. Idcirco [ne in errorem Institutores inducantur] cautius agendum, prae oculis illud in re fundamentale principium habentes, nimirum, perraro adesse qui hanc vel aliam temperamenti specificam stricte praeseferant formam, cum, ut plurimum, eas commixtas habeant. Hisce praehabitis de physiologicis temperamentis synopsim, genesim, indicia ac curam, perquam brevissime, exhibemus.

CCCXIX. — Classica [ut ita dicam] temperamentorum partitio a physiologicarum scientiarum cultoribus etiam nunc temporis adhibita, illa est quae in *nervosum, sanguinum, lymphaticum, biliare ac melancholicum* dividit, de quibus omnibus nobis agendum. Qua in re temperamenta jam absoluta et adulta considerantes [qualia praesertim faciliusque in clericis provectioris aetatis inveniuntur] eorum etiam indicia in coeteris deprehendere [quod promptius in pubertatis periodo habetur] Institutorum erit, quorum perspicacia et a minimis majora percipere poterit. Idcirco:

1) Temperamentum nervosum passim, aetate hac nostra, adultis atque iuvenibus communem videmus.

a) Externa species sunt macro corporis habitu, inquietis motibus, vividis oculis, nigris vel nigrantibus capillis, precoci atque multa barba, etc.

b) Animi sensus sunt: fervidus mentis aestus, corporei laboris impatientia, mens facilis et apta studiis, inconstans amor et opera, novarum semper rerum desiderium, dilectioni vel odio prona atque prompta studia, corporeis voluptatibus sensus acclines, numquam contentus animus, et pariter obedientiae ineptus et imperio. — Ceterum animi magnificentia praestant, atque gratissimos plerumque sensus huiusmodi personae recondunt, et fervida studia fo-

[1] Antonelli, *Medicina Pastoralis*, vol. I, cap. 21, n. 324-25.

vent, et [si eas recte gubernaveris] ad insueta virtutis opera, aptae fiunt.

c) Quomodo regendum sit. — Cum eis veluti cum aegrotis agere est; inopinatos moerores ab eis amovere, vitam quietam laboresque gratos, haud vero nimios [ne cito fatigentur] eis comparare; paulatim vero ad virtutem [eius pulchritudine enarrata] educentur, ut divinis placitis subesse et vitae mala fortius pati addiscant. Corpori autem medelam et robur tum gymnici interdum ludi, tum frigida balnea afferent, sed cibi atque potus calidi maxime vitandi.

2) Temperamentum biliare magnorum virorum est, atque Aiacem, Achillem, Pyrrhum, Hannibalem, Marium, Syllam, Alexandrum, Caesarem, Brutum, Cromwell, Napoleonem tales fuisse historici tradunt.

a) Externa specie sunt pallido plerique vultu, parvo aut mediocri corporis habitu, vividis oculis, densis atque nigris hirtisque capillis, gravi incessu, et interdum aspera atque inurbana conversatione.

b) Animi sensus. — Plerumque biliosi irascibiles sunt atque ambitiosi, sed fortes atque constantes, studiis apti, laudi difficiles sed vituperio faciles, alterius laudis invidia macrescunt, contumaces, ingrati. Sua consilia constanter hi persequuntur, atque nisi assequantur, tristes et taciturni fiunt, et statim nova moliuntur. Cum facti eos poenitet brevis poenitentia est, atque, vix cum licuerit, ad primam operam redeunt; omnes spernunt, seseque super omnes extollunt. Magnas itaque virtutes, vel pessima vitia biliosi exercent.

c) Quomodo cum biliosis agendum sit Antonellius docet: *Quum temperamentum biliare nondum omnes huius constitutionis characteres in animo impresserit, non difficile sperari potest correctum iri si obiectum ad quod fertur, mutetur et efficiatur ut animus aliquod vere nobile aspiret. Studium ambitionem explendi et excellentiam prae ceteris assequendi, vertatur ad inquirendam ac sequendam virtutem, quam secum fert, et omnia adhibeantur quae virtutis amorem et sequelam vere inducant: quia, si hoc, quod quidem minime sine magno opere et labore fieri potest, obtineatur, ob firmitatem*

propositi, ob animi constantiam et mentis excellentes qualitates possunt biliosi homines etiam cuiuscumque sacrificii pro veritate et virtutis triumpha valde capaces evadere. Quod si biliare temperamentum in tota sua natura apparet, et nulla adest spes illud corrigendi, maxima damna timenda sunt, et Deum precari oportet, ut, gratia, ad mitiora horum corda convertere dignetur [1].

3) Temperamentum melancholicum. — Huiusmodi plerique heresiarchae fuere, vel tyranni multi, aliique qui Republicam perturbarunt. Neque id mirum; verborum nam facundia atque simulatione doctrinae et alacritate operum viri huiusmodi multos seducunt et captant.

a) Externa species. — Melancholici procero sed macro, plerumque, corpore, pallido ore, tristi vultu, oculis cavis, nigris capillis sunt, et lente moventur.

b) Animi sensus. — Saepe in conversatione asperi suaeque sententiae contumaces sunt, omnique studio nituntur sua ut consilia assequantur; omnes suspicantur, odium atque invidia fovent, tristiaque mente revolvunt, moerorem in iram facile commutant, suaque studia in sermones diuturnos effundunt. Si quis vero ex eis pietatem sectetur, facile scrupulis afficitur, suamque vitam tristitia ita complet ut et sibi et aequalibus grave detrimentum saepe comparet. — Sed et insuetis pariter virtutibus melancholici praediti sunt; nam sobrii atque graves et constantes apparent, vitiaque crassa prorsus abhorrent.

c) Quomodo regendum. — Qui hac indole laborant multa sunt suavitate emendandi, eorumque abigenda tristitia, proposita semper occupatione cui intendant. At illam perscrutari [ut monet S. Theresia] perarduum est, tumque ea saepe innotescit cum eamdem emendari iam nequit. Quidquid sit, ardua semper eorum correctio, neque multa ab eis sperare licet qui vix communia perficiunt.

4) Temperamentum simpliciter sanguineum prae omnibus felix est.

a) Externa species. — Sanguinei incenso ore, procero corpore, fortibus membris, lucidis oculis, flava vel castanea coma, hilari atque amabili ore sunt.

[1] Loc. cit. n. 335.

b) Animi motus. — Ad iram proni, ad veniam quoque faciles sunt, et dum ad studia vehementia feruntur, parum ipsi sibi constant. Alacris plerumque eorum mens, aestusque mentis fervidus, memoria tenax, multa et varia ad speculandum et ad agendum promptitudo. Laeta, alacris, verax, generosa, facilis, sed temeraria forte eorum indoles est, ad voluptates et intemperantiam prona, et a mortificatione fere omnino aliena.

c) Quomodo regendum. — Si ab omnibus, maxime vero ab eis qui hac indole vivunt, non omnia quae possint petenda sunt. Suavitate igitur regendi, neque iis castigationibus plectendi quae sanguinem forte irritent; sed ferventia nimis eorum studia caute cohibenda sunt, atque temperato victu et potu semper.

5) Temperamenti lymphatici notae sunt:

a) Externa species. — Pingue corpus apparet, rara barba eaque vel fulva vel clara nimis, molles carnes, caeruli oculi, tardi motu, parcus somnus, et digestio difficilis.

b) Animi qualitates. — Mens, plerumque, mediocris, memoria fluxa, sensus parum alacres, segnis animus atque ad labores tardus, brevis ira, sed lenitas multa atque misericordia facilis, multum quietis studium, ingenuus animus, nec unquam malignum, nec ad iudicia ferenda asper. Magnas virtutes vel vitia huiusmodi homines non sustinent, sed mediocres passim in omnibus sunt. De eis Antonelli habet: *De se ipsis contenti, nesciunt in aliorum negotiis inopportune commisceri, aliis mala reddere; non communi tranquillitate et quiete praediti, huius mundi augustias et molestias impassibili animo pertranseunt* [1].

c) Quomodo regendum. — Haec indoles [quam nordici populi saepe retinet] ad bonum facile instituitur, sed eorum segnitiem excitare aptis stimulis oportet, aptique eis labores et grati addicendi sunt: eorum vero tarditas nimiis stimulis concitanda non est, sed multa patientia cum eis utendum qui optimi cives facile fiunt.

[1] Loc. cit. n. 342.

CCCXX — Saepe, praesertim in Consociationibus pressiori sensu acceptis [uti Seminaria sunt] incertae atque mixtae indoles morales occurrunt quas Institutores noscere fere necessarium est; nam propius et in institutione valde influunt.

CCCXXI. — Hi vero morales characteres ad rem nostram quod attinet his complecti possunt:

a) Circumscriptor seu invasor audax est, Institutorum vitia adulatur, versutia modestiam simulat, laudes vel censuras callide tribuit, et merita sua commemorat. Alacer eius spiritus, saepe iracundus, primatum facile concupiscit, ideoque aequales suos ad seditionem excitat. Hunc cominus sequi oportet atque perquirere ut [probatione facta] ad emendationem cogatur, ne se forte et aequales simul corrumpat.

b) Delator simulatione ed adulatione, saepe etiam divinae gloriae vel obedientiae falsa specie, vivit. *Lacrymulis* nonnumquam *mentiri edoctis*[1], mane et vespere Praesulem obsidit, eadem saepe et voce et scripto constantissime docet. Nisi audieris irascitur, si tantillum responderis numquam silebit, novasque semper calumnias atque inauditas effingens. Nisi vero te captare poterit, ad alios sese convertet cumque omnes ad suam traxerit sententiam, cum Moderatore, unita vi, rursus congredietur. Caute sed celeriter humani generis iste scorpio et hirudo a ceteris separetur ne forte, latenter decipiendo, gravissime noceat. Vae enim Seminario ubi haec unquam satis dolenda pestis invalesceret, qua, a plaute pedis usque ad verticem capitis, Sacri Istituti corpus omne misero in modo, inficeretur. Qum vero delator idem ac adulator et hypocrita sit quae de primo diximus jam, et de altero sensus communis suadet, heic quoque prae oculis habeantur, ne vaferrimis historum artibus lacumebunda praeda [quod facile contigit] Rector sit.

c) Curiosus omnia scrutatur, omnia sciscitatur, quaerit et lustrat praeterita et futura, tum quae sua intersunt, tum quae eum nullimode attigunt, ut noscat et referat et quae sua sunt et quae aliena scivit. Sed quae fama ac

[1] S. Bernardus, Epist. II, 48.

cipit, ipse veluti certa renuntiat; verbusculum in longam dissertationem multiplicat, insolitam auctoritatem ostentat, atque semper et ubique, veluti multis negotiis implicatus et praegravatus, discurrit. Fere numquam silet aut studet, sed per ambulacra vel ad ostia manet ut linguam perperam moveat et auctoritatem adquirat; adulatur sociis, discordias fovet, vi utitur, callidam inquisitionem adhibet. — Hic statim itaque monendus est; nisi vero sese emendaverit omnino spernendus et negligendus; sed etsi despectus perseveraverit, severe corrigatur. Suadenda vero ei est maxime silentii observantia, atque sui officii cura et solitudinis studium, quae omnia ille solet passim negligere. S. vero Carolus ad rem monet: *Alterius dicta vel facta ne quisquam curiose investiget, cum id animum a pietate et a studiis avocet, et multam in adolescentium collegiis plerumque perturbationem excitet* [1].

d) Querulus Superiorum patientiam exercet; de cibo, de vestibus, de cubiculo, de aeris tempestate, de sociis, de externis, de moribus, de gentis sermone, de Institutorum ineptitudine, de Seminarii ruina conqueritur, et actum tempus laudat. Iuvenes ut hoc vitium vitent moneantur, doceanturque ne inutilibus querimoniis insistant, quibus grave saepe malum Seminarii diocesique comparatur.

e) Scrupulosus inania omnia timet, atque omne pulvisculum lance oculata librat, omnes cogitationes suas scrutatur, ubique malum, culpam, defectum metuit, praeterita semper revocat, iudicatas res repetit, culpas quarum oblitus fuit nuncupat, venialia peccata veluti gravia habet, virtutes ut vitia timet, tentationes sibi effingit, vanaque obstacula erigit, inquietam, morosam, tristemque vitam vivit.

1) Huiusmodi morbi rationes [quia quasi divina probatione morosus morbus invalescit] interdum ignotae sunt; nonnumquam vero a quibusdam notis causis manifestae fiunt, videlicet: ex nimia consideratione agendorum, ex pietatis falsa specie, ex otio et ex superbia.

2) Pessimus vero morbus multa saepe detrimenta

[1] *Institut.*, Par. III, Cap. 3.

affert; nimirum desperationem, spiritus angustiam, contumaciam, temporis iacturam.

3) Medelae vero tanto morbo aptae sunt: libera et plena voluntas quae Deum ita quaerat ut omnia obstacula pro nihilo habeat atque spernat, obedientia Moderatori spiritus plena, assiduus labor et alacer ad agendum animus qui in perpendendis rationibus haud iam moretur, sed promptus operam aggrediatur:

§ III. — De clericorum passionibus.

Summae rerum. — CCCXXII. Animadversiones praeviae. — CCCXXIII. De ira. — CCCXXIV. De superbia ac ambitione. — CCCXXV. De Invidia. — CCCXXVI. De avaritia. — CCCXXVII. De Luxuria. — CCCXXVIII. De Segnitie. — CCCXXIX. De gula. — CCCXXX. Conclusio.

CCCXXII. — Coronidis ad instar nunc pauca de passionibus dicenda, de quibus externa tantum indicia curationemque memorare heic praestat, ne fines scientiae moralis ingrediamur. Quamvis in pueritia ac adulescentia vix passiones adeo evolutae reperiantur ut facile distingui possint, attamen in iuvenili et praesertim in virilis aetatis initiis [quae cum initiis sacerdotio concidunt] satis aperte monstrantur. Idcirco earum genesim Institutoribus cognoscere juvabit.

CCCXXIII. — De ira quae sequentur habeantur:

a) Indicia sunt: *Cum ira homine potitur atrociter mentem exulcerat, corpus tremit, lingua se praepedit, facies ignescit, exasperantur oculi, lingua clamorem format, et quid loquatur ignorat* [1].

1) In sanguinea indole praeditis, ad cor primum sanguinis impetus confluit, deinde ad membra pulsat cor, spiritus praecipitat motus, vultus et collum et venae tumescunt, eriguntur crines, incenditur oculus, et sanguine pupilla inficitur, nares hiant, dentes strident, vox intercipitur, verba in iniurias et blasphemationes erumpunt, omnis vis tandem in brachia et pedes impetum facit, quoadusque, hoste percusso, irae satis factum sit.

[1] S. Greg. Magn., *Moral.*, lib. V, cap. 45, n. 83.

2) In infirmis et iecore laborantibus aut lymphaticis sanguis ad viscera confluit, cordis motus iam paene sistunt, venarum motus est brevis, frequens, celer; spiritus interceptus, frigido sudore membra madent, pallescit vultus, convulsu membra tremitu quatiuntur; iamque nil dicere illi queunt, sed silentium eorum est terribile. In magnanimis mutatur ira in despectum; in vilioribus vero animis odium fit, quod, tandem, in ultionem desinit.

3) In hominibus biliosis et sanguineis simul utroque oborta modo ira patet, quam S. Gregorius hisce enarrat: *Nonnullos* [sanguineos] *ira citius accendit sed facilius deserit: nonnullos vero* [biliosos] *tarde quidem commove sed diutius tenet* [1].

b) Irae cura perardua sane est, sed experienda tamen physicis remediis et moralibus.

1) Physica remedia sunt suavis cibus et herbaceus, lacteus, numquam ignitus potus aut parum vini, rure manere, balnea frigida aestatis tempore, hieme tepida.

2) Moralia media. — Occasiones vitandae sunt quae in animo odia fovere possunt aut suspiciones; irae vero turpitudo eam vitandam suadet, atque offensorem dignum misericordia facit. Senecae dictum memorandum est: *Ultio doloris confessio est... Non est magnus animus quem incurvat iniuria: ingens animus et verus aestimator sui non vindicat iniuriam quia non sentit* [2]. — Multum vero ad emendationem apta iuvenilis institutio proficit bonaque exempla vehementer adiuvant. Confert vero in rem exercitium laboris constans; vitanda tamen est studiorum defatigatio aut negotiorum nimis grave pondus: cibus vero copiosus iuvat et corporis quies quam maxime. Insuper ad hoc prosunt:

a) Tempus. — *Quoties iram incendit animus, mentem doma, vince te ipsum, differ tempus furoris, et cum tranquilla mens fuerit quod placet iudica* [3].

b) Separatio. — *Separatio et temporis processus plerumque mitigat iram* [4].

[1] *Moral.* lib. V, cap. 45, n. 86.
[2] *De Ira*, Lib. III, cap. 5.
[3] S. Greg. Magn. *Epist.* lib. VIII, Indict. III, epist. 41 *ad Leontium.*
[4] S. Ioannes Chrysostomus, *Homel.* 12.

c) Suavitas. — *Responsio mollis frangit iram* [1]: magna sit itaque cum iracundis suavitas, quum ea tantum eorum animi devinciantur.

d) Patientia. — *In humilitate tua patientiam habe* [2]. Hoc enim compendium artis est qua ira sedatur; quapropter nulla sit impatientia, cum id maxime Praesuli iubenti atque corripienti dictum sit: *Per patientiam curramus ad propositum certamen* [3].

CCCXXIV. De Superbia ac ambitione plura animadvertenda sunt, nimirum:

A) Superbiae causae, mala institutio, divitiae multae, honores nimii, mens praevalida, exigua scientia, atque [omnium maxima], adulatio sunt: quam maxime eas sequuntur sanguinei viri, aut biliosi, potentioresque potiusquam humiles.

a) Eius effectus. — *Cunctis superba apud se expectatione tumentibus, inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione* [4]. Adulatio igitur, despectus, simulatio, contumacia, invidia aliaque omnia huiusmodi superbia passim matrem vitiorum gignuntur. Prospera autem sorte inflatum sese ostentat superbus; adversa vero sorte depressus suae cladis poenitens aufugit.

b) Eius curatio recta institutione primum suscipienda est, idque maxime iteratis fidei documentis quae humilitatem inculcant, quae una inordinatum sui studium coercere potest. Sed hydroterapica quoque curatio levesque cibi ad sedandam superbiam pariter conducunt.

B) Ambitionis vero causae aut in corpore, aut in mente considerent.

1) In corpore sunt quae viros sanguineos, aut biliosos ad eam movent, quaeque senes magis quam iuvenes, viros magis quam feminas exagitant.

2) In animo vero una tantum insidet causa eius, nimirum, superbia.

a) Eius indicia S. Innocentius his docet: *Am-*

[1] *Prov.* XV, 1.
[2] Luc. XXI, 19.
[3] *Ad Hebraeos*, XII, 1.
[4] S. Gregor. Magn. *Moral.* lib XXXIV, cap. 29, n. 48.

bitiosus semper est pavidus ne quid dicat vel faciat quod in oculis hominum valeat displicere. Humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur et obsequitur. Cunctos honorat, universis inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit et amplexatur, applaudit et adulatur. Promptus est et fervidus ubi placere cognovit: remissus et tepidus ubi putaverit displicere. Improbat mala, detestatur iniqua, alia cum aliis probat et improbat ut iudicetur idoneus, ut reputetur acceptus, ut laudetur ab omnibus, ut a singulis approbetur. Et ecce gravem intra se sustinet pugnam difficilemque conflictum dum iniquitas pulsat animum et ambitio continet manum, et quod illa suggerit faciendum, haec fieri non permittit. Colludunt tamen ad invicem mater et filia, iniquitas et ambitio: nam mater in aperto consistit, et filia in occulto non resistit: haec enim sibi vindicat publicum, illa secretum [1]. Alibi vero idem Vir Sanctus: *Ambitiosus libenter agit de principatu quem ambit, et dicit: O quando principabitur ille qui severus sit in iustitia, pius in misericordia! Si forte hac arte non proficit, ambitiosus recurrit ad aliam; advocat Simonem, accedit ad Giezi. Per hunc ab illo nititur emere quod per se non praevalet obtinere: supplicat et promittit, offert et tribuit. Proh dolor! gratiam quam gratis adipisci non potuit, per fas et nefas nititur adipisci. Nec desistit adhuc, sed instat et invadit violenter honorem et impudenter arripit dignitatem amicorum suffragio, praesidio propinquorum. Tantoque dominationis inflammatur ardore, tanta libidine praesidendi, ut nec schisma abhorret, scandalum non formidet* [2].

b) Curatio huius passionis autem tum physica, tum moralis erit.

1) Moralis cura princeps humilitas, secessus, cogitationes de mundi vanitate, quae magnos animos falso decipit, atque de Maiorum exemplis qui, licet tot honores adepti fuerint, felices tamen non fuere. Oportet vero maxime eos ab urbe avocare ubi ii passim conspiciuntur qui, non meritis, sed ambitu et astu ad honores ascenderunt, quorum

[1] *De Contemptu mundi*, lib. II, c. 26. [2] Ibid. cap. 27.

societas maxime vitanda est. Oportet contra ambitiosum parvo in oppidu atque inter homines vivere sua sorte contentos, qui sane enarrabunt quo pacto fere numquam cum felicitate gloria coniungatur; ambitiosi enim viri passim sui vitii servos fiunt. — Ab incunabulis autem ambitio emendanda est, expellenda vero per adolescentiam et iuventutem, religiosa praesertim institutione quae una maxime ad id valet. Sero enim medicina paratur cum ambitionis habitus nimis in corde invaluerit; quia qui hoc vitio laborant undique perfectos se contra reputant. Humilis condicio faciliorem ad rem praestabit modum: hi viri enim praecipua regiminis dote carent ac proinde magistratu sunt indigni. Difficile est profecto superbos omnino corrigere, at aliquantulum emendari quidem poterunt, quod ad clericos quam attinet, praesertim in Seminario curandum, ne levitica plebs, contumaciae exagitata spiritu, sibi, dioecesi ac Ecclesiae universae infandam ruinam comparet. Quid enim sacerdoti ac dominico gregi infestius quam sacerdotes qui, dum quae Dei sunt quaerere versute simulant, quae, e contrario propria sunt, canino persequuntur more? Ministrorum Dei gloria humilitas est!

2) Curationes physicae. — Cibus levis, somnus copiosus, agrestis vita, diuturnae deambulationes ambitioni et superbiae emendandae maxime proderunt.

CCCXXV. — De Invidia et zelotypia, quae sequuntur prae oculis habeantur:

a) Eorum causae aliae sunt disponentes, aliae determinantes.

1) Causae disponentes indole continentur: nam experientia docet eos qui lymphatico, aut bilioso, aut nervoso habitu corporis sunt invidiae magis esse servos: maxime vero infirmos, pueros, senes, mulieres, deformes et imbecillos ad eam inclinare videmus.

2) Causae determinantes sunt nimium sui studium, superbia, ambitio, paupertas, communio cum summis et otium.

b) Eorum morales effectus. — *Omnia suis aemulis fingunt, eorum profectu deficiunt, odia inter se abscondunt, et in suos cruciantur, enutriunt, proficientibus invident,*

peccantibus favent; de bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, de inimicitiis gratuitis ardent. Deprehendi peccati sui malitiam timent, semper amari numquam certi. Amici diaboli, inimici etiam sui, omnibus odiosi. Ad gaudenda anxii, ad plangenda laeti, utrobique perversi. Inter amicos discordias seminant, discordantes ad tempus, si possunt, in dissensione confirmant. Opinionem bonorum mendaciis decolorant; in spiritualibus carnalia laudant ut spiritualia bona eis deesse persuadeant. Amicitias simulant ut eos qui se incaute sibi commiserunt, qua possunt arte, decipiant. Odiorum sibi occasiones pravis suspicionibus coacervant... Continentes sunt in verbo, turpes in facto, prodigi secretorum, tenaces malorum. Prompti suspicionum malorum, inanes bonarum, pleni sordium, praediti fraudibus. Adversarii corde virtutibus, pravi moribus, et insidiosi cunctis secum in simplicitate viventibus. Haec et his similia, quae omnes invidos bonis, voto sive animo, inimicos ostendunt [1].

c) Physici eius effectus. — Invidia passim videmus homines fieri tristes, tacitos, superciliosos, pallidos; sanguis enim ad centrum corporis usque compellitur. Quod si consuetudine vitii id continuo fiat, inflata interna vasa ac pulsationes violentae anxietatem et interdum mortem gignunt. Praeterea bilis copiosior secernitur, digestio perturbatur, vires debilitantur, fit livida et flava cutes, macies crescit; hisce vero tristitia et solitudinis studium augentur, insomnes noctes trahuntur, atque [horum exaggeratione] interdum amentia sequitur et mors.

d) Curationes eius materiales[a] morales sunt:

1 Materiales sunt dulces cibi et leves et herbacaei, lenes potus, varii labores, exercitia corporis apta.

2 Curationes morales in eo consistunt quod moneantur invidi *ut perpendant quantae caecitatis sint qui alieno profectu deficiunt, aliena exultatione contabescunt. Quantae infelicitatis sint qui melioratione proximi deteriores fiunt: dumque augmenta alienae prosperitatis aspiciunt, apud semetipsos anxie afflicti cordis sui peste moriuntur* [2]. Perarduum tamen

[1] S. Prosper, *De vita contemplativa*, Lib. III. cap. 9.

[2] S. Gregorius Magnus, *Regul. Pastoral.*, Par. III, cap. 10.

est eos corrigere qui, sese tantum arbitrati vitae suae maetam esse, nil nisi seipsos vident. Cum eis igitur indirecto modo agendum est, atque suadendum ipsis beatitudinem unam esse eis qui sua sorte contenti vivant. At, plerumque, ad vitium et ad malum [quod aegre iam dereliquerunt] usque redeunt.

CCCXXVI. — De Avaritia quae sequuntur prae oculis habeantur:

a) Eius causae aliae physicae, aliae morales sunt.

1. Physicae causae. — Avaritia quoque ex lymphatico aut tristi corporis habitu saepe oritur; rara est in iuvenibus, in viris minus rara, seniorum vero propria est maxime, ut voluptas iuvenum, atque ambitio virilis aetatis. Est autem cuivis ordini communis, sacerdotum autem [ut vox populi fert] quam maxime.

2. Morales causae. — Una est eius causa studium nimium vitae, quod adolescit cum aetate atque metu futurorum annorum fovetur maxime; saepe vero mala institutione et malo exemplo in animis exoritur.

b) Eius effectus. — *Avaritia est artifex ac dulce malum, et hominibus universis semper infestum. Non habentibus divitias habendi injicit cupiditatem, habentibus adimit satietatem. Ita omnes in una tempestate praecipitat, ut ubinam sit maior ignores. Hanc mediocres fraudibus excolunt: divites potentia, iudices gratia, diserti mercenaria ac duplici lingua. Reges superbia, negotiatores astutia, inani pauperes voto, cultores Dei odio simulato: totae autem gentes universaeque nationes gladio. Nunquam quieta, non die, non nocte, non bello, non pace. Nunquam satur, lucrorum enormitate miserior, novum calamitatis est genus, quod tantummodo crescit, senescere nescit. Non illam parentum pietas frangit, non dulcedo liberorum, non coniugalis affectus, non chara germanitas, non ius amicitiae, non tenet pupillus, non dura viduitas, non miseranda paupertas, non Dei contemplatio*[1]. Rursus vero idem Sanctus hosce avaritiae fructus enucleat: *Avaritia est libido profanda, cupiditas caeca, tempestas insana, rapacitas*

[1] S. Zeno, *De Avaritia*, serm. 2.

sine fine, sollicitudo sine requie, ad sua numquam perveniens vota. Avaritia satiari non novit, fidem frangit, charitatem negligit, institiam negat, non cognoscit affectus, iura divina contemnit, humana versutis argumentis excludit, orbem totum, si possit, ut rapiat [1].

c) Avarorum mores. — Adspice avarum cum dona accipit quomodo gestit et manus portendit et claudit; adspice, contra, cum aliquid tradit quam aegre et dolenter id faciat[1]. — Sunt vero avari Dei, societatis humanae atque sui ipsius veluti carnifices; neque somno indulgent aut cibo, sed anxietatibus conficiuntur. Maxime vero improbanda in ecclesiasticis avaritia est, qui pessimo exemplo et Sodalibus et subditis fiunt. Attamen non raro huiusmodi pecuniae servi in Ecclesia inveniuntur, qui pecuniam [omni nisu] congerere student, quam deinde [liberali manu] nepotes disperdent in luxum. Ecclesiae bonis non divitias, sed paupertatem parari, quotidiana experientia comprobatur.

d) Avaritiae remedia. — Perarduum est avaritiam curare, quia, plerumque, in senioribus insidet. Sed quae maxime ad rem valent sunt praecautiones in ipsa institutione adhibendae, ne deinde iuvenis, adolescente aetate, auri cupiditate occupetur.

CCCXXVII. — De Luxuria nunc pauca:

a) Luxuriae causae habentur physicae et morales:

1. Physicae causae sunt calida aeris temperies, cibus nimius et ignitus, anni tempus, aetatis flos, nimius sanguinis motus. Qui vitam ducunt parum mobilem et nimis sedentem huic vitio maxime indulgere solent.

2. Morales causae sunt fidei defectus, exempla mala, otium, mali libri, mala spectacula.

b) Luxuriae physici effectus sunt dorsalis tabes, phthysis, cerebrales morbi, epilepsia, amentia, furor: morales vero sunt mentis cordisque coecitas ac durities in his quae ad homines et Deum spectant.

c) Eius curatio physica esse debet et moralis.

[1] Id. Ibid.

1. Physica curatio in causis physicis detrahendis et amovendis est.

2. Moralis curatio. — Religio maxime libidinosos refrenat atque sensuum mortificatio, agrestis et varia vita, labores multiplices, hydroterapicae curae. Verumtamen perraro emendatio obtinetur, atque cum publica facta sit tabes, nil restat [plerumque] quam malum membrum abscindere, quod praesertim juvenilibus in Consociationibus locum obtinet.

CCCXXVIII.— De Segnitie sequentia habeantur:

a) Eius causae. — Puerorum, plerumque, vitium desidia est; corporis habitus lymphaticus et pinguis facilius ei obnoxius, atque inter pauperes potius viros afficit, urbanos vero cives potiusquam rusticos, mediterraneos incolas potiusquam alpinos. Eam fovent quoque nimia paupertas, morbi ac similia.

b) Eius indicia sunt crassus vultus, tardi oculi, lentus gradus. In lectulo libentissime piger cubat; dum vero suo vitio ille indulget tempus omne terit, omniaque late bona pessumdat. Imbecilli, incerti, mediocres, ac taedio pleni desides sunt.

c) Eius curatio. — Aemulationis vis multum ad emendandos desides valet, pariterque cibi validi et qui stimulos addant. Correptio verbalis autem parum eis proficit: maxime vero ipsa in institutione oppugnandum vitium est, quia somno plenos perarduum excitare deinde erit.

CCCXXIX.— Tandem de gula pauca:

a) Eius causae. — Habitus corporis sanguineus vel biliosus plurimum ad hoc vitium adeo pertrahit ut quidam physiologi ab infantia in homine ex ipsa natura oboriri autument. Pueri vero et senes ei maxime indulgent pariterque divites, et viri potius quam mulieres. Ipsa institutio non semel hoc vitium fovit, quod intemperantia alit quam maxime.

b) Eius indicia apparent in vividis oculis, parva fronte, genis cadentibus, magnis dentibus, crasso ventre.

c) Eius fructus. — Gustus amissio, ventris morbi, apoplexia, hydropisia et gutta sunt morbi qui eo ex vitio gignuntur. Quare haec iure habet Bernardus: *voluptas gutturis quae tanti hodie aestimatur, vix duorum obtinet la-*

titudinem digitorum et eius tam modicae partis, tam exigua delectatio quanta operatur sollicitudine, quantam deinde molestiam parit [1].

d) Eius effectus vero memorat S. Gregorius: *Dum gulae incumbitur ad levitatis protinus insaniam proditur* [2], *et dominante gulae vitio per carnis illecebras quod fortiter agitur perditur, et dum venter non restringitur per carnis concupiscentiam simul cunctae virtutes obruuntur* [3]; *gulosi pro sollicitudine ventris innumerabilium curarum frequentia deprimuntur* [4].

e) Eius curationis modi sunt agrestis vita, vini abstinentia, simplices cibi, parcus victus. — Eorum correptio [quia indecorum maxime vitium est] plerumque haud minus corrigenti quam peccanti displicet. Nec diu perdurat emendatio, quia edendi cupiditate nisi gulosi domi ei satisfecerint, extra domum gulae servi compelluntur. Multum in rem prodest religiosa institutio quae temperantiam suadet; verum sedulo in Communitatibus est advigilandum ne furtim sodales epulentur, aut gulae, quomodocumque, concedant.

CCCXXX. — Ex his quae tum ex paedagogia, tum ex physiologia delibavimus, potiusquam enucleavimus, praeceptis [alibi fuse inlustratis [5]] subditorum agnitio quanti momenti sit quantumque latissime pateat clare evincitur. Quae si laicali in regimine [in quo non ratio, sed arbitrium ut plurimum, imperat] fere semper posthabentur, in clericali e contrario [quod caritate enutritum divina esse debet] quam maxime colenda sunt, ut, paterna ratione, per sanctitatis scientiaeque arduas semitas tirones et [certo quedam ratione] Officiales quoque, deducere Rector valeat.

[1] S. Bernard., *De Convers. ad cleric.* Cap. 12.
[2] *Moral.*, Lib. X, Cap. 9.
[3] *Id. Ibid.*, Lib. XXIX, Cap. 13.
[4] *Id. Ibid. I. Reg.*, Lib. V. Cap. 1.
[5] Cfr. *Elementi di Pedagogia Eccles.*, Vol. II, Par. I, Artic. 4, vel *De Regimtne*, Vol. I, Artic. 5.

Articulus III.

De clericorum regimine practico.

Qui sapienti sedulaque manu septis in hortis delicata florum munera alit excolitque, non eo tantum animo ac labore contendit ut ab illis procul arceantur maligna ac sylvestria arbusta, sed, sollicita prudentia et studiosa cura, advigilat ne contrariis humoribus quid capiant detrimenti, neve spinis herbisque succrescentibus suffocentur; ac propterea situs, umbrae, alimenti varietatem pro cuiuscumque indole ac natura, summa cum arte, distribuit. Tot quidem tantisque, ac multo etiam pluribus curis et studiis sacri Seminarii Rector instet necesse est ut quam nuper excolendam de parentum Ecclesiaeque manibus parva ac tenella planta suscepit, sub caelestis gratiae imbribus opportune collocetur, atque [malorum fere omnium inscia] pietatis in Deum et vitae sanctitatis suaviorem in dies odorem, gratissimorumque fructuum laetum auspicium halet reddatque. Quarum curarum usus et experentia vim et efficaciam non ex hucusque recensitis tantum, sed et ex aliis quae recensemus [in quibus Rectoris clericos erga relationes continentur] apertius comprobantur.

Qua in re [ad aliquem sermoni nostro imponendum ordinem] primum de his quae circa pietatem, disciplinam ac studia ab alumnis Rector exquirere debeat dicemus; de ratione peculiari in personalibus clericos erga relationibus ab ipso servanda postea quaedam recolemus; et quomodo cum his alumnis qui rusticationis caussa apud suos degunt, ac cum aliis qui in castris vigilias agunt, sere gerere Rector possit memorabimus.

§ I. — Quae circa pietatem ac studia a clericis expetere Rector debeat.

Summae rerum. — CCCXXXI. Quae circa pietatis exercitia Legislator praecipiat. — CCCXXXII. Circa studia clericorum quae normae a lege praestituantur. — CCCXXXIII. Peculiaria in re eorum officia quae esse possint.

CCCXXXI. — Quae pietatis ergo a clericis Rector expetere debet, Legislator indigitat sequentia ipsis suadendo: *Dicitur pietas in Deum illa animi propensio, quae urget ad officiorum observantiam, quibus homo tenetur erga Creatorem studiosam ac devotam venerationem eidem profitendo. Ipsa ergo totum complectitur hominem, eumque ad divinam metam dirigit, excelsitatem menti, caracteri constantiam, cordi nobilitatem, omnibus virtutibus fulcrum atque incitamentum largiens. Quibusvis institutionis rationibus necessaria, pietas omnino requiritur in clericali institutione, cuius finis est in alumnos efformare* hominem Dei [1]. *Pietatis itaque adeptio primum ac maius esto alumnorum officium* [2]. Decet clericos vel a prima aetate, iugo Domini assuescere, pietati vacare plurimum inservire sacris ministeriis, vitae sacerdotalis exemplo conformari [3]. *Modus aptior ac simplicior pietatem acquirendi est exercitium eius operum, quae aperte intima consilia ac animi sensum significent. Opera pietatis itaque peragantur quotidiana, hebdomadaria, mensualia et annualia* [4]. — De his vero, quum alibi fuse dixerimus [5], in re nota haud immoremur, et hoc unum [iterum iterumque] Rectori recolimus, nimirum ut, pietate mediante, *pro viribus contendat ut clerici eum finem qui expectatur assequantur, et qui eius fidei commissi sunt eos e Seminario fructus percipiant, quos Ecclesia Sancta ac Tridentinum Concilium sibi proposuere* [6]; i. e. altaribus sanctis dignos ministros comparare qui dominico gregi fideles

[1] II. Timoth., XVII.
[2] Decret., Par. III, *in proem.*
[3] Leo. XVIII, Encycl. *Paternae*, die XVIII Sept. 1889.
[4] Decret. loc. cit.
[5] Cfr. pag. 139 e seq.
[6] S. Carol. Borrom., *Institut.*, Par. II, Cap. 2.

Pastores Ecclesiae, Sanctae splendori et ornamento, orbi universo sol, sal et lux in Christo sint.

CCCXXXII. — Quoad studia vero quae clericis praestanda sint his praeceptis [hic inde excerptis] continentur, quorum observantiam urgere Rectoris est:

1) *In primis animi puritatem custodire et rectam in studiis intentionem habere* [clerici] *conentur*; *nihil aliud in his nisi divinam gloriam et animarum salutem quaerentes. In suis orationibus gratiam, ut in doctrina proficiant, crebro petant, ut tandem idonei, sicut ab ipsis sperat Ecclesia, ad vineam Christi Domini... exemplo et doctrina, excolendam evadant*[1].

2) *Serio et constanter ad studia animum applicare deliberent, atque cavendum sibi putent ne, fervore studiorum, intepescat solidarum virtutum* [ac ecclesiastici spiritus] *amor. Sibi invicem persuadeant nihil gratius se Deo facturos quam si, ea intentione de qua dictum est, studiis se diligenter impendant*[2].

3) *Praescriptam... divisionem temporis ac rationem studendi servent diligenter universi*[3].

4) *In audiendis lectionibus sint assidui et in eis praevidendis diligentes, et, postquam audierint, repetendis, iis quae non intellexerint interrogandis, aliis vero quae oportuerit adnotandis*[4].

5) *Praeceptoribus suis honorem, reverentiam et obedientiam exhibeant*[5].

6) *Ad scholam se conferentes, vel eam relinquentes, sive ad eam immutandam, sive ad proprium petendum contubernium, semper cum silentio et ordine procedant, quin maneant et conversentur cum alumnis externis, si forte sint, ac meminerint vetitam esse quamcumque cum ipsis consuetudinem absque peculiari Rectoris licentia*[6].

7) *Nullus, nisi legitima de causa et de expressa Pro-*

[1] Pachtler, *Ratio Studior.* vol. II, p. 450.
[2] *Id. ibid.*
[3] *Id. ibid.*
[4] *Id. Ibid.*
[5] S. Carol Borrom. *Ibid.* Par. III, Cap. 4.
[6] Decr. S. Congregationis, art. 100.

fessoris licentia, e schola exeat[1]. Nec huc illueve divagentur, sed, in suis quisque subselliis locisque, sibi ac suis rebus intenti sint.

8) *Ad lectiones quisque debite animum intendat, ut ex eis progressum consequantur*[2].

9) *Silentium et modestia corporis, obsequium et moderatio in petendo et in respondendo, dotes sunt bene instituti alumni*[3].

10) *Praecipue alumni sese in scholasticis praelectionibus, aliisque affinibus disciplinis exerceant. Itaque prohibeantur secum retinere libros qui damnum inferre moribus, vel a studio principali distrahere valeant. Quoad lectiones attinet, religiosissime dispositiones regnantis Summi Pontificis Pii X in Encyclica* « Pieni l'animo » [diei 26 iulii 1906] *et praecitata S. Offici Instructio* [*diei 28 augusti 1907*] *serventur*[4].

11) *Tempore ad studium destinato, perfectum servetur silentium, et nullus ex aula exeat, nec ad petendos quidem moderatores vel confessarium, nisi urgente necessitate*[5].

CCCXXXIII. — Ex his peculiaria alumnorum officia ad studia quod attinet evincuntur, quae aliqua inlustratione egent. Igitur:

a) Huiusmodi officii momentum clericus quilibet sentiat; quantis igitur ab Ecclesia curis foveatur ac educetur saepissime consideret. Haec enim, tamquam benignissimae Matris vices fungitur, veluti lacte alit, pannis tegit, domo recipit, curam de illo suis Administris mandat, omnia ad commodam vitam necessaria, ad cultum mentis utilia [non sine labore dispendioque plurimo] illi suppedidat.

b) Studia ad sanctum propositum intendant, ut districtum iustitiae officium est. Sicut enim qui commissos sibi alienos thesauros ad aliud prorsus commodum negotiaretur quam ad finem a committente propositum

[1] *Id. Ibid.* art. 101.
[2] *Ibid.* art. 102.
[3] *Ibid.* art. 103.
[4] *Ibid.* art. 104.
[5] *Ibid.* art. 105.

fur esset et ladro, ita profecto clericus qui Ecclesiae opibus ad utilitatem ab Ecclesia expectatam haud uteretur. His omnibus, ex tacito veluti quodam contractu districtissimae iustitiae, clericus obligatur, ut peramantissimae Altrici vices rependat, ac ea praestet quibus finem quem haec sibi proponit assequi possit: in primis vero sedulam studiorum curam, qua et Matrem tueri et illius sanctissimum regnum dilatare valeat. Quare [ut diximus] eo studiis adnitendum illis est ut, videlicet, idonei fiant in vinea Domini operarii, ac Ordinarii sui iussa, [meliore qua fieri poterit ratione] exsequantur. *Studii finis debitus est honor Dei, salus proximi et aedificatio sui* [1]. Non igitur, puta [ut interdum accidit] ut Superiorum suorum existimationem captent, ut pinguia officia et beneficia invadant, ut gloriam opesque sibi comparent et insignes in plebe ac in Sanctuario ipso efficiantur. Procul, o procul a sacrorum alumnis tam vana ac noxia proposita sunto, quibus nec ipsa nominis scientia aut sapientia constabit, sed prava ac proterva animi cupiditas, doctrinae fortasse specie obducta, ut maiora damna ac detrimenta in Sancta inferat [2].

c) Discendi ardorem ad rationis studiorum praescripta moderentur eo ordine plura fortasse continentia, non certe minora quam quae alumnorum mentes ferre possint: ideo, in primis, extra illa, praesertim ad prophanae indolis disciplinas, evagandum non est. — Sed etiam in studiorum serie ac necessitudine non alia sequantur quam quae praescribitur norma; maius semper studium his doctrinis impendant quae iubentur, dein iis quae minoris sunt faciendae. Idipsum servetur infra unius doctrinae ambitum in quaestionum aut partium ordine percurrendo. Quare statuta tantum a Magistro excolant, nec ad alias controversias perquirendas accedant, et in lectionibus aggrediendis Praeceptoris sui consilium sequantur, nec sine illius consensu quidquam moliantur.

[1] S. Antonin. Par. III, Tit. 5, Cap. 2, § 12.

[2] Cfr. Pius PP. X, Encycl. *Pascendi*, die 8 sept. 1906, n. 8.

d) Rationis studiorum praescripta servent etiam quod ad tempus studii impendendum attinet, nec quaerant ab hac lege immunitates, quibus liceat alias praeter statas horas, diurno et multo minus nocturno tempore, libris vacare; nec Rectores huiusmodi intempestivo zelo facile acquiescant. Etenim tunc, non modo valetudo alumnorum, sed ipsa recta studendi ratio detrimentum capiet, quum diu exagitata mens ipso praescripto tempore consuetam operam praestare nequeat; ceterum haud raro huiusmodi petitiones nonnisi male transacti proprii studiorum temporis remedium sibi volunt. Quare potius advigilandum erit ut statutum studii tempus integre iis et ordinate impendatur; quod si reapse non videatur sufficiens, ne Magistri potius plura ab alumnis iniuria exquirant quam quae hi ferre valeant, sunt admonendi. — Ceterum, si quid indulgendum, modice sit quum periculorum tempus immineat; in anno tamen lex rigorose servetur.

e] Recto cum ordine studiis incumbant, ita. videlicet, ut haec in pietatis aut disciplinae detrimentum numquam vertant, ut in ipsis studiis necessaria minus necessariis vel superfluis anteponant, absque ullo studii iraeque respectu. Quod si aliquantum temporis vacuum supersit, illud [at de consensu semper Magistrorum] uberiori rei studio collocare utique possunt. — Nec ulla ratione eorum ferendum consilium qui pensa aut lectionem nonnisi scholis imminentibus consuetis ineunt, idque peiori quo fieri potest modo, ne cum dedecore ad socordiae suae reddendam rationem vocentur.

f) Praelectiones praecurrant, i. e. antequam ad eas in scholis audiendas accedant, videant quae tractanda erunt, ac studeant ut iam per se ea perspiciant, quo pacto maiorem porro intelligentiam ac utilitatem ex audiendis capient. Alumnos philosophiae et theologiae hoc potissimum hortamur, quos etiam tricas aut difficultates ea ratione praevisas brevi adnotare decet ut, congruo tempore, de his sciscitare, breviter atque modeste, cum maximo sui et aliorum profectu valeant.

g) Magistrum praelegentem attentis auribus audiant ut hac ratione in studiis proficiant ac suum

in eum obsequium ostendant [1]. Huiusmodi attentio necessarium est ad intelligendum subsidium: ea vero maxime religiosa silentii observantia iuvatur. Quare alumni cum summa et modestia et diligentia sibi tantum ac Magistro intendant, nec ullum alium librum, aut quid huiusmodi versent, sed tantum utiles adnotationes de his quae audiunt in sua transferant. — Ceterum pro viribus obsequium suum Magistro ostendant, absque tamen ulla affectatione et studio. Quo etiam saepius adducentur ut Magistri dicta et opiniones contra malevolos [quorum infinitus est numerus] tueantur. Et in sacris enim septis, nonnumquam, pigri aut etiam procaces adolescentes sunt qui, ut suam desidiam aut procacitatem tegant, Magistrum ipsum audacter carpunt, quos oportet redargui.

h) Aemulentur invicem charismata meliora, absque tamen ullo invidiae morsu. Aemulatio enim commendanda et fovenda: tristis vero invidia [utpote feracissima malorum quibus saepe nullum est remedium] strenue cohibenda et depellenda.

i) Dum praelectiones habentur, ne auditoria deserant absque urgenti necessitate, a qua quidem ut brevius expediantur; in ambulacris vagari, aut cum consociis extra classem confabulare summopere caveant. Quum ad scholas accedunt vel inde recedunt, ordinem et modestiam servent, per scholarum ambulacra silentium teneant, ac omne commercium cum ceteris alumnis devitent. [2]

l) Ubi scholam clerici regressi fuerint, ea quae ab Antecessore dicta aut lecta sunt, suapte industria retractabunt. — Si non praesens est omnium memoria, vel scrupulus aliquis nodusque haereat, doctiorem consulant, operamque condiscipulis vicariam efflagitabunt, aut asterisco ad marginem adnotato, prima data occasione, Antecessorem ipsum percontabuntur. Sine hac enim unice necessaria exercitatione, nullus unquam egregie proficit.

m) Magistrorum sententiam pronoanimo suscipiant, condiscipulorum autem ne ex praeiudicato rei-

[1] Cfr. Artic. 102. [2] Cfr. Artic. 103.

iciant. — Maxime vero etiam in his quae libere disputentur, novarum rerum studium cavendum est, quo, vel inviti, ad ea pertrahimur quae magis traditis opponantur. Ex adverso, ut plurimum, in contrarium nitendum erit, ad ea scilicet quae Ecclesia magis tenere videtur, aut maiores nostri contextim tradidere, quum haec tutior via esse consueverit. — Quum vero contraria Magistro argumenta proferenda erunt, id caute, modeste ac reverenter fiat, et responsis acquiescere praestat; quod si alia perseverent dubia, ea potius privatim quam publice cum Magistro communicanda erunt. — Idipsum, iuxta modum, cum sodalibus servent, tum in publicis disputationibus, quum in privatis collationibus: semper enim rationis momentis non ironia quadam utendum est, nec seipsum ostentare, sed veritatem demostrare oportet. Ad obiectiones in schola proferendas quod attinet, censemus eas statutis temporibus [ut plurimum post expletam rei demonstrationem] opponendas esse, ne, ex continua praelectionis interruptione, ipsa dicendorum perspicuitas pessumdetur, et alumnis taedium ac damnum comparetur.

n) Commentariorum suorum ne nimis tenaces sint, ac invicem sibi opem ferant; attamen nonnisi iusto cum moderamine, videlicet, de re rogati, pensa facienda roganti innuere, adnotationes ex praelectionibus haustas invicem communicare, dubia aut difficultates, conlatis consiliis, solvere possunt. Sed pensa sibi invicem corrigere, aut etiam ex integro unum pro aliis conflare, in repetitionibus dicenda clam suggerere non licet. His enim sodalis non iuvatur quidem, sed immo [ut liquet] gravi detrimento afficitur.

o) Aliquem ex sanctis studiosae inventutis patronis sibi eligant ac imitandum sibi proponant, ut ex. gr. Thoman Aq., S. Aloysium Gonzaga, S. Ioh. Berchmans etc., quorum exempla aut documenta prae oculis semper habere praestat.

§ II. — Quae circa disciplinam ac hygienem a clericis exigenda sint.

Summae rerum. — CCCXXXIV. Quomodo Superiores erga se habere clerici debeant. — CCCXXXV. Cum se ipsos quomodo. — CCCXXXVI. Ad invicem quomodo. — CCCXXXVII. Cum famulis qua ratione utendum. — CCCXXXVIII. Quae in colloquutorio servanda sint. — CCCXXXIX. In visitationibus quae. — CCCXL. Quomodo deambulatum ire clerici debeant. — CCCXLI. De clericorum erga rem catholicam provehendam studio.

CCCXXXIV. — Quae ad rem faciunt [et a Rectore quam maxime curanda] tum ex Legislatoris, tum ex S. Caroli verbis colligimus, et ut clarius innotescant in his quae personas internas ac res externas attingunt [certo quodam modo] dispescimus. — Erga Superiores *omnes debitam obedientiam et observantiam omnino praestent... Erga Rectorem ea sint animi affectione qua filii erga parentem: ab eo si quid praeter voluntatem imponitur aut negatur, id existiment ad utilitatem suam referri, pro certo habentes Superiores ad id multis adduci causis, quae adolescentes, plerumque, lateant. Eidem Rectori libere suos sensus exponant, ut illis, prout opus fuerit, consulat, cum nihil sit difficilius adolescenti quam immoderatis animi affectionibus per se moderari* [1]. Neque aliter in S. Congregationis decreto, ubi habetur: *Alumni in Rectore patrem agnoscant, cui debetur amor filii et prompta obedientia. Idem, servata proportione, in alios Superiores agant* [2]. *Quisquis, horis et ratione statuendis, Rectorem petere poterit ad suas necessitates ac desideria, aperto ac fidenti cum animo, aperienda. Ipsis cautelis, rationabilique de causa pietatis Magistrum quidem petere poterunt ac Vice-Rectorem* [3]. *Animo placido demissoque denegationes, exprobationes, reprehensiones punitionesque sumant sibi a Superioribus impositas, atque ex iisdem progressum*

[1] S. Carol. Borrom. *Institut*, Par. III. Cap. 3.
[2] Artic. 126.
[3] Artic. 127.

agant quem ostendant ac comprobent sincera diuturnaque emendatione [1]. *Coram Rectore, aliisque Superioribus vel viris illustribus semper detecto stent capite, nisi expresse invitentur ad sedendum et ad caput tegendum* [2].

CCCXXXV. — Clerici *quas in aliis virtutes cernunt, eas in se ipsis exprimere certatim contendant: humilitatis, obedientiae, modestiae exempla vicissim desumant; vitia, si quae forte in aliis perspexerint, vitent; nullusque tam sit impius, ut alios pie aliquid agentes vituperare audeat, et demonis officio fungens, eum ab operibus virtutum conetur abducere. Modestiam ubique servent..., cum illa adolescentiae peculiare sit ornamentum. Caveant igitur ne oculos huc illuc circumferant; ne loquantur altius, praesertim si multi sint; ne strepitum excitent, ne nimis festinanter incedant. In mensa... silentium, modestiam, honestatem, temperantiam adhibeant; ad ea quae leguntur, vel a concionatore dicuntur, diligenter attendant; ex hisque aliquem fructum percipere studeant. Cum silentium permultum ad pacis pietatisque conservationem, ad studia, ad multas perturbationes evitandas conferat, nunquam colloquantur nisi de rebus necessariis..., praeterquam relaxationis tempore, quo de rebus utilibus sermones habere, sine tumultu tamen, licebit. Vitent autem minus honesta verba inanesque colloquutiones: alios inter loquendum ne carpant, aut quovis modo laedant: neque vero se ipsi laudent, nisi cum ad proximi fructum id est necessario faciendum. In omnibus actionibus et verbis, motu corporis, elationem ac superbiam fugiant, cum ea homines Dei inimicos et coeteris odiosos reddat. Pertinaciam praeter cactera devitent, in omnibus humilitatem ac mansuetudinem praeseferant... Otium vero ac desidiam fugiant, quae cum ecclesiasticos omnes dedeceat, tum eos potissimum quibus aliorum cura committenda est* [3]. Neque secus in S. Congregationis decreto ubi haec habentur: *Quisquis alumnos in seipso imaginem Dei templumque Divini Spiritus colat maxima cum moderationis ac decentiae observantia tum cum aliis, tum solus in proprio cubiculo, prae oculis habens ubique*

[1] Artic. 128.
[2] Artic. 129.
[3] S. Carolus Borrom., *Institut.* Par. III, Cap. VI.

praesentem Deum esse [1]. *Omnes munditiem corporis vestiumque curent, comam apte caesam dispositamque habeant, ab omni vanitate foeditateque, at etiam ab omni singularitate affectatione neque abhorrentes, sese in omnia conformantes consuetudinibus seminarii* [2]. *Eorum esto hygienica praescripta curam corporis respicientia observare* [3]. *In motu, incessu, sermone decorem servent, ab omni levitate et quovis cum clericali dignitate actu incongruo abstinentes* [4]. *Ordinem ac nitorem servent in cubiculo, in libris, in suppellectili, neque sua aliaque aut Seminarii dissipent* [5].

CCCXXXVI. — Sodales *mutuam charitatem ac benevolentium omni studio amplectantur, ut, quaemadmodum debent, tamquam unius corporis membra perfecto amoris vinculo colligentur. Aliorum defectibus compatientes, nihil in deteriorem, sed omnia in bonam partem accipiant. Nihil inter ipsos differat, aut alter alteri praeferatur aut posthabeatur, omni divitis et pauperis, nobilis et obscuri discrimine sublato. Alter alteri honorem exhibeat, praecipue in superiori ordine constituto, maxime vero si sit sacris initiatus... Studeant in primis ut pax et concordia inter ipsos conservetur, sublatis, quantum fieri possit, omnibus dissidiis ac discordiae causis... A privatis amicitiis nimiaque inter se familiaritate abstineant; conventicula ne agant, ex quibus multa damna in congregationibus exsistunt. Quamobrem sine ullo discrimine cum omnibus versentur... Nullus sive joco, sive quovis alio praetextu alium tangere praesumat..., nullus alterius officium occupet..., nullus, nisi de Superioris licentia, dono aut mutuo det quidquam vel accipiat. Alterius dicta vel facta ne quisquam curiose investiget, cum id animum a pietate et a studiis avocet, et multas in adolescentium collegiis, plerumque, perturbationes excitet* [6]. Fere ad verbum haec omnia in S. Congregationis decreto recensentur in quo legitur: *Alumni constanter divisiones inter varia contubernia servent tum domi, tum extra, ita ut alumni diversorum contuberniorum nullam inter se ineant consuetudinem nisi de Superiorum li-*

[1] Artic. 131.
[2] Artic. 132.
[3] *id.* 133.
[4] *id.* 134.
[5] *id.* 135.
[6] S. Carol. Borrom. *Institut.* Par. III. Cap. 3.

centia [1]. *In sodalibus totidem inspiciant fratres in Iesu Christo, ita ut inter se eam foveant mutuam caritatem quae tanti clericos decet* [2]. *In mutua consuetudine semper adhibeant rationes ad christianam caritatem institutas; quamobrem litigia, verba aspera devitent, praesertim abhorrentes a contumeliis in eos qui virtute praecellant, vel aliquo naturae defectu laborant* [3]. *Solo nomine vel familiae cognomine inter se vocentur, vetitis omnino ceteris omne genus appellationibus* [4]. *Peculiares amicitias, in alios manus iniicere etiam iocose, invicem epistolas mittere, dona inter se similiaque omnino prohibita devitent; transgressores apte puniantur* [5]. *Verba sermonesque indecentes necnon quamcumque actionem haud honestam exhorreant* [6]. *Recreationis vel deambulationis tempore nulli permittatur sodales relinquere atque a Praefecti vigilantia recedere* [7].

CCCXXXVII. — Famulis *nihil imperent, nec cum iis sine facultate agant quidquam aut loquantur* [8]. Prolixius vero in S. Congregationis decreto habetur: *In famulos alumni debitis caritatis ac urbanitatis rationibus utantur, quin tamen nullam cum ipsis consuetudinem ineant. Si de eorum famulatu conqueri debeant querelas Praefecto referent* [9]. *Nulli liceat cum famulis morari, atque multo minus eis iussa vel munera committere* [10]. *Praefecti, tantum de Vice-rectoris licentia, cum famulis agant ad consulenda quae alumnis propriis sumptibus sibi comparare tenentur atque ad munera explenda* [11].

CCCXXXVIII. — In colloquutorio [prout usus et experientia docuere] facilior aditus omnium bonorum inimico patet. Quapropter, semper,et praesertim cum de personis haud consanguineis, agatur [quum disciplinae maxime intersit eum nosse qui alumnum invisendum expostulat] *nullus ad januam accedat... nisi eius rei facultatem a Rectore* [vel huius Vicario] *obtinuerit* [12]. — Quum huiusmodi negotia cum extraneis saepe

[1] Artic. 136.
[2] Artic. 137.
[3] Artic. 138.
[4] Artic. 139.
[5] Artic. 140.
[6] Artic. 141.
[7] Artic. 142.
[8] S. Carol. Borrom. *Institut.* loc. cit.
[9] Artic. 143.
[10] Artic. 144.
[11] Artic. 145.
[12] Art. 147.

nullius utilitatis clerico esse consueverint, atque ea imminui maxime ad spiritualem institutionem profecto conferat, Rector ille qui extraneos nec parentes ad minimum quo fieri poterit admittat, nonnisi laude dignus erit. Ad rem vero in S. Congregationis decreto habetur: *Generatim alumnos invisere indulgeatur his in hebdomada, diebus statuendis, horis ab actibus communibus non impeditis, et ante signum vespertinae salutationis angelicae. Ad extraordinarias visitationes semper exposcatur Superiorum licentia* [1]. *In aula visitationum, in omnibus et cum omnibus se gerant alumni iuxta civilis institutionis praescripta, idque agant non ad inaniter homines satisfaciendos, sed ad rusticitatem fugiendam* [2]. *Prohibentur alumni recipere cibos vel potus absque Vice-rectoris licentia qui de his rebus disponet prout opportunius iudicabit* [3].

CCCXXXIX. — Ad tempus, etiam ad amicos invisendos, vel ad alia negotia gerenda extra Seminarii septa vagari animi recollectionem [cui clericus studeat oportet] magnopere perturbat. Quapropter iure meritoque S. Carolus Borromaeus haec monet: *Nihil perniciosius adolescentibus iis praesertim qui sub certa vivendi disciplina degunt et litterarum studiis dant operam quam saepius domi, multo magis per urbem vagari; estque hoc inanis cuiusdam levitatis certissimum argumentum* [4]. Rector igitur *ne cuiquam facultatem concedat exeundi e Seminario privata de causa, nisi ea bene cognita et perspecta, necessario concedendam esse judicaverit* [5], *et iis solum de causis quae illi a R.mo Archiepiscopo fuerint praescriptae* [6]. His vero in rerum adiunctis, *nec quemquam solum exire* [Rector] *permittat etiam praefectum, sed cum assignatis sibi sociis..., et ab iis numquam sese disiungentes domum revertantur, et ea tantum loca petant ad quem profiscendi facultas concessa fuerit. Qui si loca alia adierint aut diutius abfuerint quam fuerit illis concessa facultas, domum reversi corrigantur et puniantur* [7]. *Dent operam ut quam celerrime fieri possit se expediant, domumque se re-*

[1] Art. 147.
[2] Art. 148.
[3] *Id.*, 154.
[4] *Instit.*, par. III., cap. 6.
[5] *Ibid.*, par. II, cap. 2.
[6] *Ibid.*
[7] *Ibid.*

cipiant antequam detur signum angelicae salutationis [1]. Quin etiam nec eas cautelas rem conficere existimat S. Archiepiscopus qui ideo addit: *Impetrata facultate in exitu Rectorem adeant: idem faciant cum revertentur* [2]. De re in S. Congregationis decreto statuitur: *Ne indulgeatur alumnis e seminario egredi ad prandendum, vel ad aliquem invisendum in privatis domibus. Item nec indulgeatur alumnis generatim, cum parentibus e seminario egredi cum hi seminarium petunt ad eos invisendos* [3].

CCCXL. — Deambulationis quoque tempore alumnorum animi perturbari possunt; quapropter omnino cavendum est ne, dum opportunum corpori tribuitur solatium, spiritus recollectio detrimentum sentiat. Itaque quae sequuntur sedulo observentur: *In incessu gravitatem et modestiam* [clerici] *praeseferant: ne cursitent vel contentius ambulent: oculis ne vagentur, aut in via rei alicuius inspiciendae causa ne consistant. Ne altiori voce colloquantur, ne brachiis vestes involvant...* [4]. *Ad* rem vero in S. Congregationis decreto haec habentur: *Quisque curet ut, dato signo, congrua ratione, paratus sit ad deambulandum, ordinem profectionis a Praefecto expectans* [5]. *Nulli liceat domi permanere tempore ambulationis nisi grave de causa et de licentia identidem a moderatoribus obtenta* [6]. *Quodcumque contubernium iter aggrediatur quod a Praefecto, de Superiorum consensu, statuctur. Deambulantes omnino a quacumque refectione prohibeantur, nisi de expressa Rectoris licentia* [7]. *Semper in civitate deambulent servat ordine, honesto incessu, moderato passu, et quisque cum suo sodali loquatur dimissa voce. Extra civitatem Praefectus indulgere poterit ut ordines scindant, caute tamen ne ullus nimis recedat* [8]. *Si deambulantes in Episcopum incurrerint, detecto capite sistant alumni ut ei debitum praebeant obsequium; si vero in Canonicos, Superiores, Professores Seminarii aliosque sacerdotes, vel alios viros a Superioribus praecipue designatos, tunc illos salutent detecto capite, quin consistant* [9].

[1] *Institut.*, Par. III, cap. 6.
[2] *Ibid.*
[3] Art. 162.
[4] S. Car. Borr., *Institut.*, Par. III, cap. 6.
[5] Art. 157.
[6] *Id.*, 158.
[7] *Id.*, 159.
[8] *Id.*, 160.
[9] *Id.*, 161.

CCCXLI. — Quod autem ad clericorum studium et sollicitudinem rei catholicae provehendae spectat, quum SS. D. N. Pius X constituerit: *Sacrorum alumni qui in Seminariis instituuntur omnino arceantur ab externarum rerum perturbationibus utcumque fovendis* [1], causa iam dicta est. Nec satius umquam quis prospexerit ut quae de Italis Seminariis lex viget, ab aliarum quoque Gentium clericis observanda praecipiatur, quum eadem ubique incommoda et mala, ex huius praecepti neglectu, pertimescenda sint. Nam in huiusmodi rebus ea collocare studia quae tum opportuna et congruentia tempori spectent, tum propria cuiusque commoda comparent provideantque, eorum tantum est qui nomen praeferant duplici clarum incremento, idest vitae quum in religioso, tum in civili genere actuosae. Quod si quandoque in provectis quoque sacerdotibus desideratur, multo minus in his clericis comperias qui nullam hucusque tantarum rerum experientiam nacti sunt ac nihilo magis quam quiete et silentio proficiant. Profecto quae communi commendantur gratia et favore catholicorum de actione sociali studia nec nos contemnenda existimamus, neque clericorum votis et opera [de consensu utique et auctoritate Ordinari caute praestanda] destituta volumus. Nihilominus idem contendimus, valde inopportunum esse atque animi recollectioni omnino contrarium si in huiusmodi sociali actione clerici quoque directas partes habeant. Illi fortasse qui institutione tanti profecerint ut mox veluti magistri in Israel dandi sint, nonnumquam [ubi nulla vigeat de re prohibitio] in haec eadem studia aliquantulum incumbere possint: at si de omnibus clericis sermo sit optimum consilium censemus eos ab his pertractandis rebus omnino arcere. — Multo magis vero ne clerici scripta foliis periodicis aut ephemeridibus dent cavendum est, quum minus damnum quod inde redundare consueverit temporis iactura contineatur; quandoquidem inanium earum rerum cultus nonnisi cum gravi studiorum atque ecclesiastici spiritus detrimento alitur. Itaque his plus aequo properantibus Rector suadeatur ut sua tempora

[1] Encycl. *Pieni l'animo* ad Episcop. Ital. die XXIX Jul. 1906.

expectent: interea vero earum rerum quae docere cupiunt summis curis studiisque plenam sibi comparent notitiam, ne, cum ceterorum risu, quae hodie errorum portenta disseminant, aliquando gravioribus etiam augeant confirmentque. — Qui nobiscum haec teneant graviora etiam damna atque pericula institutioni ecclesiasticae reformidanda esse concedent libenter si in ipsis sacri Seminarii septis [quod semel aut iterum fieri olim deploratum est] ea folia aut ephemerides conscribi a clericis et in lucem edi permittatur quae, per speciem litteraria studia promovendi, publicorum negotiorum gestionem curiosius exquirant iudicentque. Publicum clerici negotium [si ita loqui fas sit] morum suavitate, disciplinae observantia, doctrinae studio continetur: quae his supersunt omnia ceteris viris permittantur quibus utrum et ipsi suo tamen tempore, adiungi debeat Antistitum suorum consilio decernendum erit, quibus fideles omnes, et multo etiam magis clerici subditi sint oportet.

§ III. Quomodo tum in privatis, tum in publicis cum clericis relationibus se habere Rector debeat.

Summae rerum. — CCCXLII. Quaedam in re principia recoluntur. — CCCXLIII. Quomodo haec in observantiam deduci possint. — CCCXLIV. De Rectoris cum clericis privatis relationibus. — CCCXLV. De ratione inibi cum clericis serservanda. — CCCXLVI. Huius relationis difficultates recensentur. — CCCXLVII. Quomodo in publicis cum clericis relationibus se habere Rector debeat.

CCCXLII. — Ut quae de Rectoris cum clericis consuetudine dicenda veniunt perspicue appareant, quaedam in re principia, e Legislatoris mente deducta, praestituenda sunt, quae ita, paucis, perstringimus:

a) Rectorem adire clericis ius est, ut et Legislator statuit, edicendo: *Unusquisque clericus, horis et ratione statuendis libere ad Rectorem accedat, ut candide ac*

fiducialiter suas necessitates ac optata ipsi expromere possit [1]. Quae uti omnino sapienter charitative dicta habeantur, quo ut patri ae matri accedere filio ius est, ita Rectorem adire [qui clericos erga paternum ac maternum munus gerit] tironum in potestate est.

b) Sacri Instituti Rector clericos ad se venientes recipere, immo, et ad eos, interdum, accedere debitum est; quod, non tantum ex praecitatis decreti verbis, sed ex aliis quoque quae sequuntur erui debet, nimirum : *Ut clericos intime ac directe agnoscat, non tantum privatim singulos admoneat ac hortetur, sed patris studiosi ad instar saepius iis interesto, tamen absque auctoritatis detrimento.* [2]

CCCXLIII. — Rector vero ille qui sequentem servet rationem hisce principiis innixam, qua excessum devitando, mediam viam feliciter iniet. Idcirco:

a) Una saltem vice unoquoque in mense [ordinariis in adiunctis] singuli clerici Rectori coram sistent, et ut faciant Rector provideat. De cetero tironum numerus, Rectoris peculiares conditiones, coeteraeque circumstantiae plurimum in rem influunt. — Quum autem necessitas urgeat, tunc, omnino libere semperque Rectorem adire clericis licebit.

b) Una quoque saltem vice in mense alumnorum contubernia Rector inviset, et ad rem ut unam alteramve occasionem adeo captet ut fere casu tantum eos inter adsit, consulendum; quod et D. Carolus suadet edicendo: *Interdum ex improvviso in locum recreationis clericorum eat, ac illorum mores observet.* [3] Tunc, boni patris ad instar [voce premiisque], tironum solatia excitet, victoribus gratuletur, ac sinceritatis, amoris, prudentiae sanctaeque laetitiae exemplum omnibus Rector praebeat. Quantum enim haec agendi ratio sibi ipso praesidium, clericis vero adiumentum afferat vix dici potest.

CCCXLIV. — Rectoris vero cum alumnis consue-

[1] Artic. 127.
[2] Artic. 29.
[3] *Instilut.* Par. II, Cap. II.

tudo in privata ac publica dispesci potest. Quoad privatam spectat rationem indigitamus statim, nimirum:

a) Nemo ad Rectorem accedat quin scripto eum admoneat ac ab ipso advocetur, quo Legislatoris praecepto modum ac horas in re statuentis apte paretur. Nec obstupescat quis; quum quantum haec industria [qua tantum tum studiorum, tum disciplinae, tum clericorum ac Rectoris homo consulitur] ad plura graviaque praecavenda incommoda valeat, experientia ac usus amplissime docuere. Enimvero quum Rector tunc tantum clericum ad se advocet quum per tempus ei licet, studiorum tempus in audientiae expectatione haud teritur, per ambulacra cursitationes devitantur, diversorum inter contuberniorum alumnorum consuetudo precavetur, ac, pacato paratoque animo, Rectori tiro accedit. Praepositus vero, ne frequenter nimis interceptus, multa eaque gravia in regimine agenda posthabeatur, vel omittat, sua negotia rite disponere debet. Attamen, quum necessitas urgeat, libere omnino Rectori accedere alumno ius esse vix recolendum.

b) Diligenter, idest [si per tempus licet] in diem, clericos ad se venire cupientes Rector advocet; si secus enim eorum in re ius ac libertas valde imminueretur. Si vero negotium de quo agatur, ex disciplinae adiunctis, coniicere Rector potest, prudentiae legibus opportunius ipse consulet.

c) Quae tum tempore, tum numero horae in re statuendae sint ex alumnorum quantitate, Seminarii contigentiis, ac Rectoris negotiis plurimum pendent. Si Praepositus vero adeo aliquem saltem suae vitae ordinem imponat, ut dies ac horas externis insumendis constituat, et quae [consuetis in adiunctis] clericis impendendae sint facilius decernet. Quidquid sit harum horarum numerus ut maior quam minor sit potius suadendum; hae vero horae ex illis in quibus tum infra, tum extra Contubernium pietatis exercitationes habentur, numquam erunt. Qui autem hunc horarum numerum vel colloquutionum tempus minuere intendit ut, recreationis tempore, alumnos ad se advocet studebit.

CCCXLV. — Hisce praehabitis ad practicam in re rationem a Rectore servandam accedimus. Idcirco:

a) Adeo benevolo animo comiterque alumnum Rector recipiat ut non tantum diffidentiam ac timorem ab eo pellat, sed et fiduciam amoremque seipsum erga excitet; quo tantum [ut Legislator suadet] *libere ac sincere animum suum alumnus Superiori pandet*[1].

b) Prudenter se gerat Rector; nimirum *cui, qualiter, quantum loquatur sedulo attendat: si enim horum aliquod defuerit, locutio apta non erit!*[2] Idcirco de his quae ceteris pertinent nulla directa quaestio, nimia in re et indirecta inquisitio ulla; tranquillo animo ac ulla absque festinatione omnia Rector audiat, et potiusquam ex verbis, ex verbusculis, dimidiatis verbis, reticentiis ac vultu plura ipse subaudiat. Captiosas inopinatasque quaestiones [astutiam redolentes] prudenter devitet; murmurantibus adulantibusque non tantum ne praebeat aures, sed immo et os ipsis claudat obstruatque; regiminis acta ne discutiat, omissa et eo minus agenda nemini pandat. Uno verbo, nec curiositati, nec loquacitati, nec taciturnitati, nec loquutionis ambiguitati Rector inserviat; sed propositis sibi quaestionibus adeo perspicue practiceque respondeat ut quid decernendum agendumve sit tum Officiales, tum clerici dignoscant.

c) Peculiarem sui muneris indolem heic quoque continuo Rector prae oculis habeat, quum ad hoc ut ad *sanctam regularemque vitam clericos instituat*[3] ipse assumatur, et ut *divinae gloriae amplificationem, clericorum in omni virtute perfectionem semper ante oculos habeat, et ad eum finem omnes cogitationes referat et curas*[4] Seminario praeficiatur. Ad rem vero pressius in S. C. decreto statutum legimus: *cum alumnis saepe habebit sermones, ut eos doceat atque hortetur ad eorum munerum observantiam, et ad usum praeceptorum humanitatis*[5]. Igitur:

[1] Artic. 127.
[2] S. Greg. Magn., *Moral.*, Lib. III, Cap. 4.
[3] Artic. 28.
[4] S. Carolus Borromaeus, *Instit.* Par. II. Cap. 2.
[5] Artic. 29.

I) *Ad clericorum munerum observantiam* colloquutores suos Rector adhortari tenetur, scilicet in his quae tum pietatem, tum studia, tum disciplinam spectant. Idcirco [capta occasione, sed prudenter omnino] nil quo per has semitas clerici deduci possint [et quod eorum in regularum observantia continetur] Rector omittat, quo, dum quibus in praesentiarum sunt prospicit, et futuribus providet. Rectitudinis igitur sensum [in primis et ante omnia] suos in auditores Rector instillare conetur, quo iustitiae, prudentiae, caritatis ac sinceritatis cultus sacrosanctus illis reddatur, quibus tantum viri fortes ad proelianda proelia Domini clerici effici possunt. Quoad omnia rectas solidasque, nullo artificio fucatas, ideas clericorum in mentibus inserere et evolvere Rector satagat, ac auctoritatem erga fere cultum ipsis suadeat, cui tantum fideliter inhaerendo, per huius mundi salebrosas semitas secure incedere valemus. Apostolicam igitur erga Sedem omnimodam tum mentis, tum operis obedientiam clericis suadeat Rector, quod et Ordinarium erga consulebit. Prudenter utique at persevanter quoque quae generalis huius mundi, ac sacerdotalis coetus peculiaris condicio sit clericos edoceat[1], ac nil Rector praetereat quo, *inter officii sui fines, sinceritati ac evolutioni sacerdotalis vocationis consulat*[2]; quidquid igitur ei prodest conferat, quidquid eam officit, amovere Rector contendat. Tandem, uno verbo, sacerdotale spiritum Christi bono flagrantem odore inspiret, ad pastoralem vitam clericos adparare Rector contendat, quo tantum vere sanctos, vere doctos, vere prudentes populo Dei duces pastoresque ipse comparabit, et sui muneris excelsum finem ipse assequetur.

II) *Et usum praeceptorum humanitatis* his in colloquiis Rector clericos edocere tenetur; et recte sane quum in his externa caritatis officia contineantur, quae si defecerint et interna imminuerentur, vel funditus quoque disperderentur. Qua in re Sapientiae monimentum illud prae oculis habere iuvabit: *Omni tempore sint vestimenta*

[1] Cfr. Artic. 30. [2] *ibid.* 29.

tua candida [1], et aliud Hieronymi dilecto Nepotiano traditum: *Ornatus ut sordes pari modo fugiendae sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet* [2]. De duobus vero *rusticitatem habere sanctam quam eloquentiam peccatricem* [3] praestantius erit.

CCCXLVI. — Huius Rectoris muneris acerbitatem haud difitemur. Tot enim tantaque [saepe nimis ludicra] audienda a Rectore sunt, potiusquam bonis, malis nunciis praebendae aures sunt, et adeo negare vel concedere, dissimulare ac edocere, corripere ac solare est ut neminem in malam accipiat partem, ac omnes, e contrario, iuventur, ut nec iustitia, nec caritates detrimentum persentiant, ut in his omnibus quam maxima prudentia, patientia ac vigilantia Rector indigeat. Attamen si in re incommoda cum emolumentis quae, ex hac agendi ratione, tum Rectori, tum clericis ac Seminario proveniunt componamus, postrema primas obtinere partes facile comperimus. Enimvero in audiendo docilitas, prudentis regiminis pars contineri Doctor docet Angelicus, qua tantum qui clerici revera sint dignoscere, ac eorum peculiaribus necessitatibus prospicere Rectori licebit. Eius enim verba, paterna maternaque caritate fragrantia, clericorum in animis adeo altius insident ut et abundantem virtutis fructum afferant. Insuper ex hac Rectoris cum clericis privata consuetudine plura utilia scitu quae tum Seminarii generale regimen, tum Officiales, tum clericos eorumque Parentes ac dioecesis bonum attingunt adeo dignoscuntur [quae secus ignorarentur] ut si Rector clericis in audiendis praecipuam diei partem impendant, haud oleum operamque perdat. Quod Moisem, Salomon, Deboram aliique Sancti omnes in moribus habuisse tum Sacrae Litterae, tum ecclesiastica historia amplissime docent. Nec opponat quis regiminis statum per Officiales a Rectore dignoscendum esse, quum qui eum pandant perraro habeantur, immo et qui *claudant Principem suum ne quid sciat*[4] semper inveniantur. Per se ipsum igitur, suis ipsis oculis auribusque quomodo

[1] *Eccles.* x, 8.
[2] *In epist.*
[3] *ibid.*
[4] Volpiscus, *Histor.* IV.

res se habeant Rector prospiciat, et dum Officialium relationibus auditum praestat, et subditorum notitias thesaurizet; persaepe enim quae coeteri abdunt, fidentius copiosiusque inferiores Rectori pandunt. Fallaciis sine numero se obnoxium esse Rector persuasum habeat, quo ut huic conscientiae suae debito ac clericorum iuribus consulet, quam maxime suadebitur. *Si inclinaveris aurem tuam excipies doctrinam, et si dilexeris audire, sapiens eris* [1] monet Sapiens.

CCCXLVII. — Publicas Rectoris cum clericis relationes praestituisse Legislator ex legis verbis superius adlatis clare evincitur; quod de cetero, tum ex huius muneris indole, tum ex communi experientia confirmatur omnino. At in re nota haud immorari praestat, et harum relationum diversas species recolere praestantius erit, quae [si ita loqui fas est] in ecclesiasticas ac prophanas dispesci possunt.

I) Relationes ecclesiasticas illas dicimus quibus *Rector pias cohortationes interdum clericis habet de his rebus quas ad eos expedire censuerit* [2] ut D. iubet Carolus, cui S. Sedis praescriptio accedit: *Cum alumnis itaque saepe opportunas habeat adhortationes* [3]. Rectorem igitur illum qui ter vel quatuor in anno publicam clericis omnibus habuerit adhortationem satius fecisse putamus. Si saepius enim, vel adhortatoris ex officio munus sibi aucuparet, vel Moderatoris spiritus provinciam invadet, quod utrumque sane a Legislatore ei vetatur omnino. Et alios adesse qui quotidie [post coenatum] hanc adhortationem clericis tenent scimus equidem: at, dum eorum sententiam reveremur, eius praxim pro Seminariis omnibus haud suademus. Quidquid sit hisce in adiunctis ne Rector sinixtra destruat quod dextra struit, quae de a Moderatore Spiritus in coram alumnis adhortationibus servandis alibi indigitavimus normis et Rectori ingeminamus qui, insuper, ne spiritualis regiminis unitas periclitetur, ut et in peculiaribus cum Moderatore Spiritus sententiis conveniat valde interest.

[1] *Eccles.*. VII, 34.
[2] S. Carol. Borrom., *Instit.*, P. II, cap. 2.
[3] Artic. 29.

b) Prophanae relationes [si ita loqui fas est] earum iuxta obiectum iterum in scholasticas et disciplinares dispesci possunt quae, uti per se perspicuas, haud demonstratione indigent. Hoc unum tamen memoramus, nimirum ne auctoritas detrimentum patiatur, discretio [qua tum in numero, tum in modo necessitatis vel utilitatis caussae consulitur ac prudentiae leges observantur] servanda. Nimietas contemptum facile parere [quo omnis regiminis fructus disperdi solet] omnes scimus.

§ IV. — Quae circa clericorum epistolare commercium ac diaria a Rectore servanda sint.

Summae rerum. — CCCXLVIII. Peculiares quoad clericorum epistolas normae recoluntur. — CCCXLIX. De diariis ac ephemeridibus in Sacris Seminariis.

CCCXLVIII. — De clericorum epistolari commercio aliquas normas Rectori utiles recolemus, quibus peculiaribus cum clericis Praepositi relationibus finem imponimus. Igitur:

a) Alumnorum quae ipsi mittunt, vel quae ad ipsos mittuntur epistolas legere Rectoris debitum est; Legislator enim iubet: *Nullus recipiat vel mittat epistolas quin a Rectore inspiciantur* [1], quod et borromeana suadent placita edicendo: *Litteras neque mittant clerici, neque ad se missas aperiant, priusquam Rectori ostenderint.* [2] Si quae ex hac agendi ratione habentur emolumenta Praepositi perpenderent, hoc taediosum munus patienter pro certo ipsi susciperent, nec nemini Officiali ipsi demandarent. Hac enim lectione plura ad clericorum institutionem conferentia dignoscuntur, quae secus ignorarentur. Parentum ingenia, optata vel timores, transactam, praesentem [ac aliquo modo] futuram clericorum condicionem [quae in institutione magni facienda semper], dicteria plurima quae persaepe per Seminarium evagantur, et incommoda quae hinc inde habentur

[1] Artic. 150. [2] *Institut.*, Par. III, cap. 3.

adeo dignoscuntur ut ipsis occurrere praestantius commodiusque sit. Interdum vero et parentes et alumni quae describunt, ideo describunt ut dum sese inter plura enarrant, Rectorem certiorem reddant. — Tandem [quod maximi interest] quum iuvenes clerici aetate imbecilliores ac iudicio infirmiores sint [potiusquam veritati], adeo phantasiae ac profano saepe inserviunt spiritu, ut si eorum haud perlegeris litteras tum Seminarii, tum Moteratoribus, tum condiscipulis alumnisque haud leve detrimentum comparabis. — Quasdam insuper quae ad clericos mittuntur epistolas ecclesiastico offici spiritu omnes scimus, ac, interdum, ingratas familiares res nimis cito ipsi dignoscunt quas occultare vel sensim sine sensu pandere, Rectoris prudentiae caritatisque est. Praepositus igitur huic ingrato officio per se ipsum, ut plurimum, satisfacere curet, quo tantum plura ad regimen utilia ipse dignoscet providebitque.

b) Exceptiones in re servandae paucae sint, quae, ut plurimum, locum habent quum quosdam Parentes [aliquibus peculiaribus in contingentiis] id sciscitentur, vel quum [iisdem in adiunctis] alumnus ipse idem, candide, postulaverit. Si quis vero Episcopo scribat, vel ipsi Ordinarius epistolas mittat, nullo modo a Rectore perlegantur epistolae ex conscientiae debito omnino patet.

c) Quibus, quomodo et a quibus accipere epistolas clericis liceat, ex eorum tum generali, tum peculiari condicione eruendum est.

I) In primis et ante omnia, bis saltem in mense [et saepius si hi quorum interest postulaverint], alumni Parentibus epistolas mittant.

II) Benefactoribus vero ac tutoribus, ut appetente D. N. I. C. Nativitate id alumni faciant suadendi, quod et extra-diocesani tirones Ordinarium erga praestare debent.

III) Ceteris vero et a ceteris [nisi expressus, vel saltem tacitus Parentum accedat consensus], ut plurimum, nil permittendum. Secus tum tempus [utilius in studiis impendendum], tum spiritus recollectio [in ecclesiastica institutione quam maximi facienda], tum pecunia grave persentirent detrimentum.

IV) A quibus autem clericos epistolas accipere liceat, remote ab ipsis tantum quibus ipsi mittere licet, proxime autem per Rectorem tantummodo. At, saepe nimis, irregularibus ex semitis clericis pervenire litteras [presertim quum externas ipsi adeunt scholas, vel ad eos alumni externi accedunt] omnibus in comperto est: quod tum vigilantia, tum redargutione ac poenis quam maxime cohibendum ut plura quae heic haberi solent incommoda devitentur.

d) Quae epistolas vel mittere, vel accipere clerici possint per se patet; has scilicet tantum quae clericalem condicionem decent. Caeteras vero quae quoquomodo saeculi spiritu inserviendo, contumaciae oleant, vel sacerdotali condicioni adversae quacumque ratione sint, a clericis arcere oportet, et ne alumni primum describant, sedulo Rectores advigilent.

CCCXLIX. — Diaria ac ephemerides facilem spiritus dissipationi pandunt aditum, quarum, videlicet, ope clerici inflatam potius falsique nominis scientiam quam veram sapientiam addiscunt, atque exinde Moderatorum suorum acta carpere, magis quam prono exsequi obsequio, adsuescunt. Quapropter tamquam norma constitui potest: ephemeridum lectione tempus terendum non esse quod aptius maioreque cum fructu studiis, aut spirituali institutioni impendatur. — Fideliter itaque ab aliarum quoque gentium clericis his insistendum esse existimamus quae tum f. r. Leo P. P. XIII, tum S. D. N. Pius PP. X de Seminariis italicis praescripsere: *Nulla omnino ephemeris, nec quae a catholicis viris conscripta sit, nec quae catholicornm actionem quam dicunt, impense foveat, in Seminaria induci debet,.. quam moderatores non permiserint. Moderatores vero nullam permittant nisi Episcoporum accedente singulari consensu* [1]. Quod Decessoris sui praeceptum, Pius X his a se, Italicis pro Seminariis constitutis, firmavit: *Clericos omnimo vetamus quominus ephemerides aut etiam periodicos libellos suscipiant legantve, nisi ex periodicis unum alterumve Episcoporum iudicio et auctoritate*

[1] *Istruzione* S. C. Affari Eccles. Straord., die XXVII Ian. 1902.

alumnorum studiis concedendum sit [1]. Quae ipso in S. Congregationis decreto prudentissime confirmantur: *Quoad lectiones attinet religiosissime dispositiones regnantis Summi Pontificis Pii X in Encyclica* « Pieni l'animo » *diei 29 Iuli 1906, et praelaudata S. Officii Instructione diei 28 augusti 1907 observentur* [2]. — Digna tamen laude is Rectore egerit qui periodica ab alumnis legenda singula ipse primus percurrerit, atque nihil nisi sanum atque opportunum in illis perhiberi suo iudicio comprobaverit.

§ IV. — Quae autumnalium feriarum tempore in clericos per Rectorem cavenda sint, et quae cum vigilias in castris agentes, cum pulsis ac veteribus alumnis eius agendi ratio esse possit.

Summae rerum. — CCCL. An alumnis concedendum sit ut huiusmodi feriarum tempus apud suos agant et quantum. — CCCLI. Quae his in adiunctis disciplinae munia et subsidia sint. — CCCLII. De alumnis militiam agentibus. — CCCLIII. De his qui sponte vel coacte e Seminario abierint, et de cum veteribus alumnis Rectoris consuetudine.

CCCL. — Ne fines nobis propositos praetergrediamur, a limine animadvertimus discordem de feriis autumnalibus clericis concedendis varias iuxta Gentes, variam per dioeceses praxim usumque vigere. Sive enim integrum feriarum tempus ducendum apud parentes conceditur, sive tantum pars eius ducenda permittitur, sive nihil de huiusmodi feriis alumnorum libertati dimittitur. Quamvis vero ius canonicum aut Tridentina Synodus nihil hac de re praecipiant, Leo tamen fel. rec. XIII ne clericos ad suos parentes feriarum tempore redire sinerent, non semel quarumdam Gentium Ordinarios monuit. *Vitandi periculi ratio suadet ut compareiur alumnis rusticatio*

[1] Encycl. *Pieni l'animo*, cit. [2] Artic. 104.

ad feriandum, nec arbitrium relinquatur suae cuique ipsorum adeundae familiae. Multa enim pravitatis exempla manent incautos..., quo fit ut in iuveniles cupiditates proni, aut ab incoepto deterreantur, aut sacerdotes futuri sint offensioni populo[1]. Quod ipsum nuperrime pro Universitatis Malinensis alumnis a Pio PP. X cautum quoque fuit[2]. Divi autem Caroli Borromaei instituta ac tradita [quibus fideliter insistimus] nihil ipsa de re docent, et ex his quae hodie per dioeceses ubi eius instituta vigent, adeo varia diversaque omnimo praxis servatur, ut nihil certi arguere liceat. — Si quid autem nostra sententia valeat, quaestio haec una eademque ratione pro omnibus Gentibus dioecesibusque solvi non potest. Pro variis enim diversisque adiunctis rerum et personarum conditionibus, varia etiam sit oportet ratio agendi et consulendi norma; quae omnia unus loci Episcopus [Tridentinis auditis Deputatis] aequi aestimare valet. Nihilominus ubique vitanda pariter extrema quae semper vitiosa fuere censemus, ac suademus nimirum non omnes ferias esse concedendas, sed ex parte tantum eas indulgendas esse. Quae omnia juxta S. Congregationis mentem omnino sunt, quae sapienter decrevit: *Episcopi omne studium adhibeant ut Seminarium domum habeat rusticationis in qua alumni animum relaxare queant, feriis autumnalibus. Occasione diuturnarum feriarum ne liceat alumnis eas apud parentes impendere; omnes acquiescant solatiis quae in Seminario hiis diebus parabuntur*[3]. *Feriae autumnales ab omnibus impendantur in loco ad rusticandum designato*[4]. Attamen, prudenter, *Episcoporum arbitrio committitur alumnis praesertim Lycaei et Theologiae indulgere ut per aliquod tempus [ad summum per mensem] apud parentes se conferant. Hoc in casu Rectoris esto eos committere respectivi Parochi vel alii pii sacerdotis diligentiae, a quibus privatas notitias expostulet de eorundem vitae ratione antequam eos in Semina-*

[1] Enc. *Paternae*, die 18 sept. 1899.
[2] die 1 April. 1908.
[3] Artic. 165,
[4] Artic. 167. — Cfr. *Concil. Prov. Ravenn.* [a. 1855] Par. IV, cap. IV decret. 9.

rium denuo admittat [1]. Idipsum decernendum est de feriis quoque paschalibus, prout nonnullis in dioecesibus Seminarii tironibus permittuntur; quamvis eas [utpote quae scholastico cursui annuali summopere contrariae sint] haud concedendas, meliore consilio, quis fortasse censeat.

CCCLI. — Quoties clerici longum, vel breve temporis intervallum agant apud suos, ut *juvenes ita relaxentur ut nec studii ac pietatis amor in ipsorum animis languescant, nec fastidium in Seminariis moram creetur* [2], Episcopi et Rectoris est eos [a longe licet] tum per se, tum per alios advigilare, ut in S. Congrerationis decreto mox legimus. Qua in re nullae maiore cum fructu recoli observarique possunt leges quam quae iam a Divo Carolo Borromaeo peropportune statutae fuere, et nostris quoque temporibus, apud plurimas Longobardorum dioeceses religiose servantur. Quare:

1) Discessuris alumnis Ordinarius epistolas commendaticias parocho exhibendas tradat. *Cum aliqua de causa* [haec Divi Caroli verba sunt], *ad domesticos lares ire contigerit ibi per aliquot dies mansuris, sine litteris commendaticiis Reverendissimi Archiepiscopi discedere ne liceat... Quarum litterarum exemplar, appetente vacationum tempore, tot quot opus fuerint pro numero clericorum exscribantur, ut opportune paratae sint, ac clericis abeuntibus dentur perferendae.* [3] Has vero litteras [quarum paradigma ad calcem voluminis exhibemus] in tempore comparare Rectoris est.

2) Accedente feriarum tempore haud omittant Moderatores suos alumnos instruere qua ratione in omni modestia et sanctitate debeant inter consanguineos et concives versare, quae pericula fugere ut immaculatos se custodiant ab hoc saeculo; quibus exercitiis pietatis quotitie indulgere, ut clementissimus Deus, quaemadmodum diem benedixit quo requievit ab omni opere quod patrarat, ita et tempus benedicere dignetur quo alumni, post exantlatos labores, feriarum quiete fruuntur.

3) Vicarii Foranei quae hac in re parochi

[1] Artic. 167. tit. IX.
[2] *Consess. Episc. Umbriae* [a. 1849] [3] *Institut.* Par. I, cap. 2.

agunt advigilent. — Interdum enim haud fideliter seduloque huic officii sui debito satisfaciunt fortasse parochi, qui si a Vicariis Foraneis advigilentur, suo muneri non deficiunt. Quapropter tum nomina, tum pagi alumnorum Vicario Foraneo describantur, his cum litteris quarum specimen in calce voluminis videre est.

4) Tum Parochi, tum Vicarii Foranei *totam alumni vivendi rationem diligenter observent,* atque haec praecipue quas Divus Carolus apertius recolit:

a) An quotidie, mane vel vespere, orationi vacet.

b) An singulis quindecim diebus peccata sua probato sacerdoti confiteatur, Sanctissimamque Eucharistiam sumat.

c) An diebus festis missae conventuali reliquisque officiis in Ecclesia, superpelliceo indutus, religiose intersit et inserviat.

d) An ordinum quibus est initiatus functiones frequenter exerceat.

e) An doctrinam christianam in Ecclesia, horis statutis, doceat singulis diebus festis.

f) An clericali vestitu talari decenter utatur, et eum iugiter deferat tonsuramve gestet.

g) An quidpiam aliud in conciliis nostris clericis prohibitum commitat.

h An cum laicis, et praesertim cum mulieribus, v r- setur [1].

Neque satis: nam S. Carolus parochum admonet: *Haec et si quae alia sunt a te quam diligentissime animadverti volumus* [2]; inter quae, hac nostra tempestate maxime, recolenda sunt quae ad ephemeridum librorumque lectionem, et ad novarum rerum studium pertinent.

5) Quando optio detur, semel saltem ad spiritualem unius diei secessum omnes clerici conveniant. — Quantum enim haec pia praxis in bonum clericorum cedat quotidiana experientia suadet. Quod si itinerum difficultates longinquis obstent, urbani aut suburbani

[1] S. Car. Borr., *Institut.*, Par. II, cap. 2. — Cfr. Paradigma.

[2] *Ibid.*

clerici iis profecto impedimentis non detinentur; sed ut hi quoque qui procul dissideant, per vicarias [a mane saltem usque ad vesperas] convocentur suadendum est.

6) Epistolare commercium cum alumnis Rectores ineant, quo salutaria monita tironibus in mentem revocentur, et clericorum amor erga Seminarium et Institutores foveatur.

7) Expleto autem rusticationis tempore Parochus clericis in Seminarium redeuntibus litteras testimoniales tradat, quibus [iuxta rei veritatem], de vita et moribus suorum clericorum Episcopum, vel Rectorem certiores reddat. - *Ubi vero redeundi tempus* [sic S. Carolus parochum admonet] *advenerit, litteris sigillo tuo munitis, prius tamen Vicarii foranei approbatione subscriptis, quidnam in singulis dictis capitibus, aut alia in re excessus, vel defectus exstiterit* [*super quo conscientiam tuam oneramus*] *singillatim Nobis cumulatissime significabis*[1]. — Quod si feriarum tempore aliquid grave acciderit ex quo de vocationis defectu legitima suspicio suboriri possit, antequam redeundi tempus adveniat, [ut opportune a Seminario procul indignus arceatur] de ipsa re parochus certiorem faciat Episcopum.

Haec omnia si sedulo exequutioni demandentur plurimum conferent ut quae sacrorum alumnis rusticationis tempore pertimescenda ac reformidanda sunt spiritualis animi cultus vitia ac defectus sollicite caveantur, quo quidem fructu magna Ecclesiae quoque utilitas et incrementum continetur. Si vero [e contrario] his praeceptis non omnimoda adhibeatur observantia, profecto tyronum spirituale bonum in magnum discrimen adeo adducetur ut Seminarium suos alumnos clericali utique habitu et veste indutos, non tamen moribus et animo Sanctuario dignis praeditos sit recepturum, sibi quidem ac, multo etiam magis, aliis inutiles iam et perniciosos.

CCCLII. — De Rectoris agendi ratione servanda cum his qui, ad tempus, in castris vigilias agunt fere nil innuere autumamus; quum cuncta quae ad rem fa-

[1] *Institut.* Par. I, Cap. 2.

ciunt S. R. Congregationes[1] Episcopo praecipiant, quae ipse solus praestare debet. Attamen ut et hos, epistolari commercio mediante, per salebrosa itinera Praepositus dilectos filios regat sustentetque suademus. — Quum de extradioecesanis agatur qui, militiae exercendae caussa, in loco ubi Seminarium residet commorantur, si, ut a saeculi periculis tueantur [dum per tempus liceat] Sacro in Instituto eos excipere Ordinarius iubeat, tunc omnino caute prudenterque quae eorum cum alumnis consuetudo sit advigilanda est. Non libere igitur omnibus cum alumnis commercium inire facultas hisce clericis sub stipendiis largiatur, sed ex contuberniis uno tantum, illo scilicet aetate provectioribus alumnis adsciscantur. — Ne vero quae stativis in castris agendi ratio est, in Seminario inducatur [quo, dum extradioecesanis consulitur, dioecesanis detrimentum comparatur] tum per se, tum per Vice-Rectorem ac contuberniorum Praefectos, sedulo Rector vigilet. Si autem in re periculum experientia suadeat, tunc hos clericos a Seminario amovere ac alicui probo civitatis sacerdoti committere, praestantius erit.

CCCLIII. — Tamdem et de ratione a Rectore servanda cum tironibus qui pulsi vel sponte discedunt, et cum sarcerdotibus iam alumnis aliquid innuimus.

a) Qui pulsi fuerunt si redierint, amice sed prudenter excipiendi sunt; hortandi ut boni cives sint, quibus haud minus quam bonis sacerdotibus respublica eget.

b) Qui sponte Seminarium linquunt facilius redeunt, Rectorem adeunt, consulunt, auxiliumque interdum quaerunt; hi praesertim [qum ex hoc ipso magnam laudem mereantur] multa caritate, dum licet, excipiendi adiuvandique sunt. Tum his, tum illis vetandum tamen ne epistolare, vel orale commercium cum antiquis contubernalibus servent; quinimmo ipsorum Moderatorum epistolae ad eos breves sint atque prudentes, ne forte Seminarii hostibus arma tradantur.

[1] Die 17 Sept. 1875, 28 Nov. 1892, 9 Sept. 1899, 26 Ian. 1895 et 19 Aug. 1904

c) Sacerdotes olim alumni, qui asperam ministerii viam peragunt infinito fere studio a suo Rectore colendi erunt. At, contra, saepe contingit, quasi carcere egressos, iuvenes sacerdotes de Seminario exeuntes ita videri, ut disciplina qua sunt instituti, nihil in animis eorum nisi odium reliquerit, neque Moderatores, qui eos diligere nesciverant, caros unquam habeant. At curet omni ope Rector ut alumnorum animos sibi devinciat, et si diligi velit, ipse primum diligat, atque ita egressos e Seminarii septis benevolos sibi semper persentiet, et Ordinarium in perardua dioecesis moderatione, quodammodo, adiuvet. Labentibus enim plerumque annis, adeo sacerdotes fere omnes dioecesani Seminarii Rector agnoscit ut, prudentia ac obedientia suadentibus, eius consilia ad animarum bonum multum prodesse poterint. Eum inter igitur veteresque alumnos numquam studium vel amicitia deficiant; sed eos semper Rector benigno vultu et sincera charitate excipiat, maxime vero cum probatos atque tentatos audiat, erigat et, amantissimi patris ad instar, suas alumnorum lacrymis admisceat eosque soletur: altissimum sane ministerium, quod ut Rectores plurimi perficiant Deus faxit!

Articulus IV.

De Clericorum dimissione.

§ I. — De clericorum dimissione eiusque rationes ac cautelae.

Summae rerum. — CCCLIV. Quanti intersit ineptos clericos e Seminario dimittere. — CCCLV. Cuius sit eos dimittere. — CCCLVI. Missionis caussae quae. — CCCLVII. Quo tempore faciendam.

CCCLIV. — Quod florum excolenti munera nonnumquam accidit qui, quantascumque curas ac industrias arte sua bene peritus adhibeat, haud tamen semel septis in hortis malas herbas vepresque evellendas reperit, Sacris quoque in Seminariis idipsum evenire consuevit. Interdum enim alumnorum frequentia ac varia animorum condicio [novarum saepe rerum accedente cupiditate] quosdam ita comparatos moribus exhibent ut sacerdotio [cuius tamen olim desiderio flagrabant] idonei haud comprobentur. Ut igitur gravia ea damna ac detrimenta quae laicorum laicalia inhiantium, vel [eoque magis] dyscolorum cum bonis una simul conversatio parere consuevit caveantur, utque praeterea sacer ille divinarum rerum ardor [qui clericalis institutionis caput est] Sacris in Seminariis foveatur ac servetur, sicuti zizania quae bono frumento ruinam parent confestim evellenda sunt, ita etiam ut prudenter quidem, at nulla interposita mora qui sacris altaribus numquam, aut nonnisi fraudolenter operaturi sunt ad saeculum redeant, singulari studio curandum est. Si quis enim profana consideratione falsus deficiat, pessimae proditionis reus in Ecclesiam constitueretur: quae quidem [satius id nemo dixerit] ab his sacerdotibus qui debita vitae sanctitate non praefulgeant nil est quod pertimescere ac reformidare mali non possit.

CCCLV. — Ius ac debitum dimittendi clericos Ordinarii tantum est, ut Tridentinum aperte decernit: *Dyscolos et incorrigibiles ac malorum morum semi-*

natores acriter [Episcopi] *puniant, eos etiam, si opus fuerit, expellendo* [1]; et S. Carolus scribit: *Rector ne recipiat quempiam, nec eiiciat e Seminario absque Rmi Archiepiscopi licentia* [2]. Attamen Sanctus Vir prudenter addit: *Poterit tamen* [Rector] *eos expellere qui in re gravi contumaces fuerint, aut magnum aliquod erratum et publicum admiserint* [3]. Sed et cum Praepositis haec tradita auctoritas fuerit, ea tamen, inconsulto Episcopo, numquam utantur, et haud facile ingratum plerumque hoc negotium sibi assumant, et non proprio tantum iudicio confidant.

CXXXI. — Qui alumni dimittendi sint ex fine Seminario proposito dignoscitur. Hi igitur omnes qui quacumque ratione Ecclesiae dignos vel idoneos ministros se evasuros haud demonstrent a Sacro Istituto arcendi sunt. Ad rem vero Concilium Tridentinum pressius decernit: *Dyscolos et incorrigibiles ac malorum morum seminatores acriter puniant, eos etiam si opus fuerit expellendo* [4]; quod et in decreto de quo aginus fere ad verbum iteratum videmus: *Incorrigibiles, illi scilicet, qui studiosis monitis ac opportunis reprehensionibus habitis, haud multam spem afferant sese ad meliorem frugem recipiendi, dimittantur* [5].

CCCLVI. — Missionis causae aliae communes, peculiares aliae sunt:

a) Communes rationes facilius intelliges quam dixeris, et a Leone P.P. XIII paucis indigitantur: *Dimittantur quot tempore eorum institutionis propensiones cum vocatione sacerdotali incongruentes ostenderit* [6]. Cum enim alumni vita omnis tales praeseferat sive imbecilli animi vel impatientiae, aut levitatis, vel malignitatis mendas, quae omnia simul optimum Dei ministrum ita dedeceant ut eum inutilem vel fere indignum apostulatui ostendant, melius erit clericum dimittere quam, nimiae indulgentiae causa, ineptum deinde aut nocentem ministrum habere. Expresse enim S. Carolum monentem

[1] Loc. cit.
[2] *Institut.* par. II, cap. II.
[3] Ibid.
[4] Loc. cit.
[5] Art. 168.
[6] Encycl. *ad Ital. Episcop.* die 8 dic. 1902.

audivimus eos esse tirones eligendos qui *idoneos sacerdotes ad animarum curationem evadere posse, aliqua ratione ostendant. Secus e Seminario dimittantur, cum non ea de causa sit institutum, ut in eo simplices sacerdotes, sibi tantum utiles futuri educentur* [1]. — Valetudinis pariter defectus, vel obtusa nimis mentis acies, quae annua studiorum experimenta ferre non valeat, tironem dimittendum suadent; neque aliter dicendum de canonicis impedimentis quae sive susceptioni, sive ordini suscipiendi exercitio obstiterint.

b) Peculiares dimissionis causae sunt:

1) Quae contra mores admittuntur, quae nemo feret, nisi moribus perditum dioeceseos clerum esse velit. *Graves* itaque *in mores transgressiones immediata e Seminario expulsione puniantur* [2]. *Melius est,* scribit enim S. Gregorius, *de ovili dominico morbosam ovem eiicere, quam, unius vitio, sanas amittere* [3]. Perraro enim [ut experentia docet] huiusmodi vitia emendantur, quibus qui laborant sacerdotio indigni fiunt. *Grave enim detrimentum haud videtur iuvenem hac labe infectum eiicere, sed gravissimum contra erit eius familiaritate caeteros corrumpi. Huiusmodi reis neque prudentia, neque charitas indulgent, ut uni enim si peperceris. multorum discrimen parabis* [4].

2) Qui [praesertim adultis] aperte contra Institutores surrexerint, vel seditiones aequalium composuerint, hi scilicet *qui alios inducant ad defectiones, praeceptorum trasgressiones et arrogantiam dimittantur* [5]. Facile enim hisce conatibus disciplina perit, qua deficiente, Seminarium pessimum et Ecclesiae Christi fons dolorum habetur. *Nam et iurgia serent et plus minus latentes ciebunt rebelliones, sane triste spectaculum populo exhibentes...* [6]. Haec perpendens Pius PP. X alibi etiam suam hisce sententiam expromit: *Venenatus undique aer hominum nostra aetate corrumpit, cuius corruptionis pessimi*

[1] *Institut.* Par. II, Cap. II.
[2] Artic. 169.
[3] *Epistolar.*, Lib. III. Indict. 4, Epist. 7 *ad Ioan. Episcop.*
[4] S. Alphonsus de Ligorio, *Regolamento per i Seminari.* § 1.
[5] Artic. 168.
[6] Pius PP. X. Enciel. *Jucunda sane,* die 4 Mart. 1904.

fructus sunt de quibus S. Iudas scribit: Hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant. Inter corruptissimos igitur mores omnis auctoritas spernitur, omnes magistratus despiciuntur. Haec vero vitia passim in clerum invaluere, de quo, contra, unum tantum esset praedicandum: Natio illorum obedientia et dilectio, summo cum animi dolore miramur. Idque maxime inter iuniores sacerdotes fit... et inter ipsos sacerdotii tirones non raro contingit [1]. Si potiusquam contumax animus, magis aetatis imprudentia illud facinus admiserit, aliquantulum iuvenili ardori indulgendum. Attamen cum iterato atque gravius vel publice illa admittantur, tunc illud S. Bernardi retinendum est: *Ne timeas esse contra charitatem si, unius eiectione, scandalum multorum recompensaveris pace. Melius est ut pereat unus quam unitas* [2].

3) Tandem qui maleficae hodiernae laxitati vel, [multo peius] modernismi placitis indulgent, nisi ea *ex animo reprobaverint atque reicerint* [3] a Seminario arceantur. Pestifera enim haec lues quum Sacro in Istituto invaluerit in totius dioecesis irreparabile damnum evaderet.

CCCLVII. — Quo potissimum tempore clerici dimittendi. — Vitandum est ne quis forte, nimiae spei indulgens, paulo ante suscipiendos ordines alumnos dimittat, qui tunc, omni facultate ex tempore destituti, novam viam quomodo inire valeant, nesciunt. Profecto si iamdiu in Seminario tiro versatus fuerit, iamdiu pariter tum virtutes eius, tum vitia innotuisse Rectori oportuit. Saltem ex ipso tonsurae tempore [quae, juxta S. C. decreti ordinationes, in propaedeuticae anno accipitur] tironis ecclesiasticam vocationem sedulo Rector examinet, ac quo magis maiorum ordinum tempus appropinquat, eo melius id inquirat. Si autem tironem ad sacerdotium haud vocari iamdiu antea fuerit optime perspectum, tunc statim dimittendus erit. — Cum autem nonnullis in Seminariis laudabilis vigeat consuetudo ut autumnalis rusticationis tempore, alumni qui nondum

[1] Encycl. *De Cleri discipl*, die 28 Iul. 1906.

[2] Epist. 102, *ad quendam Abbatem.*

[3] S. Offic. *Instruct. ad Ordinarios locorum*, die 28 August. 1907.

sunt philosophico curriculo adscripti, clericalem vestem exuant, hac potissimum occasione ad missionem alumnorum utendum est. Quoquomodo autem curandum ut alumni regulariter ante expletum philosophicum curriculum de vocatione statuant. Enimvero, tunc cum ipsi vigesimum fere annum attigerint, suscipienda tunc sibi munera satis comperta habebunt. Tunc itaque, oratione multa atque prudentum exquisito consilio, suam eligant viam: quod si incerti adhuc haereant, Spiritus Moderator, Confessarius et Rector, paterne materneque, eos adiuvent.

§ II. — Ad rem modi.

Summae rerum. CCCLVIII. Cautelae ad rem. — CCCLIX. De his qui, cognita vocationis deficientia, sponte a Seminario resiliunt. — CCCLX. De titulis clericis discedentibus tradendis.

CCCLVIII. — Cautelas vero ad clerici dimissionem adhibendas paucis hisce complectimur, nimirum:

1) Sententia lento atque maturo iudicio eget, aliter enim iustitia in alumnos, aut eorum parentes, aut Seminarium et diocesim offenditur. Rector itaque, omni humano seposito studio unam quaerat veritatem; saepe enim hac in re aut ipse suo praeiudicio, aut aliorum mendacio fallitur. In iuventutis namque instituendae negotio haud raro accidit *antipathiae* [uti aiunt] opiniones praeformari, et hunc vel illum discipulum, vel quia adulationem refugit, vel quia rudis vel humilis originis, aut parum compta forma quis odit, vel saltem ita aegre tolerat ut, data occasione, facile dimittit. Quandoque vero non Rectoris odium est, sed vel contubernii Praefecti, aut Magistri stulta impatientia, qui leves aliorum defectus tolerare nesciunt, quos si facile audiveris, fere omnes brevi alumnos expelles. At prudenti contra examine tanti momenti causae egent, et ita sese Rector gerat ut eius si sententia oppugnetur, non solum apud Deum, sed penes homines quoque sui iudicii firmas rationes producere queat. Idcirco hoc in negotio ab extremis consiliis caveat ma-

xime Rector, quibus vel alumni statim inexorabiliter reiiciuntur, vel, contra, indulgentiae acclinis, ut cleri agmina, quovis pacto multiplicentur, indigni quoque retinentur. Nam tunc aut optimis ministris Ecclesia caret, vel parum dignis abundat, quod utrumque autem sistendo in medio ubi virtus adest summopere cavendum est.

2) Discretio servetur. — Maximi enim ponderis negotium agitatur, quod, plerumque, plus silentio quam verbis et scriptis gerendum est. Cum [ut per se patet] ut etiam in puniendo rei fama rigidissime custodiatur caritas exigat, si secreta culpa fuit, secreta maneat. Saepe quoque turpem culpam leviori menda abdideris, et non omnem noxae gravitatem revelaveris.

3) Vitetur tumultus atque rumor. — Nonnulla enim Seminaria illud usque in moribus habent ut, reo in coenaculo coram aequalibus genuflexo, ignominiosae missionis decretum legatur; deinde [more castrensi] ad ostia Seminarii deducitur ubi parentes eum expectant. At haec nil aliud nisi odium, aut obtrectationes susurrationesque pariunt, dum e contra humaniter agenda res est; cumque praesertim, studiorum anno perfecto, rusticationis causa, alumni discedunt, tunc cum parentibus ita agendum est ut, qui dimittendi sunt, non redeant. — Quando id autem infra annum agendum erit, tunc aut simulata familiari necessitate, aut cuiusdam morbi curandi adducta causa, susceptum consilium Rector tegat. Plerumque vero [cum praesertim parentes satis prudentes videris] revocandum sponte filium suadebis. — Quod si obiicierit quis ignominiosae missionis salutarem metum alumnis futurum, respondemus non metu tantum, sed amore quoque atque prudentia ecclesiasticam institutionem esse perficiendam. Uno verbo, hac in re diu orabis atque perpendes, parum loqueris, nihil fere scribes, et tranquille ac cum charitate omnia perficies.

CCCLIX. — Hi vero qui, cognito vocationis ecclesiasticae defectu, sponte abire velint, quum horum voluntas, matura satis atque ex animae Moderatoris consilio suscepta, maxime laudandi sunt. Hos igitur omnino approbet Rector, immo ut apposita saepe obsta

cula facilius vincant adiuvet. Duos enim laetissimos dies Rectori illucescere tenemus, nimirum, aut cum clerici suis instituti curis, ad presbyteratus ordinem accedunt, aut quum minus certa alicuius vocatio dignoscitur, quo, ne quis malus forte sacerdos fiat prohibetur, civitati vero optimus civis redditur. Cum opus itaque fuerit, causam tironis apud parentes, vel tutores Rector tueatur, illum vero adiuvet ut [sine dedecore] e Seminario exeat, neve quis eum dimissum suspicetur. Nonnullis enim in regionibus veluti sacerdotii transfugae iuvenes huiusmodi habentur, quam sententiam ipse Rector ut falsam cum omnibus arguat. E contra laudem satis amplam tironi suo tradat qui, nonnumquam, grave pecuniae quoque detrimentum sustinet, quum a benefactoribus derelinquitur, qui eum presbyterum quovis pacto fieri voluissent. Omnia itaque Rector caveat quae suo pro alumno cavere valet.

CCCLX. — Clericis Seminario discedentibus titulus tradendus est publicus [*certificat, zeugnis*] sobrius atque brevis a Rectore signatus, qui de moribus ac studiis testimonium praebeat: qua in re ut quae sunt veritatis jura ac officia prudenter tueantur numquam satis laudabitur. Insuper omnibus discedentibus clericis documenta quae ingredientes Seminarium obtulerunt, nimirum baptismi, confirmationis, valetudinis publica testimonia, ac cursus studiorum expleti fides restituantur. Praecipuae vero notae quae ad alumnum pertineant in secretis tabulis [*archive*] servandae erunt, ut [necessitate, vel utilitate cogente] quibus interest praesto sint.

RIEPILOGUS

Qui, opitulante Deo, longam satis operosanque viam alterae *Summulae* nostrae partem perlustravimus, exactum iter haud frustra perlustravimus. — Sacri Instituti Rectoris quoad privatam personam ideam [quae in eius sanctitate, caritate, prudentia ac justitia continetur] uti tractationi nostrae fundamentum praestituentes apprime exhibuimus. Eiusdem Praepositi deinde generalem ac peculiarem operam, tum quoad Seminarium in genere, tum quoad personas singulas inibi rationem habentes [quo tum eius jura ac debita, tum eius circa ipsos relationes indigitavimus] fideli quantum potuimus ratione descripsimus. — Perarduam sane rem ad quam pro viribus conficiendam, nihil diligentiae et considerationis omnisimus; siquidem probe eramus consci hac *Summulae* parte Seminarii regiminis omnis veluti fundamenta praestituenda esse, et, talia quidem ac tanta quae si utcunque nutarent, aedificium omne gravi ruinae periculo subiiceretur. — Quare ut ipsa quae dedimus fideliter teneantur in Domino obsecramus: haec enim si salva fuerint, Sacri Instituti finis profecto regimini assequendus propositus in omnibus facile tenebitur, qui totus in eo est ut justitia et charitas coniunctos triumphos simul semperque agant, ex quibus quantum in clericorum utilitatem et salutem redundet, ipsi earum germani Rectores, felici experientia, comperient. Tu vero qui legis *intende in haec et quae sequuntur diligenter et pie quantum potes: talis enim adiuvat Deus* [1], ac tales in Seminari apostolatusque bonum adiumentunque Sancta Dei exoptat Ecclesia.

[1] S. Augustinus, *De vera Relig.* cap. 10.

APPENDIX

Rectoris Seminarii regulae.

Rectoris circa Seminarium studia, debita ac officia, ex collatis hinc inde documentis, sic exhibemus.

A) Se ipsum erga.

1. — Divinae in primis gloriae amplificationem, clericorum in omni virtute perfectionem semper ante oculos habeat, et ad eum finem omnes cogitationes referat et curas [1].

2. — Quam diligentissime curet ut in se ipso eas ad vivum exprimat virtutes quas in clericis requirit, ita ut qui illi subiecti sunt in eo, tamquam in speculo, expressam videant eius vitae immaginem quae illis omni studio sit effingienda [2].

3. — Horam considerationi quotidie aut certe alternis diebus impendet, in qua secum et cum Deo consideret quomodo se habeat status domus, quomodo subditi proficiant..... an coeteros Officiales suo fungantur muneri.... ac quomodo regulas et disciplinam serventur [3].

4. — Orationibus ac sanctis desideriis totam domum, veluti humeris suis, sustentet [4].

B) Erga Seminarium.

I. — Quoad Pietatem.

5. — Studeat ut quae ad spirituale progressum spectant recte atque ordinate administrentur [5], et ut ad vitam regularem sanctamque clerici instruantur omni contendat nisu [6].

6. Iuxta sui muneris fines vocationis sacerdotalis sin-

[1] S. Car. Borr., *Institut.*, Par. II, cap. 2.
[2] *Id.*, *ibid.*
[3] Acquaviva, *Instructio* III.
[4] *Id.*, *ibid.*
[5] S. Car. Borr., *loc. cit.*
[6] Art. 28.

ceritatem ac evolutionem invigilet, et de omnibus quae ad virtute ac pietate progressum spectant se certiorem reddat [1].

7. — Pias cohortationes nonnumquam clericis habeat de his rebus quae ad clericos expedire censuerit [2].

8. — Intersit aliquando Divinis Officiis et horis Canonicis in Ecclesia Seminarii: videatque an chori disciplinae servetur caeremoniasque diligentius exerceantur [3].

9— Nonumquam in Ecclesiam Metropolitanam, cum in ea clerici fuerint, se recipiat ut illi diligentius quae ad cultum divinum spectant exequantur [4].

II. — Quoad Disciplinam.

10. — Diligentissime curet ut disciplina servetur ab omnibus qui in Seminario degunt [5]; ad rem supremam ac generalem vigiliantiam in omnibus et erga omnes praestabit, quin tamen in rebus secondariis sese importune immisceat [6].

11. — Nihil permittat sine consensu suo et approbatione in Seminario fieri [7].

III. — Quoad Studia

12. — Seminarii studia Pontificiae iuxta praescriptiones habeantur, et ad hoc in Professores eorumque doctrinas scrupulose invigilet [8].

13. — Invigilet ut ex scholastica institutione genuinum clerici capessent adiumentum [9].

14. — Scholas saepius visitet, et quae in his agantur perspiciet [10].

15. — Tabulas notarum, in Professorum usu deductas, opportune examinabit ac periculis intersit [11].

[1] Art. 30.
[2] S. Car Borr., *loc. cit.*
[3] *Id.*, *ibid.*
[4] *Id.*, *ibid.*
[5] *Id.*, *ibid.*
[6] Art. 31.
[7] S. Car. Borr., *loc. cit.*
[8] Pius PP. X, Encycl. *Peni l'animo.*
[9] Art. cit. 32.
[10] S. Car. Borr., *loc. cit.*
[11] Art. 32.

IV. — Quoad oeconomiam ac hygienem.

16. — Urgentes expensas, quas necessarias vel utiles Seminario censebit, peraget: si quid tamen alicuius momenti in re praestanda sunt, Ordinarii sententiam antea sciscitetur [1].

17. — Curet ut statis temporibus de his rebus statuatur quae in totum annum comparandae erunt [2].

18. — Eius paternae sollicitudinis obiectum et alumnorum sanitas erit. Idcirco tum per se, tum per Vice-Rectorem ut victus sanus sit, ut hygienis praecepta serventur, ac non bene habentibus provisum sit advigilet [3].

C) — Erga Episcopum ac Officiales

I. — Erga Episcopum.

19. — Reverendissimum Episcopum saepe adeat etiam non vocatus, ut ab eo si quid ad Seminarium pertinente constituere velit cognoscat [4].

20. — Si quid alicuis momenti aut exequi, aut innovare necesse est, nonnisi re cum Reverendissimo Archiepiscopo communicata id faciet eiusque auctoritatem et consilium sequatur [5].

21. — Interrogatus a Reverendissimo Archiepiscopo de uniuscuiusque clerici status, quodcunque scire, voluerit, fideliter adaperiat; caveat ne aliquid gratiae tribuat [6].

22. — Numquam ex Urbe discedat nisi praehabita ab Episcopo facultate, cui exeundi necessitatem exponet [7].

[1] Art. 34.
[2] S. Car. Borr., *loc. cit.*
[3] Art. 33.
[4] S. Car. Borr., *loc. cit.*
[5] *Id., ibid.*
[6] *Id., ibid.*
Barbarig., *Instit. Semin. Patav.*

II. — Erga Officiales

23. — Suam explebit actionem Officiales dirigendo, cum quibus una saltem vice in mense collationem habebit, et a quibus de Seminarii statu certiorem se reddet. Ut vero abusus tollantur ac alumnos in pietate ac virtutibus progrediantur, eorum consiliis magni ipse faciat [1].

24. — Cum ipsis fidenter agat, et intra eorum muneris fines, congruentem ipsis libertatem concedat: in rebus igitur minoris momenti, ut plurimum, ne se immisceat [2].

25. — Curet diligenter ut Officialibus in his quae eorum muneris sunt pareant omnes, ac eos, qua debent observantia et reverentia, prosequantur [3].

26. — Observet diligenter eorum mores et in suo cuisque officio diligentiam.....; si quid animadverterit quae vel scandalum afferere, vel labem aspergere Seminario possit, Reverendissimum Archiepiscopum commonefaciat [4].

D) — Erga Alumnos

27. — Ne recipiat, nec eiciat quempiam e Seminario absque Reverendissimi Archiepiscopi facultate [5].

28. Paterne, nimirum fortiter ac suaviter, eos dirigat, et, potiusquam minas ac poenas uti, ut libere, scilicet *non solum propter iram sed etiam propter conscientiam facientes voluntatem Dei ex animo* [6] bonum ipsi agant, contendat [7].

29. — Ordinarias alumnorum correptiones Officialibus committat: graviores vero sibi reservet, in quibus condignas poenitentias infliget [8].

30. — Ut eos melius cognoscere possit, non tantum privatis colloquis utetur, sed saepe ipsos inter verset, et

[1] Art. 27.
[2] Art. 31.
[3] S. Car. Borr., *loc. cit.*
[4] *Id.*, *ibid.*
[5] *Id.*, *ibid.*
[6] *Ad Ephes. IV*, 6.
[7] Art. 28.
[8] Art. 31.

[absuqe auctoritatis detrimento] amantissimi Patria ad instar inibi se habeat [1].

31. — Ne cuipiam facultatem concedat exeundi e Seminario privata de causa, nisi ea bene cognita et perspecta, necessarium concedendam esse iudicaverit [2].

32. — Libros qui detrimenta clericis comparari, vel a studiis nimis distraere possint a clericis arceantur: in ingressu ad eum deferantur libri omnes quos ipse diligenter recognoscet [3].

33. — Clericis diaria ne permittantur; ex ephemeridibus vero aliqua tantum omnino ortodoxa ac alumnorum studia conferentia Episcopus concedere potest [4].

34. — Tabulas generales habeat omnium alumnorum, in quibus, inscriptis nomine cognomine cuiusque ipsorum eorumdem parentum, dioecesi, patria, ortus anno, mense, ac die, ac ingressu in Seminarium, studiis expletis ac incoeptis annuatim adnotentur contubernium, auditorium, fortuiti e Seminario egressus, periculorum annualium ac reparationis exitum, dies ss. ordinationum, praemia adepta, omnia denique quae ad progressum alumni in pietatem, disciplinam atque studia referantur [5].

[1] Artic. 31.
[2] S. Car. Borr., *loc. cit.*
[3] *Id.; ibid.*
[4] Pius PP. X, Encycl. *Pieno l'aimo.*
[5] art. 35.

DOCUMENTA

AC

PARADYGMATA

DOCUMENTUM I.

[cfr. pag. 135, CVII]

S. R. U. Inquisitionis de alumnorum confessionibus a Communitatis Superioribus in Urbe haud excipiendis.

Huic Supremae S. R. et U. Inquisitioni relatum est quod in hac Alma Urbe nonnulli Religiosarum Communitatum, necnon Seminariorum et Collegiorum Superiores, suorum alumnorum in eadem domo degentium sacramentales excipiant confessiones. Ex quo quanta incommoda, immo quot gravia mala oboriri possint, nemo qui in sacris ministeriis, vel mediocriter, sit versatus pro certo non habet. Ex una enim parte minuitur alumnorum peccata confitendi libertas, ipsaque confessionis integritas periclitatur; ex alia vero Superiores minus liberi esse possunt in regimine Communitatis, ac suspicioni exponuntur aut se notitiis in confessione habitis uti, aut benevolentiores se praebere erga alumnos quorum confessiones excipiunt. Quapropter, ut hisce aliisque malis quae ex huiusmodi abusu facile oriri queunt occurrantur, Suprema haec S. Officii Congregatio, de expresso Sanctissimi D. N. Leonis PP. XIII mandato, districte prohibet ne ullus cuiusquam Religiosae Communitatis, aut Seminarii, aut Collegii Superior, sive maior, sive minor in hac Alma Urbe [excepto aliquo raro necessitatis casu, de quo eius conscientia oneratur] suorum alumnorum in eadem domo manentium sacramentales confessiones audiri ullo modo audeat.

Datum Romae, die 5 Iul. 1899.

I. Can. MANCINI
S. et U. Inquisitionis Notarius.

DOCUMENTUM II.

Specimen horarii Recollectionis menstruae

[Cfr. pag. 153, CXVIII].

Hor.	
6 a.	— Experrectio.
6,20	— Preces matutinae
6,30	— Sacell. - *Veni Creator* - Meditatio - Missa - Ientacul.
8	— Lectio propositarum rerum et consideratio.
9	— Missa et reformatio.
10,15	— Regularum lectio et consideratio.
10,45	— Examen - SSmi Sacramenti benedictio.
11,15	— Studium
12	— Prandium.

DOCUMENTUM III.

Specimen horarii Exercitiorum Spiritualium

[Cfr. pag. 158, CXIX].

1. dies:

Hor.		Hor.	
7 pom.	— *Veni Creator* - Introductio - *Miserere* - SSmi Sacramenti benedict.	8 pom.	— Coena
		9	— Preces vespertinae - Examen - Quies

Dies coeteri:

Hor.		Hor.	
6 ant.	— Experrectio	1,30	— Quies et temp. lib.
6,20	— Preces	3	— Vesp. recit. - Lectio Spirit. - Instruct.
6,30	— Sacell. *Veni Creator* - Medit. - Missa - Ientac. - Temp. lib.	4,30	— Silentiosa deambul. - Rosarium B. M. V. in priv.
9,30	— Recit. horar. - Lect. spiritual. - Instructio.	5,30	— Matut. et laud.
		7	— *Veni Creator* - Medit. - *Miserere* - SSmi Sacr. benedictio.
11	— Tempus lib. - Praeparat. ad confess.	8	— Coena.
11,45	— Examen	9	— Orationes vespertinae - Examen - Quies.
12	— Prandium - Deambulat. silentiosa		

Dies ultimus:

Hor.		Hor.	
6 ant.	— Experrectio.	8,40	— Regularum lectio in contuberniis.
6,20	— Preces matutinae.		
6,30	— *Veni Creator* - Meditatio - Missa - Communio generalis.	9	— Concionatoris documenta - *Te Deum* - Solemn. SSmi Sacram. benedict.

DOCUMENTUM IV.

Horariorum specimina a S. Congregationis Decreto exhibita

[Cfr. pag. 215, n. CLXVI].

I. — Pro diebus scholasticis:

Hor. 5 ½ — Experrectio
„ 6 — Orationes - meditatio - missa
„ 7 — Studium
„ 7 ⅜ — Ientaculum
„ 8 — Schola
„ 10 — Recreatio
„ 10 ⅜ — Studium
„ 12 — Prandium et SS. Sacramenti visitatio

Hor. 13 ½ — Studium
„ 14 ½ — Schola
„ 16 ½ — Deambulatio, vel recreatio in domo
„ 17 ½ — Lect. spirit. - Rosar. – preces novendiales.
„ 18 ¼ — Studium
„ 20 — Coena
„ 21 ¼ — Or. vesp. exa. quies

II. — Pro iisdem diebus:

Hor. 5 ½ — Experrectio
„ 6 — Orationes matutinae - meditatio - missa
„ 7 — Studium
„ 7 ¾ — Ientaculum
„ 8 — Schola
„ 10 — Recreatio
„ 10 ¾ — Studium
„ 12 — Schola

Hor. 14 — Prandium ac SS. Sacramenti visitatio
„ 15 ½ — Deambulatio, vel recreatio in domo
„ 16 ¾ — Lectio spirit. - Rosarium - preces novendiales.
„ 17 ¼ — Studium
„ 20 — Coena
„ 21 ¼ — Orationes vespertinae, examen, quies.

III. — Pro diebus festis:

Hor. 5 ½ — Experrectio
„ 6 — Orationes - meditatio - missa
„ 7 — Studium
„ 7 ¾ — Ientaculum
„ 8 — Recreatio
„ 8 ½ — Missa solemnis et adhortatio
„ 10 — Cantus Gregorianus
„ 11 — Recreatio et colloquutorium
„ 12 — Studium
Hor. 14 — Prandium ac SS. Sacramenti visitatio
„ 15 ½ — Deambulatio, vel recreatio in domo
„ 16 ½ — Lectio spiritualis - Rosarium - SS. Sacram. benedictio - Preces novendiales
„ 17 ¾ — Studium
„ 20 — Coena
„ 21 ½ — Orationes vespertinae - examen - quies

IV. — Pro diebus feriatis:

Hor. 5 ½ — Experrectio
„ 6 — Orationes - meditatio - missa
„ 7 — Studium
„ 7 ¾ — Ientaculum
„ 8 — Recreatio
„ 8 ½ — Adhortatio
„ 9 — Cantus Gregorianus
„ 10 — Recreatio
„ 10 ½ — Studium
„ 11 ½ — Recreatio et colloquutorium
„ 12 ½ — Studium
„ 14 — Prandium et SS. Sacramenti visitatio

N. progrediens	COGNOMEN ac NOMEM	Parentes ac Ortus locus, dies et annus	Dioecesis	Contubernium	Curriculis ac classis	Ingressus	Exitus	Piet.	Sur No in cons

(a Disciplinarum series, diversos juxta curriculos heic indicitentur.

M V.
nchum

Pag. .....

XXIII]
ICUS 19 ..... - 19

PERICULA								Praemiorum species ac disciplinae	Ordinationum dies ac gradus	Numerus matriculae	Litterarum Inscriptio ac Observanda
romotionis				Reparationis							
	(a)		Summa		(b)		Summa				

DOCUMENTUM VI.

[cfr. pag. 411, CCCVII]

Paradygma pro Seminarium postulantibus

A) Pro clericis dioecesanis.

Venerab. Seminarium Episcopale .....

R.me Domine,

Infrascriptus, huius Seminarii programmate cognito [de quo omnimodam observantiam pollicetur] humillime petit ut Dominus [1] .....
ortus anno ..... *mense* ..... *die* .....
in ..... [*Provinciae* .....] *a* [2]
..... *et* .....
oppidanus ..... *Via* ..... *n.* .....
in hoc Seminarium admittatur, ut alumnus Classis .....
Curriculi .....

Idcirco hanc postulatione affert, cui documenta in programmate Seminarii petita addit.

Datum .....

PARENTES vel TUTOR

.....

N.us { **Documentorum** ≡≡≡
Matricolae ≡≡≡
Positionis ≡≡≡

ADNOTATIONES

.....

.....

[1] Nomen ac Cognomen candidati — [2] Parentum nomina.

B) Pro clericis extra-dioecesanis.

Ven. Seminarium Episcopale .....

Infrascriptus Re.m. Domin. ..... *Ordinarius* ..... *istius Seminarii normarum habita cognitione, et postquam eos quorum interest de his certiores fecerit [qui omnimodam eius observantiam pollicentur], ut Dom.* .....
.....
ortus ..... [*Provinciae* .....] *die* .....
mensis ..... *anni* ..... *a* .....
et ....., *nunc oppidanus* .....
Via ..... *n.* ..... *et iam Seminarii* ..... *alumnus, et isti Tuo Seminario* ..... *uti alumnus Classis* .....
Curriculi ..... *cooptetur flagitat.*

Idcirco hanc postulationem affert cui documenta omnia a Seminarii programmate requisita adiungit, et insimul [iuxta Pii PP. X praescripta] sese suae dioecesis alumnum, si quacumque de causa ab eodem Seminario dimissus fuerit, iterum recepturum esse despondit.

Datum .....

SUBSIGNATIO

.....

N.us { **Documentorum** / **Matricolae** / **Positionis** }

ADNOTATIONES

.....
.....

Paradygma rei oeconomiae pro unoquoque a

ANNUS SCHO

D. ..... *ingressus d'e* .....

Litterarum inscriptio ..... *A*

Ex an. praeced. Danda	Ex an. praeced. Haben.	I Trimestre [A ..... AD .....]	DANDA	HABENDA	II Trimestre [A ..... AD .....]
.....	.....	Anteced. anni reliqua. L.	.....	.....	Ex praec. trim. reliqua
.....	.....	Pecunia commissa . . »	.....	.....	Pecunia commissa . .
.....	.....	Minervalis [*pension*] . »	.....	.....	Minervalis [*pension*] .
.....	.....	Taxa Annua . . . »	.....	.....	Taxa Annua . . .
.....	.....	Taxa Scholarum . . »	.....	.....	Taxa Scholarum .
.....	.....	Taxa Ordinationum . »	.....	.....	Taxa Ordinationum .
.....	.....	Libri . . . . . »	.....	.....	Libri . . . . .
.....	.....	. . . . . »	.....	.....	. . . . .
.....	.....	Vestes . . . . . »	.....	.....	Vestes . . . . .
.....	.....	. . . . . »	.....	.....	. . . . .
.....	.....	Calceamenta . . . . »	.....	.....	Calceamenta . . .
.....	.....	. . . . . »	.....	.....	. . . . .
.....	.....	Parvae expensae . . »	.....	.....	Parvae expensae . .
.....	.....	. . . . . »	.....	.....	. . . . .
.....	.....	Medicus, medicinae. »	.....	.....	Medicus, medicinae.
.....	.....	. . . . . »	.....	.....	. . . . .
.....	.....	Varia . . . . . »	.....	.....	Varia . . . . .
.....	.....	. . . . . »	.....	.....	. . . . .
		Habenda . . »	.....	.....	Habenda . .
		Danda . . . »	.....	.....	Danda . . .
		Summa totalis L.	.....	.....	Summa totalis
		Apocha solutae pecuniae N.			Apocha solutae pecuniae N.

unoquoque anno scholastico conficiendo.

ICUS 190..... 190.....

... *Classis* ..... Taxa { normalis ..... imminuta .....

III Trimestre [A AD]	DANDA	HABENDA	IV Trimestre [A AD]	DANDA	HABENDA
Ex praec. trim. reliqua L.			Ex praec. trim. reliqua L.		
Pecunia commissa . . »			Pecunia commissa . . »		
Minervalis [*pension*] . »			Minervalis [*pension*] . »		
Taxa Annua . . . »			Taxa Annua . . . »		
Taxa Scholarum . . »			Taxa Scholarum . . »		
Taxa Ordinationum . »			Taxa Ordinationum . »		
Libri . . . . . »			Libri . . . . . »		
. . . . . »			. . . . . »		
Vestes . . . . . »			Vestes . . . . . »		
. . . . . »			. . . . . »		
Calceamenta . . . . »			Calceamenta . . . . »		
. . . . . »			. . . . . »		
Parvae expensae . . »			Parvae expensae . . »		
. . . . . »			. . . . . »		
Medicus, medicinae. . »			Medicus, medicinae. . »		
. . . . . »			. . . . . »		
Varia . . . . . »			Varia . . . . . »		
. . . . . »			. . . . . »		
Habenda . . »			Habenda . . »		
Danda . . . »			Danda . . . »		
Summa totalis L.			Summa totalis L.		
Apocha solutae pecuniae N.			Apocha solutae pecuniae N.		

DOCUMENTUM VIII.

[cfr. pag. 413, CCCVIII]

Paradygma pro informationibus de Seminario candidato requirendis

Venerab. Seminarium Episcopale .....

R.me Domine,

Quum Dom. ..... *huius dioecesis* ..... *residentiam habens in* ..... *Via* ..... *n.* ..... *ut in hoc Seminarium cooptetur sciscitaverit, charitatem tuam humillime rogamus ut, iuxta conscientiam, ad infra indigitatas quaestiones respondere digneris, et de his omnibus quae nobis significaveris omnimodam discretionem tibi pollicemur.*

SERVUS IN XTO

.....

Seminarii ..... *Rector*

QUAESITA	RESPONSIONES
1. Cuius indolis, temperamenti ac physicae costitutionis adolescens sit?	1. ....
2. Quid de moribus? Qua opinione gaudeat?	2. ....

3. Quid de eius Sacramentorum frequentia dicendum? 3. .....

4. An eius ad sacerdotium vocatio exanimata ac adprobata iam rite fuerit? An, contra, aliquid humani in ea pertimescendum sit? 4. .....

5. Quae studia iam absolverit? Ubi, et quo fructo? An in alio Instituto iam moratus sit? An ab eo dimissus, et quibus de causis? 5. .....

6. Quomodo cum Seminarii diocesani Superioribus, cum eius Parocho et Ordinario se gesserit? 6. .....

7. Quibus tum minoribus, tum maioribus Ordinibus iam insignitus sit, et quomodo se habeat circa castrensia officia? 7. .....

8. An familia candidati religiose honesteque se habeat, et an quae oeconomice Seminario spectant solvere possit? 8. .....

Praeterea in casu admissionis:

9. Quibus, Parentum loco, alumnum in Seminario invisere licitum sit? 9. .....

10. An qui vices eorum gerant in civitate ipsi habeant: qui sint, et ubi morentur?	10. .....
11. Quid de epistolari commercio cum ceteris non consanguineis Parentes velint?	11. .....
12. An in alumni potestate sit expensas expensas extraordinem et haud stricte neeessaris peragere?	12. .....

NOTANDA [1]

.....

.....

.....

.....

.....

.....

Datum ..... *die* .....

.....

[1] Omnia peculiaria quae tum Seminarii, tum alumni interesse possunt heic noatnda veniunt.

DOCUMENTUM IX.

Fideiussionis formula

[Cfr. pag. 416, CCCXIII]

Ego infrascriptus .....
commorans ..... Via ..... N. .....
apud Ven. Seminarioruni .....
pro alumno .....
regularum omnium observantiam promitto, et pecuniae solutionem Seminario debitae spopondo.

In quorum fide subsigno

.....

DOCUMENTUM X.

[cfr. pag. 468. CCCLI]

Epistola S. Caroli Borromaei ad clericorum Parroci pro vacationum autunnalium tempore

Reverende Paroche.

Cum hoc tempore, ut valetudinis ratio postulat, dilectis in Christo nostri Seminarii Clericis ad suos lares redeundi facultatem fecerimus, ut ingenii corporisque vires, assiduis studiorum laboribus defatigatas, per dies aliquot reficiant instaurentve [sed ita tamen, ut relaxatio, ecclesiasticam disciplinam redoleat], quo vegetiores ad intermissa literarum studia revertantur: . . . . . eiusdem Seminarii alumnum istuc proficiscentem his tibi litteris commendamus, atque iubemus, ut quamdiu istic morabitur, eius totam vivendi rationem diligenter observes, atque haec praecipue:

An quotidie, mane et vesperi, orationi vacet.

An singulis quindecim diebus peccata sua probato Sacerdoti confiteatur, Sanctissimamque Eucharistiam sumat.

An diebus festis Missae conventuali, reliquisque Officiis in Ecclesia tua, superpelliceo indutus, religiose intersit inserviatque.

An Ordinum quibus est initiatus, functiones frequenter exerceat.

An doctrinam Christianam in Ecclesia tua, horis statutis, doceat singulis diebus festis.

An clericali vestitu talari decenter utatur, et eum iugiter deferat, tonsuramve gestet.

An aliquod armorum genus deferat, vel quidpiam aliud in Conciliis nostris clericis prohibitum committant.

An cum laicis, et praesertim mulieribus versetur.

Haec, et si quae sunt alia, a te quam diligentissime animadverti volumus.

Ubi vero redeundi tempus advenerit, tu litteris sigillo tuo munitis, prius tamen Vicarii Foranei approbatione subscriptis, quidnam in singulis dictis capitibus, aut alia in re excessus vel defectus extiterit (super quo conscientiam tuam oneramus), singillatim nobis cumulatissime significabis.

Illud te admonemus, hoc nobis ita cordi esse ut, si unquam alias, hoc tempore in primis a te praestari diligentissime velimus.

Dat. Mediolani, die etc.

DOCUMENTUM XI.

[cfr. pag. 469, CCCLI]

Eiusdem, de eadem re epistola ad Vicarium Foraneum

Admodum Reverende Vicari,

Quam valde de Clericorum qui in seminario vivunt recta institutione solliciti simus, vel ex hoc perspicere potes quod non iis solum literis contenti quas ad Parochos damus, ad te etiam perscribere voluerimus; ut cognita nostra cura quam habemus de istis qui aliquando futuri sunt huius Ecclesiae Ministri hoc in primis tempore, quo veniendi domum facultatem habuerunt, eorum qui sub tuo degunt Vicariatu, et quorum nomina subiicientur, totam vivendi rationem per te, et per alios diligenter observes. Et quamvis Parochis mandaverimus ut litteras quas ad nos missuri sunt prius ad te approbatas et subscriptas mittant, volumus tamen ut ipse etiam privatim de toto illorum vitae genere nos cumulate certiores facias, pariterque quo die litteras nostras tibi Parochisque praesentarint.

Dat. Mediolani, etc.

Ioannes Francus, filius Ambrosii
N. filius N.

DOCUMENTUM XII.

Morum testimonium

[Cfr. pag. 478, CCCLX].

Ego infrascriptus Rector Ven. Seminarii ..... Rever. Dominum ..... a die ..... mensis ..... anni ....., ad diem ..... mensis ..... anni ..... huius Instituti alumnum, tum quoad pietatem, tum quoad mores ac studia [*satis bene*, *bene*, *optime*, *valde optime* ecc.] se habuisse, et ad classem ..... curriculi ..... ritè promotus fuisse in Domino testor.

In quorum fidem

Locus ✠ sigilli

.....

Rector

INDEX RERUM

[Numerus arabicus paginam, romanus vero quod in margine extat indigitat].

Accademiae in Seminariis, 304, CCVXXI.

Accommodatio disciplinae, 179, CXXXIII – in minori ac maiori Seminario quae, 181, CXXXIV – in Seminario interdioecesano, *ibid.* – in variis contuberniis, 183, CXXXVII – variis in aetatibus, 185, CXXXIX.

Accusationes quomodo suscipiendae, 74, LXI – quomodo discutiendae, *ibid.*

Actio socialis an in Seminariis excolenda, 454, CCCXLI.

Adhortatio spiritualis alumnorum, 143, CXVII – in re normae, *ibid.*

Admissiones alumnorum in Seminario quanti faciendae sint, 56, XLVI – ad rem normae generales 374, CCLXXIII – obstacula quae et quomodo vitanda, 375, CCLXXIV – de alumnis extradioecesanis, 377, CCLXXVI - qualitates candidatorum communes quae sint, 378, CCLXXVIII - 379, CCLXXIX - dotes canonicae, 381, CCLXXX et seq.

Aemulationis necessitas, 81, LXXII – principia generalia, 808, LXXXIX – de laude, *ibid.*, – eius condiciones, 92, LXXIV – diversae species, 94, LXXV - de notis, *ibid.*, LXXVII – quae ratio practica in re utenda, 96, LXXVII – de tabulis, 97, LXXVIII - de notarum promulgatione, 99, LXXXI – de publica laude, 100, LXXXII – de praemiis, 101, LXXXIII – de eorum distributione rationes ac leges, *ibid.*, LXXXVI – quae praemia esse possint, 104, LXXXVII – de gratiis alumnis decernendis, 105, LXXXVIII.

Aetates alumnorum variae quomodo habendae, 185, CXXXIX.

Afflictationes corporis an in Seminario utendae, 62, L.

Alumnorum cum Rectore consuetudo qualis, 456, CCCXLIII.

Amici Seminarii quomodo habendi, 328, CCXLVII.

Amicitiae peculiares, 177, CXXXII – eorum genesis ac curatio, 118, *ibid.*

Amor Rectoris in subditos omnes, 33, XXIX.

Annuarium Seminarii quomodo exarandum, 216, CLXVII.

Benefactores Seminarii ac clericorum quomodo habendi, 227, CCXLVI.

Calumniae quomodo habendae, 72, LIX.

Caritas Rectoris, 32 – eius necessitas erga omnes, *ibid.*, XXVIII – eius caussae, 33, XXIX – eius notae, 54, XXV – obiectum, 35, XXXI.

Cibi qui, et ad rem disciplinares ac hygienicae normae, 282, CCXII.

Classes alumnorum quomodo constituendae, 222, CLXX.

Clerus dioecesis quomodo habendus, 321, CCXL – Regularis clerus quomodo, 322, CCXLI.

Clericorum admissio, 363 et seq. – dispositio, 205 et seq. – generale regimen, 440 et sq. – correctio, 52 et seq. – laudatio, 91 et seq. – praemiatio, 101 et seq. – dimissio, 472 – eorum circa pietatem debita, 441, CCCXXXI – quae erga studium, 442, CCCXXXII – disciplinam erga quae, 448, CCCXXXIX – circa hygienem, *ibid.*

Coercitionis necessitas ac utilitas, 52, XLV – eius difficultates, ac quomodo superandae, 54, XLVI – peculiares ad rem industriae, 58, XLVII – coercitionum gradus et modi qui sint, 59, XLVIII – castigationum in Seminario codex qualis, 61, IV – de correctionis generalibus condicionibus, 63, LII – de caeteris peculiaribus, 64, LIII – de propriis passionibus inibi exuperandis, 66, LIV – de alienis vincendis, 68, LVI.

Colloquutorium Seminarii, 203, CLVIII.

Confessarii ordinarii alumnorum, 354 CCLIX; extraordinarii, 356, *ibid.*

Confessio peccatorum ab alumnis facienda, 166, CXVII – ad rem normae disciplinares, 146, *ibid.*

Congregatio Mariana vel Aloysiana, 197, CXLIX.

Conscientiae alumnorum directio a Rectore devitanda, 135, CXVII – eius discussio ab alumnis facienda, 141, CXIV.

Consilium a Rectore utendum, 45 – eius necessitas ac opportunitas, 45, XXXVIII – qui consiliarii, 46, XXXIX – quomodo habendum consilium, *ibid.*, XLII – quae consiliariorum moralis ac canonica vis sit, 48, XLI – consilii consectaria quae, 50, XLVIII.

Constantiae disciplinae, 192, CXLVIII – regulae ad rem, 194, CXLV.

Consuetudo quae, 123, XCVIII – quomodo servanda, 123, XCVIII.

Contubernia clericorum quomodo constituenda, et ad rem normae, 210 CLXI – eorum partes quae sint, 214, CLVI – quae iisdem inter consuetudo esse possit, 212, CLXIII – de loco inibi singulis alumnis constituendo, 213, CLXIV.

Contumacia in clericis sedulo coercenda, 174, CXXXIX.

Correctio fraterna inter clericos, 73, LIX.

Credulitas quantum devitanda, 71, LIX.

Culina Seminarii, 208, CLVIII.

Decretum SS. Concilii Tridentini de Seminariis, 113, XCIV.

Deambulationes clericorum, 297, CCXXII - 249, CCXXIII.

Defensionis libertas accusato danda, 77, LXIII.

Delatorum variae species, 68, LVII – eorum notae ac mores, 69 LVIII – quomodo coercendi, 70, LIX.

Deputati Tridentini quomodo habendi, 317, CCXXXVI - de eorum relatione cum Officialibus ac alumnis quid tenendum 319, CCXXXVII.

Diaconatui quando alumni promovendi, 168, CXXIV.

Diariorum disciplinae 123, XCVIII – quomodo exaranda, *ibid.* – de diariis politicis in Seminariis, 464, CCCXLIX.

Diffidentia nimia devitanda, 66, LIII.

Dimissionis alumnorum momentum, 57, XLVI – rationes ac cautelae, 473, CCCLXVI.

Director Spiritus, 337, CCLIII, huius muneris momentum, *ibid.* – eius qualitates, 339 – eius in Seminario ac alumnis officia, 338, CCLIII.

Disciplinae Seminarii necessitas, 173, LVIII – eius unitas et quae illae obstant, 175, CXXXI – de amicitiis peculiaribus et ad rem normae, 177, CXXXII – de disciplinae accomodatione, 179, CXXXIII – quae disciplinae accommodatio maioribus ac minoribus conveniat Seminariis, 181, CXXXIV – in Seminariis mixtis quae, 182, CXXXV – in Seminariis interdiocesanis quae, *ibid.*, CXXXVI – diversis in contuberniis, 183, CXXXVII – diversis erga aetatibus quae, 185, CXXXIX – de disciplinae praevidentia, 189, XXL – eius partes, 190 CXLI – quae praxis, 192, CXLII – de disciplinae constantia, 193, CXLIII – eius obiectum, *ibid.* – ad rem normae, 194, CXLIII – de disciplinae libertate, 196, CXLVII – in re fundamentalis norma quae, 189, CXLVIII – earum ambitus quale, 199, CXLIX – de disciplinae veritate, 202, CLIII - de disciplinae variis adiumentis, 205, CCLV et seqq. - disciplinae in Seminario edocenda quae, 233, CLXXIX – necessariae, *ibid.* – accessoriae, 234, *ibid.* - earum numerus, 237, *ibid.*

Doctrinae in Seminario necessitas, 238, CLXXVII - normae ad rem, 229, *ibid.*

Ecclesiae libertas in Seminariis enixe tuenda, 238, CLXXX.

Eiectio ex scholasticis aulis an deceat, 62, L – e Seminario, 473, CCLVI.

Ephemeridibus erga quid tenendum, 464, CCCXLIX.

Episcopo erga quae Rectoris debita ac iura sint, 125, CI.

Epistolae clericorum quomodo habendae, 462 et seq.

Examen admissionis in scholis Seminarii, 266, CXICIX – pro-

motionis, 262, *ibid.* – reparationis, 264, *ibid.* – eorum ratio, 263, CC – de tironibus qui his impares fiunt quid tenendum, 265, CCII – eorum plurimi effectus, *ibid.*, CCIII.

Exempli boni Rectoris necessitas, 21, XVIII – quae argumenta illud suadeant, 22, XIX, ad rem media, 23, XX.

Exercitia Spiritualia alumnorum, 154, CXIX – ad rem normae, 115, CXIX.

Experientiae Rector studeat, 39, XXXV.

Experimenta in studiis, 259, CXCVII – eorum variae species ac modi, 260, CXCVIII.

Eucaristia [SS.] ab alumnis sumenda, 149, CXVII – ad rem normae, *ibid.*

Famuli in Seminario, 359, CCLXXI – eorum qualitates, 360, CCLXXI – quomodo habendi, 361, *ibid.*

Fortitudo Rectoris quae, 65, 17, XIII.

Festinatio devitanda, 65,

Furor in correctione vitandus, 65, LIII.

Gymnasii curriculi peculiaris indolis, 241, CLXXXI – quae inibi docendae sint disciplinae, 242, CLXXXII.

Gratiae quomodo, et quibus conferendae, 183, LXXXVIII.

Hygienis cura, 275, CCVIII, – ad rem industriae ac normae indirectae, 278, CCX – directae quae sint, 282, CCXII.

Horarium Seminarii quomodo exarandum, 215, CLXVI – 282, CCXII.

Humilitas Rectoris, 12, – eius necessitas ac utilitas, *ibid* X, – condiciones quae sint, 17, XVIII – humilitas ac auctoritas, *ibid.* – humilitas ac fortitudo, *ibid.* – humilitas ac bona fama, 18, *ibid.*

Inquisitio culparum, 75, XI – in alumnorum admissione quae adhibenda, 412, CCCVIII.

Ira in correctione vitanda, 65, LIII.

Itinera ludicra, 300, CCXXIV.

Iustitia Rectoris quae ac eius partes, 52, et seq.

Iuventutis aetas quomodo habenda, 188, CXII.

Kalendarium Seminarii quomodo exarandum, 216, CLXVII.

Lectio spiritualis ab alumnis facienda, 141, CXII.

Legata Seminarii, 269, CCIV.

Leges Seminariorum quanti intersint, 112, XCIII – earum diversae species, 113, XCIV – earum promulgatio ac publica et periodica lectio, 118, XCV.

Libertas disciplinae, 196, CXLVII – ad rem normae, *ibid.* – eius ambitus, 119, CXIX.

Libri in textus usu deducendi qui, 255, CXC – de eorum delectu, *ibid.*, CXCI – eorum dotes,

256, CXCII – eorum numerus, 257, CXCIII – eorum immutatio, 258, CXCV – eorum usus *ibid.*, CXCVI.

Lingua in clericorum scholastica istitutione qualis adhibenda, 224, CLXXIV – ad rem normae, 225, *ibid.*

Litterae quae et quomodo in Seminario excolendae, 243, CLXXXIII.

Lycaei curriculi indoles, 24, CLXXXIV – quae philosophia inibi edocenda, 246, CLXXXV – normae ad rem, 247, *ibid.*

Luda clericorum, 292, CCXIX; quae luda indulgenda, 295, CCXX - qua evitanda, *ibid.*; quid facere ad rem Institutores possint, *ibid.* CCXXI,

Magistri munus. 348, CCLVII – eorum qualitates 349, *ibid.* 348, *ibid.* – quae ab ipsis praestanda sint, 348, CCLVII - de laicis Magistris in Seminariis quid tenendum, 338, CCLXI.

Modernismus omnis quam maxime devitandus, 253, CLXXXIX - CXCIII, 256.

Mundi cognitio clericis prudenter praebenda, 459, CCCXLX

Mundities quantum curanda, 279, CCX - 284, CCXII.

Negotiorum bene gerendi artem Rector calleat, 40, XXXVI.

Notae alumnis decernendae, 96, LXXVII - industriae ad rem, *ibid.*

Oeconomi munus, 342, CCLV – eius qualitates, 346, *ibid.* – eius officia, 346, *ibid.*

Oeconomiae cura, 268 CCIV – eius fontes, 269, CCV – criteria ad rem, 271, CCVII.

Officiales erga quae Rectoris iura ac debita, 329, CCXLVIII – quomodo cum ipsis omnibus se gerere debeat, *ibid.* - CCXLIX erga singulos quomodo, 335 – Officialium debita, 331, CCXLIX.

Oratio Rectoris, 5 – eius necessitas ac utilitas, *ibid.*, III – obiectum, 9, VI – condiciones, 10, VII - oratio mentalis alumnorum, 139, CX - matutinae ac vespertinae eorum orationes, 142, CXVI.

Ordinum Sacrorum susceptio, 160, CXXII – 163, CXXIII – dilatio, 64, L - 267, CCIII.

Pagellae alumnorum, 98, LXXX.

Paradygma postulationis Seminarii, 494 - informationum candidatorum, 498 - relationis Seminarii annualis, 311, CCXXXIII - epistolae pro vacationum tempore, 502 - 504 - horariorum, 490 – regesti alumnorum, 496 - moris testimonium, 505 - fideiussionis, 501.

Parochus loci quomodo a Rectore habendus, 319, CCXXXVIII.

Passiones proprias ac alienas cognoscendas, 39, XXXV.

Patientiae in Rectore necessitas, 26, XXII – eius tum generales, tum peculiares caussas, 27, XXIII - eius carentiae mali fructus, 28, XXIV - patientiae argumenta, *ibid.*, XXV – quomodo in tribulationibus se habere Rector oporteat, 30, XXVI.

Pecuniae administratio, 271, CCVII.

Pensuum exaratio, 62, IV.

Pericula in studiis facienda, 260, CXCIX – illud admissionis, *ibid.*, CCCIX – aliud semestrale, 261, *ibid.* – promotionis, 262, *ibid.* – reparationis, 264, *ibid.* – periculorum ratio quae, 263, CC – de his qui periculis impares fiunt, 265, CII – periculorum effectus, 265, CIII.

Philosophia quae in Seminario edocenda, 246, CLXXXV - ad rem normae, 247, *ibid.*

Pietas in Seminario excolenda, CIV, 128 – eius qualitates quae, 130, CV – eius magisterii diversae species, 130, CVI – peculiaria erga pietatis officia, 134, CVII - pietatis exercitatio et praxis, 136, CVIII – pietatis exercitationes singulae, 139, CIX [confer singula in ordine alphabetico disposita].

Politica agendi ratio quantum devitanda, 37, XXXIII - eius notae quae sint, *ibid.* - Politicarum partium studium in Seminariis, 146, CXVII.

Potestates laicales erga quomodo Rector se habere debeat. 322, CCXLI.

Praefecti contubernio-rum electio, 351. CCLVIII – qualitates, 352, *ibid.* - quae ab ipsis praestanda sint, 351, *ibid.*

Praefectus studiorum munus, 341, CCLIV – quae in illo requirantur dotes, 342, *ibid.* – quae ab ipso praestanda sint, 341, *ibid.*

Praemia quomodo decernenda, 101, LXXXIII – ad rem normae, 102, LXXXIV – eorum ratio, 103, LXXXV – eorum distributio ac modus practicus, *ibid.*, LXXXVI – eorum obiectum, 104, LXXXVII.

Praevidentia disciplinae quae, 189, CXIII – eius partes, 190, CLXI – eius obiectum, 191, *ibid.* – dotes, *ibid.* – praxim, 192, CXLIII.

Preces novendiales, 153, CXXIX.

Propaedeuticae curriculi indolis, 248, CLXXXVII – quae inibi docendae sint disciplinae, 60,

Prudentiae necessitas, 36, XXXII – eius adiumenta quae, 38, XXXV - eius praxis, 40, XXXVI.

Pubertatis periodus quomodo habendus, 186, CXXXIV.

Punitionum in Seminariis codex, 61, L.

Puritatis institutio, 187, CXXXIX.

Recollectio menstrua, 153, CXVIII.

Rectitudo Rectoris quae, 42, XXXVI.

Recreationum necessitas ac utilitas, 285, CCXIII – varia earum genera, 237, CCIV - eorum leges ac modi, 288, CCXV.

Rectoris oratio, 5 – electio, 4, II – in Seminario potestas, 307, CCXXVII - 128, CII – in interdiocesano Instituto quae, 127. CIII – humilitas, 12 – fortitudo, 17, XIII – nomen bonum, 18, *ibid.* – regularitas, 19, XV – residentia, *ibid.* – bonum exemplum, 21, XVIII - patientia, 28, XXII – caritas, 32, XXVIII – prudentia, 36, XXXII – suavitas, 43. XXXVI - iustitia, 52, XLX – credulitas, 71, LIX – laudatio, 102, LXXV – praemiatio, 102, LXXXIV – scientia, 108, XC - quomodo Seminarium erga se habere debeat, 251, CI – quoad pietatem, 128, CIV – quoad disciplinam, 173, CXXIX – quoad studia, 217, CLXVIII – quoad oeconomiam, 268, CCIV – quoad hygienem, 276, CCVIII – erga Episcopum, 307, CCXXVII et seq. – erga Episcoporum collegium, 316, CCXXXIV – Deputatos Tridentinos erga, 317, CCXXXIV – erga loci Parochus 319, CCXXXVII – quoad dioecesi clerum, 320, CCXL, 320; saecularem erga clerum, 322, CCXLI – Potestates laicales erga, 322, CCXLII - quoad alumnorum Parentes, 324, CCXVIII - eorum familias erga, 327. CCXLV – eorum ac Seminarii benefactores, 327, CCXLVI - quomodo Officialibus generatim erga, 329, CCXLIX - quomodo erga singulos, 335 et seq. – erga alumnos quomodo, 369 et seq. – in eorum admissione, *ibid.* – dispositione, 210, CLXI – agnitione, 417 et seq. – dimissione, 473, CCCLVI – quomodo antiquos erga alumnos Rector se gerere oporteat, 470, CCCLIII – cum his qui in castris, ad tempus, degunt quomodo, 469, CCCLII – quomodo cum famulis, 359, CCLXI – erga Sorores Seminario addictas, 361, CCLXXXIII,

Regulae Rectoris Seminarii. 479 – Seminarii, 118, XCV – normae ad rem, 119, XCVI - legum Seminariorum promulgatio 121. *ibid.*

Regularitas Rectoris in quo contineatur. 19, XV.

Regiminis artis peritia in Rectore requirenda, 55, XLVI.

Relatio annualis Seminarii a Rectore exhibenda, 310, CCXXXII - eius paradygma, 311, CCXXXIII.

Reprehensiones diversae species, 61, IV.

Residentiae necessitas, 19, XVI – qualem esse debeat, 21, XVII.

Rigiditatis nimiae indicia, 43, XXXVI.

Sacellum Seminarii, 207, CLVIII.

Sanitatis Officiales, 356, CCLXX.

Scholae Seminarii quomodo constituendae, 220, CLXX – qui inibi adscribendi, *ibid.* – scholarum duratio quae, 223, CLXXI,

Scientiae in Rectore necessitas, 108, XC – quae requirenda, 109, XCI – quanta, 112, XCII – quae in Seminario edocendae, 244, CLXXXIII.

Secretorum custodia, 41, XXXVI - 275, CCVII.

Seminarium ubi erigendum, 205, CLVI – de eius partium distributione, 207, CLVII – suppellex qualis, 200, CLIX – Seminariorum diversae species, 210, CLXV – de contuberniis constituendis, et ad rem normae, 210, 210, CLXI.

Solatii necessitas, 235, CCXIII – media ad rem, 287, CCIV.

Sorores servitio Seminarii addictae, 361 CCLXXIII – normae ad rem, *ibid.*

Stipendia menstrua, 269, CCV.

Studia Seminarii, 217 – eorum externa constitutio, 218, CLVIII – de diversorum curriculorum duratione, 117, CLXIX – de alumnorum inibi admissione, 220, CLXX - quot horae per diem scholis impendendae, 223, CLXXI – de magisterii quotidiana duratione, 225, CLXXII – de alia singulorum praelectionum, *ibid.* CLXXII – de Rectoris in re officia, 227, CLXXVI – principia in re summa prae oculis habenda, 228, CLXXVII – *ratio studiorum* in Seminariis constituenda eiusque partes, 223, CLXXIX – de variis studiorum curriculis ac eorum partibus, 241, CLXXXI – de litteris inibi edocendis, 243, CLXXXIII – de scientiis inibi excolendis, 344, *ibid.* – de propaedeutica, 248, CLXXXVI - de curriculo theologico, 250, CLXXXVII – quae inibi summa principia prae oculis habenda, 253, CLXXXVII – studiorum spiritus in alumnis requirendum, 231, CLXXVII – finis, 331, *ibid.* – media, *ibid.*

Suavitas Rectoris quae, 43, XXXVI.

Subdiaconatus quando conferendus, 168, CXXIV.

Subsidii pecuniarii assignatio, 266, CCIII.

Sui ipsius cognitio quantum intersit, 39, XXXV.

Superbia vitanda, 64, LIII.

Tabulae notarum, 97, LXX.

Taxa beneficiorum, 269, CCV.

Textuum electio, 255, CXCI - qualitates, 256, CXCII – numerus, *ibid.*, CXLIII - immutatio, 258, CXIV - usus, *ibid.*, CXCVI.

Theatra in Seminariis, 302, CCXXVI.

Theologici curriculi peculiaris indoles, 250, CLXXXVII – quae inibi docendae sint disciplinae, 252, CLXXXVIII - quae principia prae oculis inibi habenda sint, 260, CLXXXXII.

Tonsura quando alumnis conferenda, 168, CXXIV.

Traditio quae, 122, XCII – quomodo servanda, 123, XCVIII.

Triclinium Seminarii, 208, CLVIII.

Ultio in correctione devitanda, 66, LIII.

Unitas disciplinae, 175, CXXXI – eius obstacula, 177, CXXXII.

Vacationes alumnorum, 459, CCCXLV.

Valetudinarii constitutio, regimen ac usum, 280, CCXI.

Valetudo clericorum curanda, 225, CCVIII.

Veritatis in Rectore amor 38, XXXV - disciplinae veritas, 202, CLIII – quanti in clericorum institutione veritas facienda sit, 263, CLIV.

Vice-Rectoris munus, 336, CCLII – quae in eo desiderantur qualitates, 337, *ibid.* – quae ab ipso praestanda sint, 335, *ibid.*

Villa Seminarii, 302, CCXXV.

Visitationes clericorum, 451, CCCXXXVIII.

Vocatio sacerdotalis clericorum a Rectore sedulo perscrutanda, 159, CXXI – quomodo, et ad rem practica principia, 160, CXXII - de promotione ad Sacros Ordines, 163, CXXV – de ad rem canonicis ac scientificis experimentis, 167, CXXV; 168 CXXV – quae eorum praxi, 170, CXXVI - de Exercitiis Spiritualibus ordinationibus praemittendis, 171, CXXVII – de Sacrarum Ordinationum die, 6, XXX.

Zelotipia in regimine vitanda, 16, XII.

Zelus in clericis quam maxime fovendus, 459, CCCXLV.

INDEX ANALITICUS

PRAEFATIO . . . . . *Pag.* VII
BIBLIOGRAPHIA . . . . . » X
INTRODUCTIO . . . . . » 1

SECTIO I.

DE RECTORIS PERSONA

CAP. I.

De Rectoris Sanctitate

Articulus I.

De eius orationis studio ac humilitate.

§ I. — Generalis huius muneris ratio.

SUMMAE RERUM. — I. Quae sit — II. Quanti Rectoris electio momenti sit. . . . . *Pag.* 3

§ II. — De in Rectore orationis studio.

SUMMAE RERUM — III. De orationis studii necessitate — IV. Rationes quae orationem Rectori suadent indigitantur — V. Practica ad rem ratio quae sit — VI. Orationis Rectoris objectum — VII. Eiusdem conditiones enumerantur — VIII. De oratione cum actione coniungenda — IX. Conclusio . . . . . *Pag.* 5

§ III. — De Seminarii Rectoris humilitate.

Summae rerum. — X. De huius virtutis in Rectore necessitate, — XI. Quae in re obstacula habeantur. — XII. Quaedam ad rem industriae recensentur. — XIII. Rectoris humilitas qualis esse debeat. — XIV. Conclusio. . . . . *Pag.* 12

Articulus II.

De Seminarii Rectoris regularitate ac patientia.

§ I. — De Eius regularitate.

Summae Rerum. — XV. Quo Rectoris regularitas contineatur. — XVI. De residentia eiusque partibus — XVII. Quae in re servanda ratio. — XVIII. De bono exemplo subditis clericisque praestando. — XIX. Argumenta ad rem recoluntur. — XX. Ad rem media recensentur — XXI. Conclusio. . . . . *Pag.* 19

§ II. — De Rectoris patientia.

Summae Rerum. — XXII. De huius virtutis in Rectore necessitate. — XXIII. Praecipuae patientiae causae recoluntur. — XXIV. Impatientiae mali in regimine fructus recensentur. — XXV. Quae in tribulatione positis solamina esse possint. — XXVI. Quomodo in tribulatione Rector se gerere debeat. — XXVII. Conclusio . . . . . *Pag.* 26

Cap. II.

De Rectoris charitate ac prudentia.

Articulus I.

De eius caritate.

§ I. — Quae, generali ratione, in re recolenda sint.

Summae rerum. — XXVIII. De huius virtutis in Rectore necessitate. — XXIX. Huius charitatis causae. — XXX. Eius qualitates recensentur. — XXXI. De huius charitatis obiecto. *Pag.* 36

Articulus II.

De Rectoris Prudentia.

§ I. De huius virtutis necessitate ac generali praxi et ratione.

Summae rerum — XXXII. Quae huius virtutis necessitas ac ratio in Rectore sint — XXXIII. Prudentia, mala cum politica haud confundenda — XXXIV. Prudentiae obstacula quae sint — XXXV. Eius in regimine adiumenta recoluntur — XXXVI. In quo inibi praxis contineatur . . . . . *Pag.* 36

§ II. — De consilio in Seminarii regimine utendo.

Summae rerum. — XXXVII. Quae in re S. Congregatio praecipiat. — XXXVIII. De consiliorum in Seminarii regimine necessitate. — XXXIX. Quibus consiliarii munus in Seminarium mandandum. — XL. Quando collatio habenda sit. — XLI. Quae consiliariorum sententiarum canonica moralisque vis sit. — XLII. Quomodo consilium habendum. — XLIII. Eius consectaria quae sint. — XLIV. Conclusio. . *Pag.* 45

Cap. III.

De Rectoris iustitia, aequitate ac scientia

Articulus I.

De correctione ac poenis generatim.

§ I. — De correctionis necessitate, deque ad rem generalibus adiumentis.

Summae rerum — XLV. De correctionis in clericorum institutione necessitate ac utilitate — XLVI. Generalia ad rem media recoluntur et inlustrantur.

§ II. — De ad rem peculiaribus adiumentis.

Summae rerum. — XLVII. De variis potestatis coercitivae gradibus in re statuendis, et qui esse possint. — XLVIII. Ra-

tiones quae hanc partitionem suadeant quae sint — XLIX. De aemulatione in clericis fovenda — L. Punitionum in Seminario codex qualis. — LI. Conclusio . . . . . *Pag.* 58

§ II. — De Iustitia in correctione servanda, et primum de propriis in re passionibus exsuperandis.

Summae rerum. — LII. De correctionis conditionibus generatim. — LIII. De iustitia in re servanda, et quae ex Rectoris parte passiones exsuperandae sint. — LIV. Opportuna ad rem indigitantur media. — LV. Conclusio. . . . . *Pag.* 63

§ III. — De alienis in re passionibus exsuperandis.

Summae Rerum. — LVI. De huius victoriae necessitate, ac quantum delationes devitare intersit. — LVII. Delatorum variae species memorantur. — LVIII. Eorum notae recensentur. — LIX. Qua ratione delatoribus resistendum sit. *Pag.* 68

§ IV. — Qua ratione in accusationibus discutiendis se gerere Rector debeat.

Summae Rerum — LX. De accusationis discutiendae necessitate — LXI. Quomodo in re Rector se gerere debet — LXII. Qua ratione cum accusato agendum — LXIII. De defensionis libertate ipso concedenda — LXIV. Quomodo in sententia ferenda Rector se habere debeat — LXV. Conclusio. *Pag.* 74

§ V. De discretione in correptione servanda.

Suamme rerum. — LXVI. De eius inibi necessitate — LXVII. Qui in re scopuli devitandi sint — LXVIII. Discretionis in correctione condiciones recolnntur ac inlustrantur. — LXIX. De quodam in re generale princidio prae oculis habendo — LXX. Conslusio. . . . . *Pag,* 82

§ VI. — De in correctione caritate adhibenda, et ad rem normae.

Summae rerum. — LXXI. De caritatis in correctione necessitate — LXXII. Huius virtutis in correctione effectus recoluntur ac inlustrantur — LXXIII. Conclusio. . . . . *Pag.* 86

Articulus II.

De Aemulatione ac Praemiis.

§ I. — Qua ratione laude utendum

Summae rerum. — LXXIV De laude alumnis impertienda. — LXXV. Qua ratione laude utenda. . . . . *Pag.* 91

§ II. — De diversis laudum generibus.

Summae rerum. —LXXVI. De laude privatim adhibenda — LXXVII. De laude in ludo ac contubernio decernenda. — LXXVIII. De ratione in re practica utenda. — LXXIX. De tabulis in Moderatorum usum adhibendis. — LXXX. De tabellis in alumnorum usu. — LXXXI. De notarum existimatione. — LXXXII. De earum promulgatione. — LXXXIII. Quaedam de publica laude notatu digna. . . . . *Pag.* 94

§ III. — De nonnullis ad rem, generali ratione, animadversione dignis.

Summae rerum. — LXXXIV. De praemiorum necessitate utilitateque. — LXXXV. Ad rem normae generales. — LXXXVI. Praemiorum collationis diversae species. — LXXXVII. Deque publica et ad rem circumstantiis. — LXXXVIII. Quae in re ratio servanda sint. — LXXXIX. De *gratiis*, seu locis gratuitis decernendis et ad rem normae — XC. Conclusio . . . . . *Pag.* 101

Articulus III.

De Seminarii Rectoris scientia.

§ I — De eius scientia generatim spectata.

Summae rerum. — XCI. Quanti sit Rectorem doctum haberi. — XCII. Quae eius scientia. — XCIII. Quae scientiae in eo requiratur . . . . . *Pag.* 108

§ II. — De Seminarii Rectoris scientia, peculiari modo, considerata.

Summae rerum. — XCIV. Animadversiones praeviae. — XCV. De agnitione legis, et primum de illa generalis. — XCVI. De lege peculiari. — XCVII De eius interpretatione ac praxi. — XCVIII. De consuetudine ac traditione. . . . *Pag.* 112

SECTIO II.

DE RECTORIS OPERE.

Cap. I.

De Rectoris erga Seminarium relatione.

Articulus I.

De Rectore quoad Seminarium in genere.

§ I. — Quae Rectoris in Sacri Instituti regimine officia iuraque sint.

Summae rerum. — CI. Animadversiones praeviae. — CII. Seminarii Rectoris idea generalis ex lege. — CIII. De Seminarii interdioecesani Rectore. . . . . *Pag.* 125

Articulus II.

De Rectore quoad pietatem.

§ I. — Quid in re, generali ratione, praestare Rector debeat.

Summae rerum. — CIV. De in Seminario pietatis necessitate utilitateque. — CV. Pietatis qualitates recensentur. — CVI. Pietatis divisiones ac de indirecto et directo magisterio pietatis. . . . . *Pag.* 128

§ II. — Peculiaria pietatem erga Rectoris officia.

Suamme rerum. — CVII. Quid in re Legislator praecipiat. — CVIII. Quae in re normae generales prae oculis habendae sint. . . . . *Pag.* 134

§ III. — De Pietatis exercitationibus singulis, et primum de illis *quotidianis* ac *hebdomadalibus*.

Suamme rerum. — CIX. Quae quotidianae pietatis exercitationes sint. — CX. De oratione mentali. — CXI. De Sacro quotidie audiendo. — CXII. De pia spirituali lectione. — CXIII. De B. M. V. rosario recitando. — CXIV. De conscientiae discussione. — CXV. De SSmi Sacramenti visitatione. — CXVI. De orationibus matutinis ac vespertinis. — CXVII. De pietatis exercitationibus per hebdonadam peragendis: *a*) De Ministerio Cathedrali Ecclesiae praestando; *b*) De spirituali ad clericos adhortatione, et ad rem normae; *c*) De peccatorum confessione, et ad rem industriae; *d*) De Sacra Eucharestia sumenda. . . . . *Pag.* 139

§ IV. — De Pietatis exercitationibus per mensem ac annum in Seminario habendis.

Summae rerum. — CXVIII. Religionis exercitationes per mensem quae sint: *a*) De feria VI in honor. SS. Cordis Jesu: *b*) De recollectione menstrua. — CXIX. Religionis exercitationes annuae: *a*) Supplicationes triduanae, vel novendiales; *b*) Mensis B. V. dicatus; *c*) De mense Cordi Jesu dicato; *d*) De Exercitiis spiritualibus annuis et ad rem normae. — CXX. Conclusio, *Pag.* 152

§ V. — De Clericorum vocatione a Rectore perscrutanda, et de eorum promotione ad Sacros Ordines.

Summae rerum. — CXXI. Animadversiones praeviae. — CXXII. Quaedam circa vocatione monimenta recoluntur. — CXXIII. De admissione ad Sacros Ordines. — CXXIV. Quae in re Legislator praescribit. — CXXV. De examine peragendo. — CXXVI. Quae de re in Urbe praescriptiones vigeant. — CXXVII. De Exercitiis Spiritualibus sacris ordinationibus praemittendis. — CXXVIII. De sacrae ordinationis die. . *Pag.* 159

Articulus III.

De Rectore quoad disciplinam officia.

§ I. — Quae circa ipsam, generali ratione, ipse praestare debeat, et primum de disciplinae unitate ac accommodatione.

Summae rerum. — CXXIX. De disciplinae in Seminario necessitate utilitateque. — CXXX. De futuris alumnorum utilitatibus in disciplina prospiciendis. — CXXXI. De disciplinae unitatis obiecto ex parte Institutorum. — CXXXII. De peculiaribus amicitiis. — CXXXIII. De disciplinae accommodatione. — CXXXIV. Quid ad rem in maioribus ac minoribus Seminariis praestandum. — CXXXV. In diversis dioecesanis ac interdioecesanis Seminariis quid. — CXXXVI. Quomodo cum diversis contuberniis agendum. — CXXXVII. De variis aetatibus attendendis. *Pag.* 173

§ II. — De disciplinae praevidentia ac constantia.

Summae rerum. — CXL. De praevidentiae necessitate. — CXLI. Praevidentiae partes ac modi qui sint. — CXLII. De praevidentiae praxi. — CXLIII. De disciplinae constantia ac de eius objecto. — CXLIV. Regulae ad rem. — CXLV. Corollarium *Pag.* 189

§ III. — De disciplinae libertate ac sinceritate.

Summae rerum. — CXLVII. Ad rem quaedam magni momenti generalia principia recoluntur. — CXLVIII. De in clericali institutione libertatis generale praxi. — CXLIX. Eius ambitus. — CL. Quid peculiariter in re cum clericis praestandum. — CLI. De libertate in pietatis operibus. — CLII. Corollarium — CLIII. Quae disciplinae veritas atque sinceritas sint. — CLIV. De earum in clericali institutione praxi. *Pag.* 196

§ IV. — De in disciplinae custodia peculiaribus adjumentis a Rectore consulendis.

Summae rerum. — CLV. Animadversiones praeviae. — CLVI. De loco ubi constituendum sit Seminarium. — CLVII. Quid servendum in eius generale distributione. — CLVIII. In

peculiaribus Seminarii partibus quid. — CLIX. Seminari suppellex qualis. — CLX. De Seminariorum divisione — CLXI. De contuberniis constituendis ad rem normae. — CLXII. Quando comtituenda sint. — CLXIII. Quae diversis inter contuberniis relatio esse possit. — CLXIV. De loco singulis alumnis assignando. — CLXV. Singulorum contuberniorum partes. — CLXVI. De horario. — CLXVII. De Annuario. . . . . *Pag.* 205

Articulus IV.

De Rectore studiis erga officia.

§ I. — Quid, ad externam Seminarii studiorum constitutionem quod attinet, Rector attendere debeat.

Summae rerum. — CLXVIII. De anno scholari duratione. — CLXIX. De illa singulorum curriculorum. — CLXX. De classium externa constitutione. — CLXXI. Quot vero scholis per diem horae impendendae. — CLXXII. De magisterii quotidiani divisione. — CLXXIII. Quae ad singulas praelectiones spectet. — CLXXIV. Quae lingua in clericorum institutione adhibenda. — CLXXV. Conclusio. . *Pag.* 218

§ II. — Quid, generali ratione, in re praestare Rector debeat.

Summae Rerum. — CLXXVI. Quae in re iura ac debita Rectoris sint. — CLXXVII. De quibusdam generalibus principiis in re prae oculis habendis. — CLXXVIII. De *Ratione Studiorum* Seminario constituenda. — CLXXIX. De ad rem normis. — CLXXX. De Ecclesiae libertate inibi vindicanda. *Pag.* 227

§ III. — De variis Seminari studiorum curriculorum partibus, et ad rem normae peculiares.

Summae rerum. — CLXXXI. De gymnasii indole. — CLXXXII. Quae inibi doceri possint. — CLXXXIII. De litteris ac scientiis inibi edocendis. — CLXXXIV. De curriculo philosophico. — CLXXXV. De scholastica philosophia. —

CLXXXVI. De propaedeuticae curriculo et ad rem normae. — CLXXXVII. De peculiari curriculi theologici indole. — CLXXXVIII. Quae inibi principia prae oculis habenda sint. — CLXXXIX. De disciplinis accessoriis, et ad rem regulae. . . . . *Pag.* 241

§ IV. — De libris in textu usu deducendis deque experimentis ac periculis.

Summae rerum. — CXC. Quae in libris deligendis prae oculis haberi debeant. — CXCI. Eorum qualitates recensentur. — CXCII. Eorum numerus qualis. — CXCIII. Quando comparandi. — CXCIV. De eorum immutatione et usu. — CXCV. De experimentis in genere. — CXCVI. De experimento publico. — CXCVII. De periculis et eorum variis speciebus. — CXCVIII. De alumnis qui periculis impares sint. — CXCIX. De periculorum effectibus. . . . . *Pag.* 255

Articulus V.

De Rectoris quoad rem oeconomicam ac hygienem officia.

§ I. — Quae circa rem oeconomicam praestare ipse debeat.

Suamme rerum. — CCIV. De fidelis et prudentis oeconomiae gestionis necessitate. — CCV. Rei familiaris fontes in Seminario quae sint. — CCVI. Ad eas augendas quaedam media recoluntur. — CCVII. Quomodo in re se gerere Rector debeat. . . . . *Pag.* 268

§ II. — Quae circa hygienem praestare Rector debeat.

Summae rerum. — CCVIII. De hygienis in Seminarii necessitate — CCIX. Quae in re Legislator praecipiat. — CCX. De mediis ad rem indirectis. — CCXI. De valetudinario constituendo ac regendo. — CCXII. Peculiaria hygienis media directa inlustrantur, seu de horario, cibo, indumentis ac corporis munditia . . . . . *Pag.* 275

§ III. — De Solatiis.

Summae rerum. — CCXIII. De solatii in Seminario necessitate utilitateque. — CCXIV. De recreationibus. — CCXV. Leges et rationes ad rem recoluntur. — CCXVI. Quae culpae inibi admittantur. — CCXVII. De recreationibus extra ordinem. CCXVIII. De aliis extra Seminarium habendis. — CCXIX. De ludorum necessitate. — CCXX. Quaedam ad rem normae recoluntur. — CCXXI. Qui ludi clericis indulgendi sint. — CCXXII. Quae ad rem Institutores praestare debeant. — CCXXIII. De extra Seminarium deambulatione. — CCXXIV. Ad rem normae. — CCXXV. De ludicris itineribus. — CCXXVI. De Seminarii villa. — CCXXVI. De Theatris et Academiis in Sacris Institutis. *Pag.* 285

Cap. II.

De Rectoris erga Personas relatione.

A) De Personis Externis.

Articulus I.

De Rectore Episcopum, Deputatos Tridentinos ac loci Parochum erga relatione.

§ I. — Episcopum erga quomodo Rector se gerere oporteat.

Summae Rerum. — CCXXVII. Quae in re canonica Rectoris generalis condicio sit. — CCXXVIII. De huius relationis assiduitate. — CCXXIX. De eius obiecto. — CCXXX. Eius momentum recolitur. — CCXXXI. Harum relationum praxim quae esse possit. — CCXXXII. De relationibus scripto habendis, et primum de annua canonica relatione Seminarii conficienda. — CCXXXIII. Quomodo haec postrema exaranda. — CCXXXIV. Qua ratione cum Episcoporum Collegio Seminarii interdioecesani Rector se habere oporteat. — CCXXXV. De Episcopi auctoritate a Rectore sedulo tuenda . . . . . *Pag.* 307

§ II. — Cum Deputatis Tridentinis ac loci Parocho quomodo Rector sese gerere debeat.

Summae rerum. — CCXXXVI. Quomodo tum ex lege, tum ex paedagogicis praeceptis, Deputatos Tridentinos erga Rector se habere oporteat. — CCXXXVII. Quid de coeterorum Officialium ac clericorum cum ipsis relatione dicendum. — CCXXXVIII. Quae ratio cum loci Parocho servanda sit . . . . . *Pag.* 317

Articulus II.

Quomodo Rector erga clerum ac laicales Potestates se habere oporteat.

§ I. — De Rectoris tum saecularem, tum regularem erga clerum ac Status et Civitatis Potestatibus relatione.

Summae rerum. — CCXXXIX. Animadversiones praeviae. — CCXL. Cum saeculari dioecesis clero quomodo se habere Rector possit. — CCXLI. Regulari cum clero quomodo — CCXLII. Qua ratione cum Studiorum Status Praefecto ac caeteris laicalibus Potestatibus. . *Pag.* 320

§ II. — Quomodo erga Alumnorum Parentes ac eorum et Seminarii benefactores atque amicos se habere Rector possit.

Summae rerum. — CCXLIII. Alumnorum Parentum diversae species. — CCXLIV. Quomodo cum ipsis habendum. — CCXLV. Cum alumnorum familiis quomodo. — CCXLVI. Benefactores erga qua ratione utendum. — CCXLVII. Erga Seminarii amicos quomodo . . . . . *Pag.* 324

Articulus III.

Quae ratio Officiales erga a Rectore servanda sit.

§ I. — Quomodo omnes erga Officiales Rector se habere oporteat.

Summae rerum. — CCXLVIII. Animadversiones praeviae. — CCXLIX. Quae erga Officiales tum canonica, tum paedagogica Rectoris condicio sit, et ad rem peculiares normae. — CCL. Conclusio . . . . . *Pag.* 329

§ II. — Quomodo singulos erga primarios Officiales Seminarii Rector se gerere debeat.

Summae rerum. — CCLI. Animadversiones praeviae. — CCLII. Quomodo Vice-rectorem erga ipse se habere possit, et quae huius muneris debita iuraque ex lege sint. — CCLIII. Cum Spiritus Moderatore quomodo, et quae ei a Legislatore praestituantur munera. — CCLIV. Quomodo cum Studiorum Praefecto se habere Rector debeat, et huius muneris officia quae ex lege sint. — CCLV. Cum Oeconomiae gestore quomodo, et eius officii fines. . . . . *Pag.* 335

§ III. — Quomodo Antecessores, Contuberniorum Praefectos, Confessarios ac Sanitatis Officiales erga Rector se gerere debeat.

Summae rerum. — CCLVI. Animadversiones praeviae. — CCLVII. Quomodo cum Antecessoribus Rector se habere debeat; quae ex lege eorum officia sint, et ad rem peculiares normae. — CCLVIII. Cum Conturberniorum Praefectis qua ratione Rector uti debeat, et ad rem regulae. — CCLIX. De alumnorum confessariis, et quomodo cum illis utendum sit. — CCLX. Quae Rectorem ac Sanitatis Officiales inter relationes esse possint. — CCLXI. De famulis. — CCLXII. Quaedam de Seminarii janitore memorantur. — CCLXIII. De Sororibus Seminario addictis. . *Pag.* 347

Cap. III.

De Rectoris erga Alumnis.

Articulus I.

De clericorum susceptione

§ I. — Clericalis institutionis proprius locus Seminarium est.

Summae rerum. — CCLXIV. Alibi quam in Sacris Institutis recta ecclesiastica institutio haud haberi potest. — CCLXV. Rationis argumenta. — CCLXVI. Auctoritatis testimonia. — CCLXVII. Quae ad rem in S. C decreto praecipiantur. — CCLXVIII. Quanta ante ordines suscipiendos clerici in Seminario mora erit. — CCLXIX. Exceptiones ad rem quo consilio decernendae. — CCLXX. De tironum numero excipiendo. — CCLXXI. Quot alumni quotannis Seminario cooptandi. — CCLXXII. De sacerdotalibus vocationibus fovendis . . . . . *Pag.* 363

§ II. — Quae in alumnorum susceptione, generali ratione, a Rectore praestanda sint.

Summae rerum. — CCLXXIII. Fundamentale in re principium recolitur. — CCLXXIV. Quae in re habeantur obstacula. — CCLXXV. Ea superare quanti intersit. — CCLXXVI. Quid de alumnis ab aliis Seminariis venientibus ex lege tenendum sit. — CCLXXVII. Horum susceptionis parcitas suadetur. — CCLXXVIII. Quae communes qualitates in Seminarium postulantibus requirendae sint. — CCLXXIX. Hae inlustrantur . . . . . *Pag.* 374

§ III. — Dotes canonicae in Seminario postulantibus requirendae quae sint, et primum de intentione qua alumni inibi ingredi debeant.

Summae rerum. — CCLXXX. Quae hae dotes canonicae sint. — CCLXXXI. De intentione qua alumni Seminarium petere debeant. — CCLXXXII. Recentiorum Pontificum in re do-

cumenta recensentur. — CCLXXXIII. Quomodo tironum mens dignoscenda. — CCLXXXIV. Quodam magni momenti corollarium recolitur. . . . . *Pag.* 381

§ IV. — De legitimo ortu, instructionis gradu ac aetate.

Summae rerum. — CCLXXXV. Quae rationes legittimum candidatorum ortum suadeant. — CCLXXXVI. Quaedam ad rem canonica dubia solvuntur. — CCLXXXVII. De instructionis gradu. — CCLXXXVIII. De candidatorum aetate. — CCLXXXIX. De maxima eorum aetate. — CCXC. De illa nimia. — CCXCI. Corollarium. . . . . *Pag.* 388

§ V. — De re familiari aestimanda.

Summae rerum. — CCXCII. De ea aestimanda. — CCXCIII. Normae ad rem. — CCXCIV. De restitutione a quibusdam facienda. — CCXCV. Quid de quadam in re consuetudine tenendum. — CCXCVI. De locis gratuitis constituendis. — CCXCVII. Eorum diversae species. — CCXCVIII. Quae in re industriae tum a testatoribus, tunc ab Ordinariis adhibendae sint . . . . . *Pag.* 397

§ VIII. — De iure civitatis.

Summae rerum. — CCXCIX. Quomodo haec condicio sumenda sit. — CCC. Quae in re a Legislatore praecipiantur. — CCCI. De extradioecesanis S. C. Concilii decretum. — CCCII. Quanti eius observantia facienda sit. — CCCIII. De his qui studiorum causa Urbem adeunt. — CCCIV. Ad rem leges. . . . . *Pag.* 403

§ X. — De praxi qua accipiendi sunt Seminarii alumni deque suo vario ordine.

Summae rerum. — CCCV. Qui alumni suscipiendi sint. — CCCVI. Qua anni tempestate. — CCCVII. Quae ad rem documenta servanda sint. — CCCVIII. De Informationibus exquirendis. — CCCIX. De periculo subeundo. — CCCX. De status novi tironis conficiendo. — CCCXI. Quae in re a S. C. praecipiantur. — CCCXII. De fideiussore. — CCCXIII. De singulorum clericorum positione . . . . . *Pag.* 410

Articulus III.

De clericorum agnitione.

§ I. — De alumnorum agnitionis momento.

Summae rerum. — CCCXIV. Clericos cognoscere quanti intersit. — CCCXV. Modi ad rem qui sint. — CCCXVI. Quaenam obstacula habeantur. — CCCXVII. Adiumenta ad rem recoluntur. . . . . *Pag.* 417

§ II. — De physicis temperamentis.

Summae rerum. — CCCXVIII. De temperamentorum studii necessitate. — CCCXIX. Qui sint et quomodo dignoscendi ac regendi. — CCCXX. De quibusdam indolibus moralibus. . . . . *Pag.* 422

§ III. — De clericorum passionibus.

Summae rerum. — CCCXXII. Animadversiones praeviae. — CCCXXIII. De ira. — CCCXXIV. De superbia ac ambitione. — CCCXXV. De Invidia. — CCCXXVI. De avaritia. — CCCXXVII. De Luxuria. — CCCXXVIII. De Segnitie. — CCCXXIX. De gula. — CCCXXX. Conclusio. . *Pag.* 430

Articulus IV.

De clericorum regimine practico.

§ I. — Quae circa pietatem ac studia a clericis expetere Rector debeat.

Summae rerum. — CCCXXXI. Quae circa pietatis exercitia Legislator praecipiat. — CCCXXXII. Circa studia clericorum quae normae a lege praestituantur. — CCCXXXIII. Peculiaria in re eorum officia quae esse possint. *Pag.* 441

§ II. — Quae circa disciplinam ac hygienem a clericis exigenda sint.

Summae rerum. — CCCXXXIV. Quomodo Superiores erga se habere clerici debeant. — CCCXXXV. Cum se ipsos quomodo. — CCCXXXVI. Ad invicem quomodo. — CCCXXXVII. Cum famulis qua ratione utendum. — CCCXXXVIII. Quae in colloquutorio servanda sint. — CCCXXXIX. In visitationibus quae. — CCCXL. Quomodo deambulatum ire clerici debeant. — CCCXLI. De clericorum erga rem catholicam provehendam studio. *Pag.* 448

§ III. Quomodo tum in privatis, tum in publicis cum clericis relationibus se habere Rector debeat.

Summae rerum. — CCCXLII. Quaedam in re principia recoluntur. — CCCXLIII. Quomodo haec in observantiam deduci possint. — CCCXLIV. De Rectoris cum clericis privatis relationibus. — CCCXLV. De ratione inibi cum clericis servanda — CCCXLVI. Huius relationis difficultates recensentur. — CCCXLVII. Quomodo in publicis cum clericis relationibus se habere Rector debeat . . . *Pag.* 455

§ IV. — Quae circa clericorum epistolare commercium ac diaria a Rectore servanda sint

Summae rerum. — CCCXLVIII. Peculiares quoad clericorum epistolas normae recoluntur. — CCCXLIX. De diariis ac ephemeridibus in Sacris Seminariis . . . . *Pag.* 462

§ IV. — Quae autumnalium feriarum tempore in clericos per Rectorem cavenda sint, et quae cum vigilias in castris agentes, cum pulsis ac veteribus alumnis eius agendi ratio esse possit.

Summae rerum. — CCCL. An alumnis concedendum sit ut huiusmodi feriarum tempus apud suos agant et quantum. —

CCCLI. Quae his in audiunctis disciplinae munia et subsidia sint. — CCCLII. De alumnis militiam agentibus. — CCCLIII. De his qui sponte vel coacte e Seminario abierint, et de cum veteribus alumnis Rectoris consuetudine. . . . . *Pag.* 465

Articulus V.

De Clericorum dimissione.

§ I. — De clericorum dimissione eiusque rationes ac cautelae.

Summae rerum. — CCCLIV. Quanti intersit ineptos clericos e Seminario dimittere. — CCCLV. Cuius sit eos dimittere. — CCCLVI. Missionis caussae quae. — CCCLVII. Quo tempore faciendam . . . . . *Pag.* 472

§ II. — Ad rem modi.

Summae rerum. CCCLVIII. Cautelae ad rem. — CCCLIX. De his qui, cognita vocationis deficientia, sponte a Seminario resiliunt. — CCCLX. De titulis clericis discedentibus tradendis. *Pag.* 476

Appendix. — Rectoris Seminarii regulae. *Pag.* 480

Documenta ac paradygmata . . . . . » 485

Index Rerum Notabilium . . . . . » 507

LAUS DEO ET MARIAE.

26499